





THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

TRADITA

A


P. JOSEPHO MONSCHEIN S. J.

SS. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM

DOCTORE p. t. UNIVERSITATIS

DILINGANÆ


CANCELLARIO.



TRACTATUS VIII.

DE RELIQUIS SACRAMENTIS IN SPECIE, MAXIME DE POENITENTIA.





CUM FACULTATE SUPERIORUM



AUGUSTÆ VINDEL. & FRIBURGI BRISGOIÆ

Impensis FRATRUM IGNAT. & ANT. WAGNER,

Bibliopolarum, anno 1766.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO DOMINO
DOMINO
JOSEPHO
S. R. I. PRINCIPI,
EPISCOPO AUGUSTANO,
LANDGRAVIO HASSIÆ
A DARMSTADT,
PRINCIPI HIRSCHFELDENSI,
COMITI
CATIMELIBOGI, DIEZ, ZIEGENHEIMB,
NIDDA, SCHAUMBURG, ISENBURG,
ET BIDINGEN,
ABBATI INFULATO
S. HELENÆ DE FÖLDWAR IN HUNGARIA,
EQUITI S. HUBERTI &c. &c.

DOMINO DOMINO
CLEMENTISSIMO



INDEX
MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

PARS I.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DISPUTATIO I.

De Virtute Pœnitentiæ.

fol.

DISPUTATIO II.

De Sacramento pœnitentiæ.

DISPUTATIO III.

De dolore, & propoſito ad pœnitentiam requiſito.

*Quale

DISPUTATIO IV.

De Confessione Sacramentali.

DISPUTATIO V.

De Absolutione, Ministro pœnitentiæ, & Sigillo Sacramentali.

Quis

DISPUTATIO VI.

De Satisfactione Sacramentali & Indulgentiis.

PARS II.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS, ORDINIS, ET MATRIMONII.

DISPUTATIO I.

De extrema unctione.

Quæ-

DISPUTATIO II.

De ſacris ordinibus.

DISPUTATIO III.

De Matrimonio.

Quæ-



TRA-



TRACTATUS VIII.

De reliquis Sacramentis in ſpecie, maxime de pœnitentia.

QUoniam pœnitentia illis, qui poſt Baptiſmum graviter lapſi, & rurſus in peccati ſervitutem redacti ſunt, ad ſalutem, libertatemque filiorum Dei recuperandam ſummopere neceſſaria eſt, & ideo a SS. Patribus, & doctoribus Catholicis ſecunda poſt naufragium tabula appellatur, merito Theologi integrum tractatum de Pœnitentiæ Sacramento tradere conſueverunt, tum ut illud a calumniis, & cavillationibus hæreticorum vindicarent, tum ut Confeſſarii, & pœnitentes de natura, proprietatibus, cæterisque conditionibus tam ſalutaris remedii probe inſtruerentur. Morem iſtum, ut aliquatenus imiter, primam, eamque maximam partem hujus tractatus Sacramento Pœnitentiæ impendam; in altera de extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio ea diſcutiam, quæ præſcriptus modus exigit, & definiti temporis ratio permittit.

PARS I.

De Sacramento pœnitentiæ.

DISPUTATIO I.

De virtute Pœnitentiæ.

1 QUamvis virtus, & Sacramentum pœnitentiæ tam arcto fœdere inter se connexa sint, ut illa sine Sacramento, aut saltem illius voto in lege nova ordinarie non prosit, ipsum vero Sacramentum sine virtute pœnitentiæ subsistere nequeat, majoris tamen claritatis causa ea præmittere juvat, quæ principalius ad explicandam pœnitentiæ virtutem pertinent. Equidem pœnitentia latissime sumpta se etiam extendit supra actus bonos, ut si quem puderet sobrie, & juste vixisse; sed hæc ab Apostolo 2 ad Cor. 7 v. 10 dicitur tristitia sæculi, quæ mortem operatur, & potius diabolica perversitas, quam pœnitentia nominari meretur. Unde in sensu magis proprio pœnitentia solum respicit actus, & omissiones malas, eosque ex motivo honesto detestatur.

QUÆSTIO I.

In quonam consistat virtus pœnitentiæ?

2 NOvatores duce Laurentio Valla, Erasmo, Beza, & Luthero contendunt, per pœnitentiam nihil aliud intelligi, quam resipiscentiam, & mutationem vitæ in melius. Verum vox pœnitentiæ juxta omnium bonorum Auctorum usum, & SS. Patrum interpretationem

nem longe aliam significationem habet. Sic juxta Auctorem de vera, & falsa pœnitentia, & Isidorum lib. 3 Etymol. cap. ult. pœnitentia dicta est a pœna, & secundum Etymologiam nominis idem significat, ac pœnæ tenentia, aut punientia, quæ præcipue consistit in dolore, & retractatione. Itaque

Dicendum. Virtus pœnitentiæ non tantum 3
est resipiscentia, & amor novæ vitæ, sed etiam veteris vitæ odium cum dolore, & voluntate satisfaciendi conjunctum. Prob. 2 auctoritate Scripturæ, in qua passim vera pœnitentia per detestationem, & dolorem cum voluntate satisfaciendi conjunctum explicatur. Sic Psalm. 50 v. 19 legitur: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; Ezech. 18 v. 30: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*; Luc. 10 v. 13: *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*; Matth. 12 v. 41: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ!* videlicet in cilicio, & cinere. Idem exemplis suis comprobarunt David, mulier peccatrix, beatus Petrus, & omnes alii, quorum pœnitentia in sacris litteris commendatur.

Probatur 2 auctoritate Patrum. Ex his S. 4
Ambrosius conc. 1 in Psalm. 27 ait: *Plena est definitio pœnitentiæ commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua velut quotidiano sermonis flagello castiget, & commissa flagitia condemnet*; S. Isidorus lib. 2 cap. 13: *Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit condemnando scilicet, & deflendo,*

do, *quod gessit*; S. Augustinus serm. 351 num. 12: *Nec sufficit ad pœnitentiam mores in melius commutare*, *& a factis malis recedere*, *nisi etiam de his*, *quæ facta sunt*, *satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem*, *per humilitatis gemitum*, *per contriti cordis sacrificium*. Consentiunt omnes Auctores catholici, qui unanimiter docent, pœnitentiam esse virtutem, qualis non foret, si in sola resipiscentia consisteret; quippe hæc non excludit complacentiam mali facti præteriti; ideo virtus pœnitentiæ ad mentem concilii Tridentini sess. 14 cap. 1 definiri potest, quod sit habitus, quo homo movetur ad odium, & detestationem peccati præteriti, ad firmum melioris vitæ propositum, & sui vindictam in compensationem injuriæ Deo illatæ.

5 Dices 1. Quid sit pœnitere, debet colligi ex etymologia vocis, sed juxta hanc pœnitere nihil aliud est, quam resipiscere. Conf. Ubi in versione latina legitur pœnitentia in græco textu habetur μετανοια, id est transmutatio mentis: ergo. Resp. Neg. Maj. Quid vox pœnitentia significet non debet desumi ex grammaticali Etymologia nominis, sed ex usu, & sensu Ecclesiæ, quæ est magistra virtutis, & legitima Scripturæ interpres; quamquam etiam minor falsa sit, ut ex dictis constat. Ad Conf. Neg. Ant. Nam vox μετανοια in græco textu non adhibetur in alia significatione, quam in versione latina, ut manifeste colligitur ex capite 10 Lucæ, & capite 12 Matthæi supra citatis.

6 Dices 2. SS. Patres pœnitentiam sæpe definiunt vitam novam sine mentione doloris, & detestationis: ergo. Conf. Juxta Lactantium lib. 6 instit. cap. 24 μετανοια in Scriptura significat

cat reſipiſcentiam ; juxta Tertullianum lib. 2 contra gentes mentis mutationem. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia Patres id, quod alicubi ſilent, ſæpe in aliis locis inculcant, adeoque nullam dubitationem relinquunt, quin juxta eorum mentem ad veram pœnitentiam, & vitam novam incipiendam prioris odium, & deteſtatio requiratur. Ad Conf. Diſt. Ant. μετανοια ſignificat reſipiſcentiam qualemcunque, Neg. Ant. doloroſam, & cum voluntate ſatisfaciendi conjunctam, Conc. Ant. Lactantius in contextu addit: *Ille reſipiſcit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ*; Tertullianus ibi agit de pœnitentia improprie dicta, prout in Scriptura accommodatur Deo e. g. quando Geneſ. 6 v. 7 dixit: *Pœnitet me feciſſe hominem.*

Dices 3. Eſt axioma communiter receptum: Optima pœnitentia vita nova; atqui vita nova obtinetur, modo quis reſipiſcat. Conf. Teſte Morino lib. 1 de adminiſt. ſacrament. pœnit. μετανοιας apud Græcos tantum ſignificat humilem quamdam ſalutationem, in quo ſenſu apud ipſos legitur monachos, & ſanctos multos feciſſe μετανοιας. Reſp. In hoc axiomate accipi ſignum pro re, in quantum vita nova optime indicat ſerium dolorem, & deteſtationem; imo vita nova non eſt, niſi excludat omnem peccati affectum, quód non fit per ſolam reſipiſcentiam. Ad Conf. Hæc translatio vocis juxta Morinum primum facta fuit a Græcis recentioribus, ut per illam indicent effectum pœnitentiæ; hinc omnes pœnas in pœnitentiam impoſitas μετανοιας vocare ſolent. Porro vox latina pœnitentia non quidem invenitur apud Ciceronem, interim to pœnitere, a quo pœnitentia derivatur, tam ab ipſo, quam ab 7

ab aliis antiquis Auctoribus passim pro dolore, & detestatione accipitur.

8 Dices 4. Quando David 2 Reg. 12 pœnitentiam egit de suis peccatis, præcise agnovit, & judicavit, quod male egerit, *Peccavi Domino*, v. 13. sine mentione doloris. Conf. Si homo vitam suam detestaretur, & de ea doleret, vellet peccatum suum non fuisse; sed hoc est impossibile, & imprudens, quia vellet factum reddere infectum. Resp. Neg. Ant. Quod David vere, & perfecte de suis peccatis doluerit, probat Cornelius a Lapide ex contextu, quin ipsa agnitio peccati connaturaliter ejus odium, & detestationem post se traxit, ideo David remissionem peccati obtinuit. Ad Conf. Transf. Maj. Neg. min. pœnitens per dolorem, & detestationem non vult peccata, quæ fecit, reddere infecta physice, sed moraliter, in quantum vult tollere eorum perseverantiam moralem, & habitualem; præterea affectus pœnitentium solent esse conditionati; O! si non peccassem: Vellem non peccasse, si fieri posset &c.; jam vero ejusmodi affectus conditionati neutiquam sunt imprudentes, neque impossibile est, ut peccatum habitualiter, & moraliter destruatur.

QUÆSTIO II.

An omnia peccata per veram pœnitentiam possint deleri?

9 UTrum Deus det omnibus peccatoribus gratiam sufficientem ad pœnitentiam, examinari solet in tractatu de gratia, hic autem agendum contra illos, qui putarunt in hac providentia dari aliqua peccata, quæ posita quacunque pœnitentiæ virtute non remittantur.

Ita

Ita juxta quoſdam SS. Patres contenderunt aliqui Novatiani, Cainani quoque teſte S. Hieronymo epiſt. 82 docuerunt, certa quædam peccata ab ipſo Chriſto ſanguine ſuo purgari non poſſe. Simile quid S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 40 teſtatur de hæreticis, qui Apoſtolici dicebantur, & lapſis nullam veniæ ſpem relinquebant. Verum cum potentia, & miſericordia Dei ſit ſumma, ipſaque merita Chriſti valoris infiniti, nemo prudens dubitat, quod Deus vere pœnitenti quævis peccata remittere poſſit, & velit, ut de hac providentia oſtendemus, omiſſis ſpeculationibus aliis parum utilibus, quas alii de peccatis in alia providentia irremiſſibilibus movere ſolent.

Dicendum. Nullum peccatum eſt tam enor- 10
me, aut peccatorum numerus tantus, ut vera pœnitentia deleri nequeat. Prob. auctoritate Scripturæ, in qua Deus ſæpe generatim, & indefinite omnibus viatoribus rite pœnitentibus veniam promittit: Sic Ezech. 18 v. 21 dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur*; & cap. 55 v. 6: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Chriſtus quoque Matth. 18 v. 22 dixit Petro, ut remittat peccata non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, hoc eſt, quoties peccator redierit vere pœnitens, ut hunc locum explicant omnes Patres cum S. Hieronymo. S. Chryſoſtomus vero Homil. 62 in Matth. advertit, Deum, ut induceret homines ad remittendas injurias ipſis illatas, adduxiſſe exemplum ſuæ miſericordiæ, qua infinities graviora contra ſe facta peccata dimittat. Probatur 2 auctoritate Patrum. Ex his S. Leo ſerm.

14 de epiph. ad finem ait: *Dum hoc in corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium optanda est correctio*: S. Ambrosius lib. 2 de pœnit. cap. 4: *Omnibus conversis pollicetur veniam, quia scriptum est; quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; S. Cyprianus serm. de cœna Dom.: *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec vitæ enormitas excludit a venia.* Ratio congrua a priori est Dei misericordia, quæ, ut supra adverti, omnium scelerum atrocitatem longissime superat. Hinc ut Joel. 25 v. 13 dicitur: *Benignus, & misericors est, patiens multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*: ergo nullum peccatum est tam grave, nullus illorum numerus tantus, quem vere pœnitentibus non dimittat.

Objectiones.

11 OBj. 1. Ipsa Scriptura testatur, quædam peccata in hac providentia a Deo non remitti. Sic Proverb. 1 v. 28 habetur: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam*; ad Hebr. 12 v. 17: *Esau non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisivisset*; 2 Machab. 9 v. 13: *Orabat hic scelestus* (Antiochus) *ad Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Resp. Neg. Ant. In his textibus non est sermo de pœnitentia vera, & rite peracta, sed primus loquitur de illis, qui volunt agere pœnitentiam post mortem, secundus de pœnitentia non sincera, tertius de solum naturali. Nam Esau adhuc habuit animum peccandi dicens: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*, ut refertur Genes. 27 v. 41, Antiochus autem non dolebat de peccato, quia est offensa Dei, sed solum quia erat causa infirmitatis corporalis. Quod si etiam habuisset attri-

tritionem ſupernaturalem, in veteri teſtamento non ſuffeciſſet ad peccata delenda.

Dices 1. Dantur aliqua peccata, pro quorum remiſſione non debemus orare. Sic Jerem. 12
7 v. 16 legitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te;* 1 Reg. 2 v. 25: *Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo;* 21 Joan. 5 v 16: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Ergo. Neg. Ant. Apud Jeremiam Deus ſolum vult, ut Propheta non oret pro remiſſione pœnarum temporalium, quas ibi minatur Dominus, quasque non ſemper remittit etiam deprecantibus. In reliquis duobus locis juxta S. Ambroſium lib. 1 de pœnit. cap. 8 ſolùm indicatur, quod pro ejusmodi peccatoribus non debeat orare quilibet, ſed homo ſelectioris virtutis, cum alias non ſit exaudiendus. Porro per peccata ad mortem juxta Suarium 3 part. diſp. 8 ſect. 1, qui pro ſe citat SS. Auguſtinum, Bedam, & Gregorium, intelligitur finalis impœnitentia; unde pro tali peccatore utique non amplius eſſet orandum, eoquod jam foret extra ſtatum ſalutis.

Dices 2. Apoſtolus ad Hebr. 6 v. 4 ſcribit: *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam,* & cap. 10 v. 26: *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia:* ergo peccata poſt Baptiſmum commiſſa non poſſunt remitti. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Primum textum teſte Cornelio omnes pene antiqui Patres intelligunt de Baptiſmo, per quem Apoſtolus negat Chriſtianos lapſos renovari poſſe; nam renovatio ſpectat ad Baptiſmum, qui eſt lavacrum regenerationis, ſeu renova- 13

tionis ſpiritus. In eundem ſenſum S. Chryſoſtomus Homil. 20 in epiſt. ad Hebr. exponit alterum textum, quod nempe pro Chriſtianis non amplius poſſit iterari Baptiſmus, per quem rurſus configurentur morti Chriſti, qui fuit hoſtia pro peccatis noſtris; juxta Cornelium vero ſenſus eſt, apoſtatas a fide Chriſti, quamdiu in apoſtaſia perſiſtunt, non habere, ad quem recurrant pro obtinenda venia.

14 Obj. 2. Chriſtus Matth. 12 v 32 ait: *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro ſæculo:* ergo ſaltem iſtud peccatum eſt inexpiabile. Conf. Ex verbis S. Petri ad Simonem Magum Act 8 v. 22: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. hoc peccatum eſt inexpiabile abſolute, Neg. Conſ. comparative, in quantum difficilius remittitur, quam alia peccata, Conc. Conſ. per blasphemiam in Spiritum ſanctum aliqui cum S. Thoma 3 part. q. 86 a 1 ad 3 hic iterum intelligunt impœnitentiam finalem: alii vero illud peccatum, quo veritas chriſtianæ, & orthodoxæ fidei manifeſte agnita per malitiam impugnatur; nam Chriſtus illis verbis reprehendit Phariſæorum invidiam, qua miracula ab ipſo patrata obſtinate adſcribebant Beelzebub, eique opponit peccata eorum, qui potius ex ignorantia, & infirmitate in Filium hominis peccaverunt. Ad Conf. Particula forte hic rurſus tantum denotat difficultatem ex parte Simonis ad agendam pœnitentiam, non incertitudinem veniæ, ſicut non ſignificavit incertitudinem divinæ ſcientiæ, dum Ezech. 2 v. 5 dixit: *Si forte ipſi audiant.*

15 Dices. Chriſtus abſolute dixit: Verbum in Spiritum ſanctum neque in hoc, neque in fu-

futuro sæculo remitti: ergo non tantum difficulter, & comparative est irremissibile, cum sæpe etiam aliis peccatoribus negentur gratiæ efficaces ad remissionem impetrandam. Conf. juxta Origenem, & Theognostum omnia peccata Christianorum sunt blasphemia in Spiritum sanctum, eoquod in omnibus, & solis regeneratis habitet. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Juxta idiotismum Hebræorum hic modus loquendi tantum significat magnam difficultatem, sicut simpliciter fieri dicunt, quod frequenter, & facile contingit. Remittitur autem blasphemia in Spiritum sanctum difficilius, tum quia fit ex mera malitia, & repudiat gratiam Dei, tum quia tollit ipsam radicem justificationis, nempe fidem in Christum mediatorem, sine qua nullus potest placere Deo; hinc ejusmodi peccatores accipiunt gratias longe pauciores, & solum remote sufficientes ad remissionem mediante fide. Ad Conf. Opinionem Origenis, & Theognosti refutavit S. Athanasius epist. 4 ad Serapion. & constat esse falsam ex Scriptura; nam S. Paulus remisit peccatum incestuoso, licet fuerit Christianus, & Christus Matth. 12 v. 31 blasphemiæ accusavit Pharisæos, qui Christiani non erant.

Obj. 3. SS. Patres passim docent, blasphemiam in Spiritum sanctum esse absolute irremisibilem. S. Augustinus lib. 1 de serm. Dom. in monte cap. 22 ait: *Illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit*; S. Pacianus epist. 3 ad Semproni-an.: *Hoc est ergo, quod non dimittitur, reliqua bonis pœnitentibus dimittuntur*; S. Ambrosius lib. de Spirit. sanct. cap. 3: *Si quis Spiritum sanctum abnegat, non potest ibi esse exoratio veniæ,* 16

niæ, ubi sacrilegii plenitudo est. Resp. Neg. Ant. Cum frequenter illa, quæ non nisi difficulter, & raro contingunt, impossibilia dicere soleamus, neque hic modus loquendi ab usu ipsius Scripturæ abhorreat, SS. Patres in eodem sensu explicari debent, ne aliis aut sibi ipsis contradixisse videantur. Sane S. Pacianus in epistolis ad Sympronianum etiam hæc peccata dimitti posse, multis argumentis probat, & S. Ambrosius lib. 2 de Pœnit. ac S. Augustinus serm. 6 de Verb. Dom. idem clare affirmant.

17 Dices. S. Athanasius epist. 4 cit. peccatum in Spiritum sanctum vocat singulare, irremissibile, inveniabile, aitque vicisse Novatianos, si omnia peccata post Baptismum essent blasphemia in Spiritum sanctum; atqui non vicissent, si peccatum in Spiritum sanctum tantum esset irremissibile moraliter, & difficulter: ergo. Conf. S. Hieronymus epist. 149 ad Marcell. docet, peccatum in Spiritum sanctum in eodem sensu esse inexpiabile, quo Novatiani contendebant, negationem Christi remitti non posse. Resp. Conc. Maj. In sensu supra explicato, Dist. min. non vicissent Novatiani simpliciter, Conc. min. ex aliqua parte, in quantum saltem juxta S. Athanasium dicebant, omnia baptizatorum peccata esse blasphemiam in Spiritum sanctum, & æqualiter irremissibilia, Neg. min. & Cons. Ad Conf. S. Hieronymo a Marcella duplex quæstio fuit proposita. 1. An abnegatio Christi sit peccatum in Spiritum sanctum? 2. An peccatum in Spiritum sanctum sit absolute irremissibile. Ad 1 respondit negative ob exemplum S. Petri, ad 2 ob temporis angustias non potuit respondere, ut ipsemet in fine epistolæ testatur. Unde solum docuit, dato

etiam

etiam, quod blasphemia in Spiritum ſanctum ſit irremiſſibilis, male inde inferri a Novatianis, etiam negationem Chriſti eſſe blasphemiam in Spiritum ſanctum, quæ deleri nequeat.

Quæres. An unum peccatum grave poſ- 18
ſit remitti ſine altero? Reſp. Quamvis id abſolute poſſit fieri per condonationem extrinſecam, eoquod nulla hujus rei oſtendatur implicantia, juxta præſentem tamen providentiam unum peccatum grave ſine altero nunquam remittitur. Ratio eſt, quia in hac providentia nullum peccatum grave remittitur, niſi infundatur gratia ſanctificans, & homo aſſumatur ad amicitiam Dei; atqui gratia ſanctificans ſaltem phyſice eſt incompoſſibilis cum peccato gravi, & amicitia Dei ſtare nequit cum ejusdem offenſa gravi habitualiter permanente. Hinc concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7 docet, unicam formalem cauſam noſtræ juſtificationis eſſe juſtitiam Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet renovamur ſpiritu mentis noſtræ, juſtitiam in nobis recipientes, ut pluribus explicatum fuit in tractatu de gratia.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo homini graviter lapſo pœnitentia ſit neceſſaria?

QUamvis omnes Catholici fateantur, quod 19
defacto Deus homini graviter lapſo nunquam delictorum ſuorum indulgentiam concedat, niſi pœnitentiam egerit, nihilominus quidam exiſtimant, ſaltem per accidens poſſe ſufficere pœnitentiam virtualem, caſu quo tantum charitatem Dei perfectam eliceret, eo

quod inculpabiliter ſui peccati gravis eſſet oblitus, vel ſaltem obligationis pœnitendi non recordaretur, licet difficulter videatur contingere, ut quis peccati mortalis memor Deum perfecte amet, quin ſimul de peccato ſuo doleat. Certe Scriptura, & Patres inferius citandi ſemper videntur loqui de pœnitentia in ſenſu proprio, & formali accepto. Econtra ad ſtatum gratiæ rurſus recuperandum nequidem neceſſariam eſſe pœnitentiam virtualem contendunt illi novatores, qui rationem pœnitentiæ in ſola reſipiſcentia, aut juſtificationis fructu conſtituunt, ut colligitur ex quæſt. 1.

20 Dicendum 1. In hac providentia homini graviter lapſo neceſſaria eſt pœnitentia neceſſitate præcepti divini. Prob. 1 auctoritate S. Scripturæ, in qua præceptum pœnitendi gravibus peccatoribus paſſim inculcatur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, & in planctu*, Joel. 2 v. 14; *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, Act. 3 v. 19. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, Luc. 13 v. 5. Prob. 2 auctoritate Patrum, ex his S. Auguſtinus epiſt. 5 ait: *Niſi egerit pœnitentiam, ſalvus eſſe non poterit*; S. Ambroſius lib. 7 epiſt. 59: *Peccatum non tollitur, niſi lacrymis, & pœnitentia*; S. Greg. Homil. 2 in Evang.: *Venturam iram peccator non effugiet, qui nunc ad pœnitentiæ lamenta non recurrit.* Similia habent S. Hieron., Cyprian., Tertull., aliique paſſim. Hinc concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 de contritione in genere ait: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.*

21 Dicendum 2. Pœnitentia homini graviter lapſo in hac providentia etiam eſt neceſſaria ne-

neceſſitate medii, & præcepti naturalis. Prob. 1 pars, quia pœnitentia eſt medium a Deo per ſe ita ordinatum ad remiſſionem peccatorum, ut illo etiam invincibiliter, & inculpabiliter omiſſo hæc remiſſio nequeat obtineri, quemadmodum ſatis indicant teſtimonia Scripturæ, & Patrum ſuperius allegata, quæ in ſua proprietate, & latitudine vera non eſſent, ſi poſſet contingere caſus, in quo peccator gravis absque pœnitentia etiam inculpabiliter amiſſa non periret, & venturam iram effugeret. Prob. 2 pars, quia quilibet homo præcepto naturali tenetur tendere ad ſuum finem, & ex propria charitate obligatur adhibere media, ſine quibus ſalutem ſuam obtinere nequit; ſi enim lege naturali tenetur uti mediis neceſſariis ad vitam corporis, multo magis tenebitur uti iis, quæ neceſſaria ſunt ad vitam animæ.

Objectiones.

OBj. 1. Si pœnitentia eſſet neceſſaria neceſſitate præcepti divini, impœnitentia foret ſpeciale peccatum; atqui hoc eſt contra S. Thomam 2 2 q. 14 art. 2 in corp. ergo. Conf. Peccatum impœnitentiæ non habet aliam malitiam, quam quodvis peccatum mortale, nimirum quod impediat hominem ab ultimo fine: ergo nulli ſpeciali legi opponitur. Reſp. Diſt. Maj. impœnitentia poſitiva eſſet ſpeciale peccatum, Conc. Maj. mere negativa, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. S. Thomas docet quidem, quod non ſit ſpeciale peccatum impœnitentia negativa conſiſtens in eo, quod de peccato præterito non agatur pœnitentia ex defectu advertentiæ ad legem eandem præcipientem. Idem juxta aliquos intelligit de mera continuatione peccati, conſiſtente in circum- 22

cumſtantia ſolius durationis : at 3 part. q. 84 a. 7 ad 1 expreſſe ait : *De jure naturali eſt, quod aliquis pœniteat de malis, quæ fecit.* Hinc ad Conf. Neg. Ant. intellectum de impœnitentia poſitiva, hæc enim habet ſpecialem inhoneſtatem fundamentalem, in quantum quis non vult debito tempore reconciliari cum Deo, ſed in ſtatu inimicitiæ perſeverare, quæ turpitudo ſoli virtuti pœnitentiæ, & ſpeciali illius legi opponitur.

23 Dices. Tali modo nemo damnaretur propter unicum peccatum e. g. furti gravis, ſed ſimul propter omiſſionem pœnitentiæ. Imo quia homo de hoc peccato impœnitentiæ iterum deberet dolere, ſemper damnaretur propter plura peccata, & in peccato impœnitentiæ poſſet dari proceſſus in infinitum. Conf. Juxta nos, ſi quis adverteret ad obligationem pœnitendi ex motivo virtutis pœnitentiæ ſimulque ex charitate erga Deum, & ſeipſum, committeret triplex peccatum ; hoc videtur nimium : ergo. Reſp. Neg. ſequelam, quia fieri poteſt, ut morte præventus non advertat ad obligationem pœnitentiæ, ſi tamen advertens illam contemneret, utique novum peccatum committeret, idque toties multiplicaret, quoties interruptis moraliter vicibus, ita eſſet conſtitutus. Cum autem ejusmodi reflexiones tantum poſſint eſſe finitæ, nunquam dabitur proceſſus in infinitum. Ad Conf. Utrum talis committeret plura numero peccata, vel tantum unum ex multiplici ſpecie, decidi ſolet in tractatu de peccatis. Interim utriusque ſententiæ patroni negant minorem.

24 Obj. 2. In ſacra Scriptura remiſſio peccatorum ſæpe promittitur charitati : *Ego diligentes me diligo*, Proverb. 8 v. 17; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc.

7 v. 47 : ergo pœnitentia ad remiſſionem peccatorum non eſt neceſſaria neceſſitate medii. Conf. de multis in Scriptura legitur, quod remiſſionem peccatorum obtinuerint, quin dicatur eos pœnituiſſe, uti de paralytico Matthæi 9, & de muliere adultera Joan. 8. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo pœnitentia virtualis non eſt ita neceſſaria, Neg. Conſ. pœnitentia formalis, Subdiſt. non eſt ſemper neceſſaria in re, Conc. Conſ. ſaltem in voto, Neg. Conſ. charitas perfecta a peccatore elicita ſemper includit votum ſacramenti pœnitentiæ, vel contritionis perfectæ; unde pœnitentia etiam in hoc caſu ſaltem in voto requiritur, niſi homo per charitatem perfectam juſtificaretur tantum a peccato originali, quod ſicut propria voluntate non eſt commiſſum, ita eadem non debet retractari. Ad Conf. Cum Chriſtus ferme perpetuo pœnitentiam prædicaverit, & omnibus indiſcriminatim denuntiaverit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, non eſt credibile, quod aliquem peccatorem in gratiam receperit, quin prius in illo excitaverit motum pœnitentiæ, & contritionis.

Dices. Licet actus perfectæ charitatis in 25
ſe includat votum Evchariſtiæ, hæc non eſt neceſſaria neceſſitate medii: ergo neque pœnitentia. Conf. Deus in Scriptura remiſſionem peccatorum etiam promittit illis, qui dimiſerint hominibus, Matth. 6 v. 14; qui dederint eleemoſynam, Luc. 11 v. 41; qui in ipſum credunt, & ſperant &c. ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sumptio Evchariſtiæ non eſt medium per ſe ordinatum, & abſolute neceſſarium ad ſalutem, aut remiſſionem peccatorum obtinendam, ſed ad ſummum dici poteſt, quod votum Evchariſtiæ ſuo tempore ſumendæ ſit

tale medium, in quantum continetur in proposito universali servandi omnia mandata graviter obligantia. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. In istis promissionibus semper imbibita est conditio: Si peccata simul per pœnitentiam legitime retractentur; nam idem Deus, qui has promissiones fecit, etiam dixit, pœnitendum esse, ut peccata dimittantur.

26 Obj. 3. Præceptum pœnitendi non habetur in decalogo, sed tantum scitur ex revelatione: ergo non potuit imponi ab ipsa natura. Conf. Præceptum pœnitendi obligat ad actum supernaturalem; hoc non potest præceptum naturale: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. non potuit imponi ab ipsa natura absolute, & directe, Conc. Conf. conditionate, & indirecte, Neg. Conf. Lex naturæ obligat ad agendam pœnitentiam saltem indeterminate, & conditionate, si nempe pœnitentia sit medium necessarium ad salutem, & ultimum finem; jam vero hanc conditionem purificat voluntas divina, quæ hanc necessitatem nobis revelavit, & sic præceptum naturale evadit absolutum, & determinatum. Neque omnia præcepta juris naturalis formaliter, & expresse debent contineri in decalogo, præsertim quæ pertinent ad prima principia, uti præceptum diligendi Deum, aut seipsum, quod potius a decalogo supponitur, præceptum pœnitentiæ vero potest ad illud reduci vel etiam ad præceptum quintum non inferendi sibi mortem spiritualem. Ad Conf. Dist. Maj. præceptum pœnitentiæ obligat ad actum supernaturalem eliciendum per solas vires naturæ, Neg. Maj. divinæ gratiæ auxilio eliciendum, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf.

Di-

Dices, illud præceptum non eſt naturale, 27
quod non obligat niſi ex ſuppoſitione inſtitutionis divinæ, alias ferme omnia, quæ lege divina poſitiva, & humana præcipiuntur, ad jus naturale pertinerent; atqui præceptum pœnitentiæ non obligat niſi ex ſuppoſitione inſtitutionis divinæ: ergo. Conf. In præcepto naturali Deus non poteſt diſpenſare; in præcepto autem pœnitentiæ poteſt diſpenſare, & ſaltem aliqua peccata condonare ſine retractatione; imo in ſtatu puræ naturæ hoc præceptum non daretur: ergo. Reſp. Diſt. Maj. quod non obligat ſaltem remote, & conditionate, niſi ſuppoſita inſtitutione divina, Conc. Maj. quod non obligat proxime, & abſolute, Neg. Maj. ſequelam additam multi haud gravate admittunt, videtur tamen eſſe diſparitas in eo, quod non omnia, quæ lege mere poſitiva præcipiuntur, ſint neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. Ad Conf. Diſt. Ant. In præcepto naturali Deus non poteſt diſpenſare, ſi non præſupponat aliquam liberam inſtitutionem, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. loquendo de diſpenſatione improprie tali, qua præciſe tollitur materia remota præcepti. Quid vero Deus ordinaſſet in ſtatu puræ naturæ, incertum eſt, probabilius tamen etiam ibi aliquam ſatisfactionem pro peccatis exegiſſet.

Quæres. Quomodo, & per quos actus 28
remittantur peccata venialia? Reſp. Juxta communiſſimam Theologorum nullum peccatum veniale remittitur ſine aliquo actu pœnitentiæ ſaltem virtualis, per quam illud aliquo modo retractetur, eoquod alias peccator eidem adhuc interpretative inhæreret. Interim juxta S. Bonavent. Suar., Maſtr. &c. in

 juſtis

justis ad delenda peccata venialia non solum in Sacramento pœnitentiæ, sed etiam extra illud sufficit contritio imperfecta, quia peccatum veniale tantum est offensa Dei levis, & status amicitiæ postulat, ut Deus sit facile placabilis; hinc Tridentinum sess. 14 cap. 5 docet, peccata venialia multis aliis modis, a Sacramento pœnitentiæ distinctis expiari posse. Notant tamen Arriaga, Lugo &c., quod extra Sacramentum pœnitentiæ non quævis attritio sufficiat ad delenda omnia, aut quæcunque venialia, sed ad pauciora, vel plura, prout videlicet contritio fit ex meliori motivo, cum majore intensione, duratione, aut aliis operibus bonis vestitur. Cæterum remissio peccatorum venialium non fit formaliter per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ cum peccato veniali stare potest, sed per condonationem mere extrinsecam, licet gratia sanctificans cum remissione venialium possit augeri concomitanter.

QUÆSTIO IV.

An præceptum pœnitendi statim obliget post commissum peccatum mortale?

29 QUod ille, qui per hebdomades, & menses in statu peccati mortalis perseverat, saltem venialiter peccet, docent Lessius, Sotus, & alii, licet Suarius disp. 15 sect. 5 putet, dari posse justas causas, per quas aliquis ob dilatam tamdiu pœnitentiam excusetur. Vicissim sæpe contingit, ut quis statim post commissum peccatum grave teneatur pœnitere per accidens e. g. ob instans periculum vitæ, vel quia sine actu pœnitentiæ non potest superare gravem aliquam tentationem, vult suscipere Sacramentum, illud administrare &c. &c. Controverti-

titur itaque de obligatione gravi ac per ſe, quam ad pœnitentiam, & quidem juſtificativam (attritio enim ad illorum finem non prodeſſet) aſſerunt dari multi antiqui, quos citat, & ſequitur Cardenas in Criſi diſſert. 6 cap. 3, ubi tamen vult, particulam ſtatim non debere intelligi de inſtanti phyſico, ſed morali, quando aliquis peccati commiſſi recordatur, & adeſt aliquod excitans ad pœnitentiam, atque opportunitas eliciendi actum contritionis.

Dicendum. Præceptum pœnitentiæ per ſe 30 non obligat graviter ſtatim poſt commiſſum peccatum mortale. Ita recentiores Thomiſtæ, Scotiſtæ, & noſtri communiſſime. Prob. 1. Obligatio gravis, & valde difficilis, quæ ex nullo ſufficienti fundamento oſtenditur, probabilius per ſe non datur; atqui obligatio ſtatim pœnitendi poſt peccatum mortale eſt gravis, & valde difficilis, nec ex ſufficienti fundamento oſtenditur: ergo. Major eſt principium in moralibus receptum. Minor quoad primum membrum colligitur ex eo, quia actus contritionis perfectæ eſt valde difficilis, præſertim in iis circumſtantiis, ubi homo per peccati delicias ab amore creaturæ depravatus, ſe ſtatim iterum ad Deum ſupra omnia diligendum convertere debet. Quoad ſecundum membrum ſuadetur ex eo, quia hæc obligatio communiter nec a peccatoribus, nec a Confeſſariis, Parochis, & Concionatoribus agnoſcitur, neque ipſa Eccleſia illam urget. Conf. Si daretur hæc obligatio, eſſet juris naturalis: ergo per ipſum lumen naturæ deberet innoteſcere; atqui non ita innoteſcit; alias illam non negarent tot viri pii, & docti, qui rem hanc longo, ac ſtudioſo examine expenderunt.

Probatur 2. Ut aliqua actio cenſeatur eſſe a 31 Deo præcepta præſertim jure naturali, non ſufficit, quod illa per ſe ſit melior, quam ipſius omiſ-

ſio; alias nihil amplius eſt ſub mero conſilio, ſed inſuper requiritur, ut ipſa etiam obligatio generi humano ſit melior, quam negatio obligationis, quemadmodum pro regula paſſim tradunt Auctores cum Pallavicino, & Haunoldo: atqui obligatio ad agendam ſtatim poſt peccatum pœnitentiam juſtificativam generi humano non eſt melior, & utilior, quam ejus negatio, imo potius eſſet noxia, cum multo frequentius poſt ſe traheret violationem prohibitam quam obſervationem præceptam, & homines exponeret frequentiſſimo periculo augendi peccata. Conf. Si homo poſt commiſſum peccatum grave ſtatim teneretur ſe liberare periculo æternæ damnationis, teneretur adhibere medium ſecurum; quia igitur contritio perfecta eſt valde difficilis, & de illa nemo ordinarie poteſt eſſe ſecurus, teneretur omnino confiteri, quod ipſi Adverſarii non exigunt.

Objectiones.

32 OBj. 1. S. Scriptura ſæpe clamat, non eſſe differendam pœnitentiam: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius*, Eccl. 5 v. 8 & 9; *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit*, Matth. 24 v. 42: ergo tenemur pœnitere ſtatim poſt commiſſum peccatum grave. Conf. In eadem Scriptura peccatores graviter reprehenduntur, quod non egerint pœnitentiam. Sic Proverb 1 v. 24 dicitur: *Vocavi, & renuiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. In his, & ſimilibus textibus Scriptura celerem pœnitentiam ſuadet quidem, at non præcipit ſaltem graviter, niſi forte aliquis nimis diu illam differret, aut peccata peccatis accumularet. Adde, quod pœ-

pœna gravis alicui potuerit ob dilatam pœnitentiam ſpecialiter intentari, ut aliqui putant factum eſſe Angelo Pergami Apocal. 2, quin hoc præceptum ſpeciale univerſaliter ad alios extendi debeat Ad Conf. Qui pœnitentiam non nimis diu differunt, in Scriptura non reprehenduntur, quaſi ideo graviter peccent, ſed quia ſunt ſalutis ſuæ incurii, aut bonum conſilium negligunt. Certe juvenis, quem Chriſtus Matth. 19 ad ſequendum ſe invitaverat, fuit reprehenſibilis, quod conſilium evangelicum non ſit ſecutus.

Dices 1. Quæ in Scriptura commendantur 33
ſub comminatione mortis æternæ, præcipiuntur ſtricte, & graviter; atqui pœnitentia mox agenda in citatis textibus commendatur ſub comminatione mortis æternæ: ergo. Conf. Qui moritur imparatus, dignus eſt vituperio: ergo non præparando ſe peccavit graviter quolibet inſtanti, quo ſe periculo æternæ damnationis expoſuit. Reſp. Diſt. Maj. Si mors æterna ob omiſſionem eorum, quæ in Scripturis commendantur, incurrenda ſit formaliter, Conc. Maj. ſi ob omiſſionem eorum tantum ſit incurrenda arguitive, formaliter autem ob peccatum præcedens, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Scriptura quandoque mortem æternam minatur divitibus non formaliter propter divitias, ſed arguitive, quia nimis facile eſt, ut tales homines labantur in peccata gravia, propter quæ damnabuntur. Eodem ferme modo minatur æternam mortem omiſſioni celeris pœnitentiæ, non quod ſit formale peccatum & cauſa movens ad damnationem, ſed quia tali modo non deletur peccatum, ob quod homo condemnabitur. Ad Conf. Diſt. Ant. Dignus eſt vituperio ob præcedens peccatum, Conc. Ant. formaliter ob dilationem pœnitentiæ, Neg. Ant. & ſuppoſitum, quod talis pro-

 pin-

pinquo periculo damnationis ſe exponat, ſi pœnitentiam non nimis diu differat.

34 Dices 2. SS. Patres textus allatos exponunt de præcepto, ut de S. Ambroſio, Hieronymo & Theophilacto oſtendit Cardenas in Criſi: ergo. Conf. Virgines non paratæ ad nuptias Matth. 25 dicuntur fatuæ; ſed fatuus in Scripturis ſignificat peccantem: ergo. Reſp. Quamvis aliqui Patres Scripturam videantur intelligere de præcepto, poſſunt tamen commode exponi de conſilio, quod ſæpe in ſenſu minus rigoroſo præceptum vocare ſolent. Sic S. Hieronymus in cap. 3 Malach. ait: *Quibus præceptum eſt vendere omnia, quæ habent, & dare pauperibus*; S. Ambroſius lib. 7 in cap. 11 Luc.: *Præcepti locus eſt, ut omnibus momentis, non ſolum diebus, ſed etiam noctibus oratio deferatur.* Pariter in ipſa Scriptura voces: debet, neceſſe eſt, oportet &c. non ſemper præceptum rigoroſum ſignificant; alias deberemus ex præcepto ſemper orare, ante ſumptionem Evchariſtiæ lavare pedes &c. Ad Conf. Conc. Maj. Diſt. min. Fatuus ſignificat peccantem ſemper actu, Neg. min. vel actu, vel antea, & modo ſe non emendantem, Conc. min. & Neg. Conſ. Virgines illæ in Scriptura dicuntur fatuæ, quia peccarunt prius omittendo bona opera præcepta, quæ per oleum ſignificantur.

35 Obj. 2. Ex una parte naturali lege charitatis erga ſeipſum quilibet tenetur vitare periculum æternæ damnationis: ex altera parte quilibet peccator eſt ſemper in periculo ſubitaneæ mortis: ergo. Conf. Qui contrahit grave malum corporis, tenetur illud ſtatim a ſe amoliri: ergo multo magis grave malum animæ, præſertim quia in ſtatu peccati facit mera opera mortua, & nihil de condigno poteſt mereri, adeoque ſe fraudat maximo bono ſpiri-

rituali Resp. Dist. Ant. tenetur vitare periculum æternæ damnationis proximum, aut propinquum, Conc. Ant. periculum communiter & moraliter loquendo valde remotum, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & sub eadem distinctione quoad alterum. Nam incomparabiliter plures, imo milleni, & milleni non moriuntur morte improvisa statim post perpetratum peccatum. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Malum corporis tunc tantum tenemur avertere, si alias morbus nimium ingravesceret, aut nos impediret a functionibus præceptis, quale incommodum per se non statim causat status peccati; neque enim semper obligamur agere meritorie, alias graviter peccarent, qui omitterent frequentem usum Sacramentorum, & non sequerentur consilia evangelica.

Dices 1. Ad periculum propinquum non 36 requiritur, ut plures in eo pereant, quam non pereant, sed sufficit, modo pereant simpliciter multi; alias neque milites in prælio propinquum mortis periculum subirent. Conf. Juxta communem Theologorum sine gratia sanctificante non potest diu observari tota lex naturalis, & ipsa experientia testatur, quod, qui raro v. g. semel tantum in anno confitentur, plurium peccatorum sarcinam circumferant, quia ut S. Gregorius Homil. 11 in Ezech. ait: *Justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem in culpam alteram permittit cadere:* ergo status peccati infert periculum propinquum novi peccati. Resp. Dist. Ant. sufficit, modo pereant simpliciter multi, si simul aliquid adsit, quod justum, & magnum mortis propinquæ timorem incutiat, ut facit imminens prælium, in quo valde multi perire, & vere omnes periculo mortis subjici solent, Conc.

Ant. ſecus, Neg. Ant. Alias qui cubitum concedit, aut aliquando altius ſcandit, ſemper eſſet in propinquo periculo mortis, quia plurimi in ſimilibus occaſionibus mortui ſunt. Ad Conf. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. Cauſat periculum novi peccati mere remotum, & indeterminatum, Conc. Conſ. propinquum, & determinatum, Neg. Conſ. Theologi, & S. Gregorius loquuntur de caſu, quo quis in ſtatu peccati manet diu, ubi etiam juxta nos datur periculum propinquum.

37 Dices 2. Ad periculum morale, & propinquum peccati ſufficit, ſi peccatum poſtea ſequatur, licet non fiat eodem momento, vel hora; neque intereſt, ſive poſt ſe trahat peccatum determinatum, ſive indeterminatum; utroque enim animæ idem damnum infertur. Conf. Si ſtatus peccati tantum haberet conjunctum periculum mortis, aut peccati remotum, liceret pœnitentiam differre diu e. g. per plures annos, vel usque ad articulum mortis. Reſp. Neg. ſuppoſitum, quod detur periculum propinquum, ne peccatum poſtea ſequatur, ſi pœnitentia non differatur diu. Item quod detur periculum propinquum peccati indeterminati; ſed ipſum periculum dixi indeterminatum eſſe, quia non ſatis eſt exploratum, ex qua cauſa determinate proveniat, an ex abſentia gratiæ ſanctificantis, an ex amore ſæculi, aut fuga bonarum occaſionum, ex neglectu orationis, aut aliorum piorum operum, quæ omnia, ſi ſub peccato gravi vitare teneremur, obligatio eſſet nimis gravis, & ex ſimili ratione graviter teneremur vitare peccata venialia, deſerere militiam, mercaturam &c. Ad Conf. iterum Nego, quod in tali caſu periculum maneat remotum. Præterea obligatio non differendi pœni-

nitentiam nimis diu aliunde probatur, ut patebit ex quæst. sequent.

Obj. 3. Quilibet ex charitate erga Deum tenetur quovis momento abstinere a peccato gravi, & se ab illo avertere: ergo ad hoc statim tenetur post admissum peccatum, quia alias continuat inimicitiam cum Deo. Conf. Qui gravem inimicitiam contraxit cum proximo, statim debet reconciliari juxta illud Matth. 5 v. 23: *Si offers munus tuum ad altare &c.*: ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Qui non statim pœnitet, inimicitiam cum Deo solum continuat negative, quatenus omittit reconciliationem, quæ continuatio mere negativa nullam gravem turpitudinem includit, neque virtualem, aut interpretativum contemptum, cum possit stare cum probabili spe, & seria voluntate amicitiam reparandi, quando urgebit obligatio: dum vero homo actu peccavit, Deum positive offendit, & animæ gravissimum malum intulit, eamque in novum periculum æternæ damnationis conjecit. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Deus intuetur cor, non item proximus, qui semper potest suspicari odium, & inimicitiam positivam perseverare, adeoque semper tristari, & scandalum pati, nisi aliunde ipsi innotescat, odium positivum ab inimico suo esse depositum, quo casu inimicus non teneretur statim elicere novum amorem, & inire strictiorem amicitiam. 38

Dices 1. Qui non statim agit pœnitentiam, vult perseverare in statu inimicitiæ cum Deo; atqui hoc est malum, sicut vicissim honestum est perseverare in bono. Conf. Qui vult antecedens, vult etiam consequens cum ipso connexum: ergo qui vult dilationem pœnitentiæ, vult etiam inimicitiam cum Deo, utpote necessario cum dilatione pœnitentiæ connexam. 39

Resp.

Reſp. Diſt. Maj. Vult perſeverare in ſtatu inimicitiæ cum Deo voluntate poſitiva, & directa, Neg. Maj. voluntate ſolum negativa, & indirecta, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Qui differt pœnitentiam, ideo neque ſtatum ſuum, neque peccatum poſitive approbat, vel in eo ſibi complacet, ſed habet ſe mere permiſſive non adhibendo medium, quo perſeverantia in peccato tolleretur. Porro etiam ille tantum proprie honeſte agit, qui perſeverantiam in bono voluntate directa, & poſitiva optat, aut deſiderat. Ad Conſ. Diſt. Ant. Qui tale antecedens vult poſitive, vult etiam conſequens, Conc. Ant. qui illud tantum vult negative, Subdiſt. vult conſequens, ſi illud teneatur impedire, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Imo dilatio pœnitentiæ videtur tantum per accidens connexa cum inimicitia Dei, quia per accidens eſt, quod omiſſionem pœnitentiæ præceſſerit peccatum mortale hactenus a Deo nondum remiſſum.

40 Dices 2. Perſeverantia in ſtatu inimicitiæ cum Deo eſt ſaltem mala objective: ergo ſi accedat voluntas, qua homo non vult pœnitere, ſit mala formaliter. Conf. Qui per peccatum hæreſis amiſit fidem, debet illam per actum fidei quamprimum recuperare: ergo etiam charitas Dei per peccatum perdita ſtatim debet recuperari. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ſit formaliter mala, ſi accedat voluntas, qua homo non vult pœnitere, etſi hic, & nunc detur obligatio pœnitendi, Conc. Conſ. ſecus, Neg. Conſ. Etſi peccator per actum poſitivum ſe reſolvat, quod hic, & nunc nolit elicere actum pœnitentiæ, hæc tamen voluntas ſolum erit permiſſiva, quamdiu non habet tendentiam incompoſſibilem cum propoſito ſaltem habi-

bi-

bituali tendendi ad ſuum finem ultimum, & pœnitendi, quando urgebit obligatio. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Cum fides ſit initium ſalutis, & fundamentum omnium virtutum, & actuum ſupernaturalium, major videtur illius neceſſitas, & obligatio, ſimulque in eliciendo actu fidei minor datur difficultas. Imo videtur per ſe gravis injuria irrogari infinitæ veracitati, ſi Deo aliquid aſſerenti non ſtatim credatur.

Obj. 4. Qui grave damnum intulit pro- 41
ximo, aut ejus famam graviter læſit, tenetur ex juſtitia damnum ſtatim reparare, & famam reſtituere: ergo multo magis, qui graviter læſit Deum. Conf. Quivis ex charitate tenetur monere proximum, ut a lapſu reſurgat: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Proximus ex dilatione reſtitutionis ordinarie novum, ac majus patitur damnum, unde merito graviter eſt invitus. Econtra Deus ob peccatum præciſe præteritum nullum novum damnum patitur, hinc ad ſtatim pœnitendum non obligat, niſi forte per blasphemiam hæreticalem fuiſſet infamatus apud rudes; tunc enim infamans ſtatim teneretur non quidem agere pœnitentiam juſtificativam, attamen revocare errores, ne contemptus Dei magis creſcat. Ad Conf. Diſt. Ant. Si ex dilatione monitionis proximo immineret grave periculum novi peccati, impœnitentiæ, aut alterius gravis damni ſpiritualis, ac inſuper ſperetur aliquis fructus, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. eoquod ſecluſis iſtis circumſtantiis ipſemet non teneatur ſtatim pœnitere, & correctionem admittere.

Dices. Quandoque ex dilatione reſtitutio- 42
nis proximo nullum damnum emergit, & tamen merito eſt invitus: ergo. Conf. Licet valde difficile eſſet, ſi homo poſt admiſſum pec-

ca-

catum deberet pœnitere ſtatim in ſenſu phyſico, hæc difficultas tamen ceſſat, poſtquam æſtus concupiſcentiæ eſt ſedatus, & homo malitiam ſui peccati ſatis agnoſcit : ergo ſaltem tenetur pœnitere ſtatim in ſenſu morali. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Imprimis in æſtimatione morali eſt damnum ſatis magnum bona eſſe in manu aliena, & ſubjecta periculo jacturæ ; dein quod in caſu particulari nullum ſequatur damnum, eſt per accidens, leges autem attendunt ad id, quod eſt per ſe, & ad incommoda, quæ ſequerentur ex licentia univerſali reſtitutionem differendi : denique ſi Dominus nullum prorſus pateretur damnum, aut periculum ; ille autem, qui damnum intulit, difficulter poſſet ſtatim reſtituere, immerito videretur eſſe invitus, ſi reſtitutio aliquamdiu differretur. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Licet in his circumſtantiis non amplius eſſet tanta difficultas, nihilominus ipſe actus contritionis in ſe adhuc eſt ſatis difficilis, & præceptum ſtatim pœnitendi tale onus, quod a plerisque doctis, & piis non agnoſcitur, nec ſufficiente ratione probatur.

QUÆSTIO V.

Quando igitur præceptum pœnitendi obliget?

43 QUamvis Auctores defacto plerique conveniant, quod præceptum pœnitentiæ non ſtatim obliget poſt commiſſum peccatum grave, adhuc tamen in varias diſtrahuntur opiniones, dum tempus hujus obligationis determinare conantur. Quidam cum Vaſquez, Eſparza exiſtimant, licere potentiam differre usque ad articulum mortis. Alii cum Marſilio, Angelo &c. volunt, illam ſub peccato gravi

præ-

præceptam esse singulis diebus dominicis, & festis: antiquiores aliqui apud Suarez, quibus etiam favere videtur Pallavicinus, omnino contendunt, præceptum pœnitentiæ urgere, quotiescunque aliquis suorum peccatorum recordatur. Communis sententia est, hoc præceptum obligare quidem sæpius in vita, quin tamen tempus obligationis universaliter possit determinari.

Dicendum 1. Non licet pœnitentiam differre usque ad articulum mortis. Prob. Præceptum pœnitentiæ obligat peccatorem non solum ad cavendam impœnitentiam finalem, sed etiam ad cavendum illius periculum propinquum, & morale; atqui differens pœnitentiam usque ad articulum mortis in dies, & annos illam procrastinando se exponit periculo propinquo impœnitentiæ: ergo. Maj. patet ab inductione aliorum præceptorum, quæ non solum prohibent peccata sibi opposita, sed etiam ne quis morali illorum periculo se exponat. Minor probatur 1, quia ultimus articulus vitæ, & facultas rite pœnitendi ibi est valde incerta. 2. Quia pœnitentia eo usque dilata est valde difficilis, & raro vera juxta illud SS. Patrum, pœnitentia sera, raro vera. 3. Quia videtur esse communis persuasio fidelium, quod Deus hominibus tamdiu impœnitentibus gratias ad pœnitentiam finalem efficaces subtrahere soleat. 44

Dicendum 2. Per se non datur obligatio pœnitendi singulis diebus dominicis, & festis; ac multo minus quoties peccatorum occurrit memoria. Prob. utraque pars potissimum negative, quia hæc obligatio neque ratione, neque sufficiente auctoritate evincitur. Nam præceptum de observatione festorum solum jubet sanctificari dies festos per abstinentiam a labore 45

re servili, & auditionem sacri, quod utrumque fieri potest sine omni actu pœnitentiæ. Pariter recordatio peccatorum per se non habet vim inducendi obligationem toties pœnitendi, quæ non solum pluribus scrupulis, & anxietatibus foret obnoxia, sed ferme difficilior, quam illa, de qua egimus quæstione præcedente, ubi etiam adverti, quod si recordatio peccatorum tantum induceret periculum peccandi, ut sine actu pœnitentiæ tentatio vinci nequiret, detur quidem obligatio pœnitendi, sed tantum per accidens.

46 Dicendum 3. Præceptum pœnitentiæ graviter obligat non solum in articulo mortis, sed sæpius in vita. Partem 1 Suarius in 3 disput. 15 sect. 1 judicat esse certam. Cum enim præceptum pœnitentiæ certo obliget aliquando, & in altera vita non amplius possit impleri, certo debet impleri in articulo mortis, supposito quod id actum nondum fuerit. Pars 2 colligitur ex num, 44, & probatur ulterius, tum quia juxta communem Theologorum moraliter impossibile est, ut homo destitutus gratia sanctificante per longum tempus possit servare totam legem naturalem, & nova peccata gravia vitare: tum quia nimis inordinatum est longo tempore persistere in inimicitia cum Deo, ob quam rationem etiam præceptum charitatis singulis ad minimum quinquenniis per se obligat, ut constat ex propositione 6 damnata ab Innocentio XI. An vero præceptum naturale pœnitentiæ non etiam citius urgeat, consideratis circumstantiis personæ peccantis, firma valetudine, & gratiarum actualium spe, prudentis viri arbitrio relinquendum videtur.

47 Dices 1. Fideles non agnoscunt obligationem pœnitendi ante articulum mortis, sed quan-

quando citius agunt pœnitentiam, id ſolum faciunt ob præceptum Eccleſiæ, aut tædium vitæ præteritæ, vel aliam ſimilem cauſam: ergo. Conf. Quia hæc obligatio ferme æqualiter eſſet noxia, quam obligatio pœnitendi ſtatim poſt commiſſum peccatum. Reſp. Neg. Ant. Nam plerique agnoſcunt, valde periculoſum, & indecens eſſe tamdiu perſiſtere in ſtatu peccati mortalis, & licet ſæpe etiam moveantur ex aliis cauſis, nihilominus etiam præcepto poenitendi ſatisfaciunt; hinc de ejus transgreſſione non ſolent ſpecialiter ſe accuſare, merito exiſtimantes ſufficere, ſi confiteantur transgreſſionem præcepti eccleſiaſtici obligantis ad confeſſionem annuam. Ad Conf. Neg. Ant. Cum enim tempore longo multo plures occurrant occaſiones pœnitendi, & Deus peccatores variis gratiis excitet, utique huic præcepto facilius poteſt ſatisfieri, quam ſi obligaret ſtatim poſt peccatum commiſſum. Accedit, quod ob dilationem pœnitentiæ majus periculum æternæ damnationis immineat.

Dices 2. Peccatum commiſſum ſemper de- 48
bet diſplicere, & qui Deo vocanti ad pœnitentiam reſiſtit, de novo peccat: ergo præceptum pœnitentiæ obligat, quoties peccatorum memoria occurrit. Conf. Talis actus: Scio quidem, quod præterita actio mea Deum graviter offenderit, nolo tamen eam hic, & nunc retractare, licet Deus hanc meam nolitionem cognoſcat, eſſet magnus contemptus Dei, ut videtur colligi ex paritate cum Principe terreno; atqui ita tenderet, qui occurrente peccati memoria non pœniteret: ergo. Reſp. Diſt. Ant. peccatum commiſſum ſemper debet diſplicere poſitive, Neg. Ant. negative, in quantum pœnitentia prior nunquam poteſt retractari, Conc. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt.

etiam alterum, qui Deo ſub aliqua obligatione vocanti reſiſtit, peccat, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ. Ad Conf. Diſt. Maj. Talis actus eſſet contemptus Dei, ſi quis irrogatam Deo injuriam nollet retractare eo modo, quo Deus exigit, Conc. Maj. ſi nollet ſolum retractare modo quidem laudabili, ſed a Deo non præcepto, Neg Maj. Aliud forte eſſet de retractatione externa coram Principe, cui ipſum cor ſubditorum non eſt perſpectum.

49 Dices 3. Actio de ſe indifferens, aut leviter tantum peccaminoſa, non poteſt fieri graviter peccaminoſa, niſi accedat circumſtantia, quæ vi ſua inducat amiſſionem ultimi finis; ſed dilatio pœnitentiæ de ſe eſt indifferens, aut ſaltem non graviter peccaminoſa, & tam parum ex vi ſua inducit privationem ultimi finis, quam peccatum veniale, cum finis ultimus adhuc obtineri poſſit, modo poenitentia in articulo mortis agatur. Conf. Poteſt eſſe æque probabile, quod peccator per plures annos ſit victurus, & pœnitentiam acturus, quam ſtatim poſt commiſſum peccatum: ergo. Reſp. Diſt Maj. niſi talis circumſtantia ſaltem inducat grave periculum de novo peccandi, aut graviter oppoſita ſit debitæ ordinationi ad Deum, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. & ſic diſtinct. min. Conſ. Ratio diſtinctionis patet ex num. 46 & paritate cum actu charitatis. Hinc ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Tum quia leges non attendunt ad id, quod eſt per accidens, tum quia obligatio non differendi pœnitentiam daretur, etiamſi non eſſet periculum impœnitentiæ finalis.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De reviviſcentia meritorum, & reditu peccatorum.

OPera humana reſpectu meriti in triplici claſ- 50
ſe ſunt; alia enim ſunt viva, quæ ſunt ſupernaturalia, & facta in ſtatu gratiæ; alia mortua, hoc eſt facta in ſtatu peccati mortalis: alia mortificata, quæ quidem in ſtatu gratiæ facta ſunt, ſed per peccatum ſubſequens a ſuo effectu impedita. Quod opera mortua non reviviſcant, docet communiſſima cum S. Thoma 3 part. q. 89 a. 6 in corp. ex illo S. Pauli 1 ad Cor. 13 v. 3: *Etſi diſtribuero in pauperes omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* De operibus mortificatis rurſus Theologi communiſſime tenent, quod poſt pœnitentiam reviviſcant, ita ut Bannez contrariam opinionem errori proximam; Suarez vero erroneam appellet. Ratio optima eſt voluntas Dei auctoritate Scripturæ, & Patrum nobis manifeſtata.

Nam S. Paulus, ut Hebræos poſt Baptiſ- 51
mum lapſos remuneratione præteritorum operum ad pœnitentiam animet 1 ad Hebr. 6 v. 10 ita ſcribit: *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis, & miniſtratis*; ubi advertendum verba *Miniſtraſtis, & miniſtratis* accipienda eſſe diverſimode in hoc ſenſu, quod Deus non obliviſcatur illorum operum, quæ miniſtraverunt in gratia, quatenus reddit præmium æternæ gloriæ, quod illa opera meruerunt de condigno: neque eorum, quæ miniſtrant nunc in ſtatu peccati, quia dabit Spiritum compunctionis ad reſurgendum, quod merentur illa opera de congruo.

Idem Apoſtolus ad Galat. 2 v. 1 & ſeq. lapſos ita alloquitur: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit? tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa*; Concilium quoque Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 16 ait: *Hac ratione juſtificatis hominibus, ſive receptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda eſſe Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non ſit inanis in Domino.*

52 Ex his Suarez, Lugo aliique colligunt, quod opera mortificata per pœnitentiam reviviſcant non ſolum ad præmium accidentale, aut aliquam illius partem, ſed ad totum præmium eſſentiale gratiæ, & gloriæ, quod ipſis prius de condigno reſpondebat. Ratio eſt 1, quia textus citati, dum reviviſcentiam meritorum afferunt, loquuntur indefinite nulla facta limitatione ad hoc, vel illud præmium. 2. Quia Ezech. 18 v. 21 Deus promittit: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, & cap. 33 v. 20: *Iniquitas impii non nocebit ei, in quocunque die converſus fuerit ab iniquitate ſua.* Atqui Deus iniquitatis adhuc recordaretur, eaque multum noceret impio, niſi merita ad totum præmium eſſentiale reviviſcerent. Certe Sancti in cælis etiam habent gaudium accidentale de operibus bonis, quæ in ſtatu peccati mortalis fecerunt, propterea tamen nemo dicit opera mortua reviviſcere.

53 Colligunt 2. Per pœnitentiam etiam reſtitui gratiam, quam quis prius ex opere operato per Sacramenta acquiſiverat; ſi enim impietas impii reſtitutionem gratiæ ex opere operato acquiſitæ impediret, multum ei noceret. Præterea merita noſtra ſecundum dicta reviviſcunt ad totum præmium eſſentiale gratiæ, & glo-

gloriæ: ergo congruum videtur, quod idem privilegium concessum sit meritis Christi per Sacramenta nobis applicatis. Dico applicatis, non enim omnia conceduntur nobis in actu secundo, quæ opera Christi merentur in actu primo; posito autem, quod ea opera jam in actu secundo nobis fructificaverint, Deus utique se non minus liberalem gerit cum meritis Christi, quam cum nostris. Interim non nego, quod in reviviscentia meritorum Deus novam liberalitatem erga nos exerceat, cum ea non videatur esse debita ex ipsa natura rei.

Quod peccata attinet, si semel per pœni- 54
tentiam remissa fuerunt, per lapsum non redeunt formaliter, & ita, ut hominem de novo faciant dignum odio, & pœna, licet peccatum relapsus cæteris paribus sit gravius ratione ingratitudinis pro beneficio remissionis; hinc Deus in pœnam novi peccati subtrahere solet uberes gratias tum ad pœnitentiam rursus agendam, tum ad vitanda nova peccata, imo etiam infligere pœnas temporales, nondum inflicturus, nisi mensura per relapsum fuisset impleta, quod juxta phrasim Theologorum significat, peccata redire virtualiter. Ex quibus intelligitur, quo sensu Gelasius Papa cap. divina 24 de pœnit. dist. 4 dixerit: *Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur*; & S. Prosper in resp. ad object. Gall.: *Qui recedit a Christo, & alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit?* sed non in id, quod remissum est, recidit.

Porro peccata semel remissa non ampli- 55
us redire formaliter, ulterius probatur ex eo, quia alias remissio non fuisset absoluta, sed veluti conditionata sub conditione perseverantiæ in accepta justificatione; hoc autem

dici nequit. Nam 1 in forma absolutionis nulla talis conditio intelligitur, aut exprimitur. 2. Tali ratione peccata non penitus tollerentur, & destruerentur, sed quasi tegerentur, & consopirentur, quod est contra Scripturam: *Ecce! agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Joan. 1 v. 29; *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*, Psal. 102 v. 12. Denique 3 obligatio ex parte hominis propter peccatum dimissum rursus subeundi divinam indignationem, & ultionem esset quædam peccati macula, moraliter inhærens animæ: ergo homo non penitus mundaretur, cum tamen denuo Scriptura dicat: *Lavabis me, & super nivem dealbabor*, Psalm. 50 v. 9; *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*, Isa. 1 v. 18.

56 Dices 1. Deus Ezech. 18 v 21 ait: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*; & v. 24: *Si autem averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ, quas fecerat, non recordabuntur.* Similia habentur cap. 33: ergo vel merita mortificata non reviviscunt, vel etiam peccata deleta per relapsum redeunt. Conf. David Psalm. 78 v. 8 orat: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*; & Ecclesiasticus cap. 5 v. 5 monet: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Sensus textuum objectorum est, quod sicut peccata præterita non nocebunt pœnitenti in ordine ad pœnam æternam, si in accepta justitia perseveraverit: sic merita præterita non proderunt peccatori, si perseveraverit, & decesserit in peccato; quod autem in ordine ad reviviscentiam inter merita, & peccata non sit eadem ratio, patet ex adductis probatio-

nibus

nibus. Ad Conf. S. David loquitur de memoria iniquitatum relate ad mala temporalia, quæ in illo Pſalmo deſcribit ; Eccleſiaſticus autem merito vult , ut ſimus ſoliciti , quia non certo ſcimus , an peccatum antecedens revera nobis ſit remiſſum.

Dices 2. Matthæi 18 narratur, quod Rex 57
a ſervo, cui prius debitum remiſerat, poſtquam is rurſus peccavit , illud ipſum debitum repetierit, eumque ideo puniverit, quam parabolam SS. Patres de reditu peccatorum interpretantur. Imo ipſe Chriſtus v. 35 ait : *Sic & Pater meus faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo ex cordibus veſtris.* Conf. Deus per relapſum aufert gratiam, quam abſolute contulerat : ergo etiam remiſſionem præteritorum peccatorum. Reſp. Sicut in aliis parabolis non intenditur exacta ſimilitudo quoad omnia, ſed præcipue attendi debet ſcopus , ad quem ordinantur : ſic Chriſtus non voluit docere, quod Deus Pater expetiturus ſit debita remiſſa , ſicut illa Rex exegit, ſed tantum voluit inſtituere aliquam ſimilitudinem generalem conſiſtentem in eo, quod Deus graviter ſit puniturus crudelitatem in fratres, ſicut ille Rex punivit, quod ſufficit ad ſcopum hujus parabolæ. Conſequenter ex hac parabola ad ſummum infertur , quod peccata per relapſum redeant virtualiter, de quo reditu virtuali etiam explicandi ſunt SS. Patres , qui communi doctrinæ adverſari videntur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Relapſus pugnat cum gratia, ideo hæc quoad conſervationem tantum confertur conditionate : at relapſus non pugnat cum eo , quod Deus nolit reſumere odium propter peccatum præteritum jam remiſſum.

 DI-

DISPUTATIO II.

De Sacramento pœnitentiæ.

58 Sacramentum pœnitentiæ definiri poteſt, quod ſit a Chriſto Domino inſtitutum, ut per juridicam Sacerdotis abſolutionem homini contrito, & confeſſo remittantur peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Ex quibus patet, quanta cum virtute pœnitentiæ connexionem habeat, unde multa, quæ præcedente diſputatione de hac virtute dicta ſunt, nunc etiam Sacramento poenitentiæ applicari debent, ut tum illius eſſentia, tum etiam efficacia & neceſſitas clarius appareat.

QUÆSTIO I.

An pœnitentia ſit Sacramentum?

59 Quamvis multi ex antiquis hæreticis Sacramento pœnitentiæ bellum indixerint, nihilominus ratio Sacramenti eidem a nemine ante ſæculum XVI ſimpliciter denegata videtur, niſi forte id factum ſit a Novatiano, quin tamen ipſius diſcipuli poſtea huic errori adhæſerint. Apertius quidem, ſed minus conſtanter eundem docuit Lutherus, & Melanchton, qui pœnitentiam eſſe Sacramentum modo affirmarunt, modo negarunt. Denique ſententiam negativam ſtabiliter amplexi ſunt non ſolum Zwinglius, & Calvinus cum ſuis ſectatoribus, ſed etiam multi Lutherani, quibus ſæculo elapſo acceſſit Marcus Antonius de Dominis Spalatenſis Archiepiſcopus, & Apoſtata, ut patet ex illius libro 5 de Repub. chriſtian. cap. 12.

Di-

Dicendum. Pœnitentia, prout in Ecclesia 60
Christi administratur, est verum, & proprie dictum Sacramentum novæ legis. Prob. 1 ex verbis Christi Joan. 20 v. 21 & seq.: *Sicut me misit Pater, sic ego mitto vos; hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus colligitur 1, pœnitentiam esse signum quoddam sensibile, seu ritum externum, qui partim in confessione externa, & dolorosa poenitentis, partim in verbis, & sententia judiciali Sacerdotis absolventis consistit; quomodo enim alias sacerdos sententiam ferre, aut pœnitens scire posset, se absolutum, vel ligatum fuisse. 2. Ritum hunc a Christo fuisse immediate institutum, & imperatum; nam hoc non magis indicant verba: *Ego mitto vos*, quam illa: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* 3. Hunc ritum externum esse signum efficax, & practicum, annexam habens promissionem gratiæ sanctificantis, quia per illum remittuntur peccata, quod nunquam fit sine infusione gratiæ; atqui his tribus conditionibus constitui, ac definiri rationem Sacramenti ipsi sectarii fatentur.

Probatur 2 ex traditione, & doctrina SS. 61
Patrum, quorum aliqui pœnitentiam in terminis vocant Sacramentum, uti Hieronymus lib. 1 contra Pelag. Victor Cartennensis lib. de pœnit. cap. 20, Gregorius Nyss. lib. de vita Moysis. Alii quando de Sacramentis, quæ ab ipsis novatoribus agnoscuntur, mentionem faciunt, illis adjungunt poenitentiam. Sic S. Ambrosius lib. 1 de pœnit cap. 7 ait: *Nihil interest, utrum per pœnitentiam, vel lavacrum hoc jus* (remittendi peccata) *Sacerdotes sibi datum vindicent: idem in utroque mysterio est;* S. Augustinus epist.

 180

180 ad Honoratum: *Si ministri adsint, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur*; S. Chrysostomus lib. 3 de Sacerdot.: *Neque enim solum, cum nos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent.* Idem semper docuit Ecclesia Græca, & Latina: idem definivit concilium Lateranense, Florentinum, & Tridentinum, quod sess. 14 can. 1 anathema dicit asserenti: *In catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere, ac proprie Sacramentum pro fidelibus ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum.*

Objectiones.

62 OBj. 1. Ex una parte Scriptura pœnitentiam nullibi vocat Sacramentum: ex altera parte verba Joannis a nobis citata tantum loquuntur de remissione peccatorum per prædicationem & fidem, ut exponunt plures SS. Patres cum Hieronymo in cap. 44 Isai. ubi ait: *Solvunt eos Apostoli sermone Dei, testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum*: ergo. Conf. Gregorius Magnus Homil. 26 in Evang. docet, peccatores prius ad vitæ gratiam revocari, quam a Sacerdote absolvantur, idque probat exemplo Lazari a Christo prius resuscitati, quam a discipulis solveretur. Resp. Transf. Ant. quoad 1 membrum, Neg. quoad 2. Quippe Christus per verba citata dedit Apostolis potestatem solvendi, & ligandi, quæ non consistit in sola prædicatione, aut excitatione fidei; quamquam per ipsum Sacramentum pœnitentiæ fides possit excitari concomitanter, sicut in Baptismo. Quando igitur S. Hieronymus aliique Patres verba Joannis etiam aliis modis explicant, loquuntur minus proprie per aliquam extensio-

tenſionem, nec ullus eſt, qui noſtram expoſitionem reſpuat. Ad Conf. S. Gregorius non agit de gratia habituali, & vita ſpirituali perfecta, ſed de vita ſpirituali ſolum inchoata, quæ conſiſtit, in reſurrectione per gratiam actualem, & in actibus fidei, ſpei, timoris &c.

Dices. Si ex poteſtate ſolvendi Apoſtolis 63
tradita poſſet inferri actio ſacramentalis, etiam talis poſſet inferri ex poteſtate ligandi; hoc abſurdum; quis enim dicat homines ligari per aliquod Sacramentum. Conf. Chriſtus apud S. Joannem Apoſtolis ſolum dedit eam poteſtatem, quam exercuerunt; atqui nullibi aliter illam exercuerunt quam prædicando, neque facile apud primæ ætatis ſcriptores quidquam de hoc Sacramento invenitur: ergo. Reſp. Neg. Maj. Nam poteſtas ligandi potius exercetur peccatoribus reconciliationem, & gratiam ſacramentalem negando, donec ſe ad illam ſatis diſpoſuerint. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. Cum Apoſtolis poteſtas clavium clare fuerit conceſſa, & demandata; prorſus incredibile eſt, quod hanc Chriſti voluntatem non impleverint, licet primis temporibus fideles hoc remedio forte rarius indiguerint, & Patres ſermones ſuos potiſſimum direxerint ad gentiles, & catechumenos. Nihilominus frequenter etiam meminerunt pœnitentiæ, ut conſtat ex Tertulliano, Cypriano, Cyrillo Alexandrino aliisque.

Obj. 2. Eadem eſt pœnitentia in lege no- 64
va, quæ fuit in veteri; atqui pœnitentia veteris legis non fuit Sacramentum: ergo. Conf. Ipſe Petrus Apoſtolus Act. 10 v. 43, & Paulus Act. 26 v. 22 affirmant, ſe de pœnitentia, & remiſſione peccatorum non aliter docuiſſe, quam Prophetas, qui nullum pœnitentiæ Sacramentum docuerunt. Reſp. Diſt. Maj. eadem

dem eſt pœnitentia utriusque legis in ratione virtutis, Conc. Maj. in ratione Sacramenti, Neg. Maj. Nam in veteri teſtamento Deus Sacerdotibus non dixit: *Quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta*; neque tunc pœnitentia remiſſionem peccatorum ex opere operato cauſavit, ſed tantum ex opere operantis impetravit. Ad Conf. Petrus loco objecto tantum ait, quod juxta teſtimonium Prophetarum omnes, qui credunt in Chriſtum, accipiant remiſſionem peccatorum per nomen, & merita ipſius. Paulus vero, quod de adventu, paſſione, & reſurrectione Chriſti nihil aliud afferat, quam quod Prophetæ prænuntiarunt. Facit quidem v. 20 etiam mentionem pœnitentiæ, ſed non ait, quod de illa in nova lege nihil aliud docuerit, quam Prophetæ de pœnitentia legis antiquæ.

65 Dices. Etiam in lege veteri miniſtri Dei multis confitentibus ſua peccata remiſerunt, uti Propheta Nathan Davidi; & tamen hæc remiſſio non fuit Sacramentum: ergo. Conf. Chriſtus Magdalenæ, paralitico &c. remiſit peccata ſine Sacramento pœnitentiæ; antequam autem Joan. 20 v. 23 dixit Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata &c.*, præmiſit: *Sicut me miſit Pater, ſic ego mitto vos.* Reſp. Neg. Ant. quoad 1mum membrum. Nathan remiſſionem peccatorum Davidi ſolum nunciavit, neque dixit: Transfero peccatum tuum, ſed Deus peccatum tuum tranſtulit. Ad Conf. Quamvis Chriſtus Magdalenæ, paralitico, aliisque nondum baptizatis peccata remiſerit ſine Sacramento pœnitentiæ, non tamen voluit, ut Apoſtoli remiſſionem peccatorum eodem modo exercerent, quo ipſe a Patre miſſus erat, ſed pro ipſis inſtituit ritum ſacramentalem, quo pœ-

pœnitentibus culpam remittere, & gratiam conferre valerent.

Obj. 3. Omne Sacramentum novæ legis 66
debet constare rebus, & verbis juxta illud S. Augustini tract. 80 in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; atqui pœnitentia non constat rebus, sed tantum verbis: ergo. Conf. Omnia Sacramenta in sua essentia univoce conveniunt; atqui cætera Baptismus, Eucharistia &c. habent pro materia rem corpoream, & visibilem: ergo. Resp. Dist. Maj. Sacramentum debet constare rebus, & verbis moraliter, & æquivalenter talibus, Conc. Maj. necessario physice, & stricte talibus, Neg. Maj. Per res, & verba in Sacramentis intelliguntur duæ partes, quarum una velut materia est indifferens, & ab altera tanquam forma determinatur, sicut confessio dolorosa per verba absolutionis determinatur ad Sacramentum poenitentiæ. S. Augustinus vero locutus est de Baptismo, ad quem utique necessaria est aqua elementaris. Ad Conf. rursus Dist. Maj. Omnia Sacramenta in sua essentia conveniunt univoce quoad modum significandi, & causandi gratiam, Trans. Maj. aliter, Neg. Maj. Neque enim quodlibet Sacramentum debet constare ex eadem materia, sed sufficit, si constet rebus, & verbis a Christo institutis.

Dices. In omni Sacramento tria possunt di- 67
stingui, videlicet Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, res Sacramenti & Sacramentum simul, ut patet ab inductione; atqui in poenitentia hæc tria non possunt distingui; ergo. Conf. In aliis Sacramentis, quæ consistunt in usu, materia proxima ponitur a ministro; hoc rursum non fit in poenitentia: ergo. Resp. Trans. Maj. quia hæc quæstio non pertinet ad fidem, sed præcise

cise ad opiniones scholarum, Neg. Min. Quippe confessio, & absolutio possunt dici Sacramentum tantum, quia non significantur, sed gratiam reconciliationis præcise causant, ac significant. Hæc ipsa gratia, & peccatorum remissio est tantum res Sacramenti, quia non significat, sed præcise significatur. Contritio denique est simul Sacramentum, & res Sacramenti: Sacramentum quatenus fit sensibilis per confessionem: Res Sacramenti, quatenus ex se non cadit sub sensus, sed per confessionem exprimitur. Ad Conf. Trans. totum. Ratio diversitatis est voluntas Christi instituentis, juxta quam materia proxima in Sacramento pœnitentiæ ab ipso pœnitente ponenda est.

QUÆSTIO II.

An Sacramentum pœnitentiæ sit distinctum a Baptismo, ejusque memoria?

68 Lutherus, Calvinus, Brentius &c. postquam Sacramentum pœnitentiæ e medio sustulerunt, inde in alium errorem prolapsi sunt; cum enim agnoscerent, peccatores post Baptismum lapsos Deo reconciliari posse, neque dicere auderent, quod hoc fiat sine Sacramento, docuerunt ipsum Baptismum, ejusque memoriam posse dici Sacramentum pœnitentiæ, quatenus in poenitentia per Baptismi memoriam excitetur fides, & fiducia in promissionem divinam de remissione peccatorum; hinc peccata a baptizatis commissa per Baptismum cogitatione, & memoria apprehensum non minus remitti, quam per Baptismum reipsa susceptum, imo majore facilitate, eoquod facilius sit Baptismi plene suscepti recogitare, quam reipsa baptizari.

Dicen-

Dicendum. Sacramentum pœnitentiæ eſt 69
diſtinctum a Baptiſmo, ejusque memoria. Ita definivit concilium Tridentinum ſeſſ. 14 can. 2, ubi anathematizat: *Si quis Sacramenta confundens ipſum Baptiſmum pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint; atque ideo pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari.* Prob. 1 ex Scriptura, in qua Baptiſmus, & pœnitentia proponuntur tanquam duo diſtincta remedia peccatorum, de Baptiſmo enim Matth 28 v. 20 dicitur: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c*; de pœnitentia Joan. 20 v. 23: *Quorum remiſeritis peccata &c.*; nuspiam vero legitur, quod Apoſtoli lapſos poſt Baptiſmum ad illius memoriam remiſerint, ſed ad poenitentiam. Sic 1 Joan. 1 v. 9 ad fideles dicitur: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus* (Deus) *ut remittat nobis &c.* Hinc Sacramentum pœnitentiæ habet longe aliam materiam, formam, ſubjectum, effectum, & miniſtrum, quam Sacramentum Baptiſmi, ut patet ex Tridentino ſeſſ. 24 cap. 2.

Probatur 2 auctoritate Patrum, qui paſ- 70
ſim non ſolum poteſtatem clavium magnopere laudant, & mirantur, ſed etiam cum S. Paulo 1 ad Cor. 5 unanimiter docent, peccata poſt Baptiſmum commiſſa difficilius condonari, & ideo peccatores ablegant ad labores pœnitentiæ, quam Baptiſmum laborioſum vocare ſolent. Imo expreſſe tradunt, peccata poſt Baptiſmum commiſſa non per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam remitti. Sic S. Auguſtinus epiſt. 98 ad Bonif. inquit: *Si infans poſt Baptiſmum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, ſed alia curatione ſanantur.* Similia habent Epiphanius hæreſ. 59, Chryſoſtomus lib. 3 de Sacerdotio, Joannes Damaſce-

nus

nus lib. 4 de fide cap. 10 &c. apud Bellarm. lib. 1 de pœnit. cap. 13. Certe memoria S. Evchariſtiæ non minus excitat fidem, & fiduciam promiſſionis divinæ de remiſſione peccatorum, quam Baptiſmus, neque tamen memoria Evchariſtiæ juxta Novatores æque juſtificat, ac ſuſceptio illius actualis.

Objectiones.

71 OBj. 1. Sacra Scriptura effectum Baptiſmi modo deſcribit per tempus præteritum: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, ad Tit. 3 v. 5; modo per tempus præſens: *Vos nunc ſalvos facit Baptiſma*, 1 Petr. 3 v. 21; modo per futurum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, Marc. ult. v. 16: ergo Baptiſmus delet peccata cujuscunque temporis. Conf. Fœdus, quod Deus nobiscum in Baptiſmo pangit, ſtat in perpetuum: *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, Oſ. 2 v. 19: ergo ad obtinendam veniam peccatorum ſufficit fides, & fiducia in promiſſionem divinam. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut de aliquo pharmaco dici poteſt, quod profuerit Petro heri, Paulo proſit hodie, Andreæ autem profuturum ſit cras, licet non proſit, niſi quando eſt præſens: ſic de Baptiſmo poteſt quidem dici, quod deleat peccata futura, ſed tantum tunc, quando actu ſuſcipitur, & peccata, quæ jam prius fuerunt commiſſa. Ad Conf. Diſt. Ant. Foedus ſtat in perpetuum, niſi ipſe peccator pactum cum Deo violet, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. nam tunc ad illud reſtaurandum novo indiget remedio.

72 Dices. Baptiſmus per peccatum non deletur, ſed manet ſaltem in mente, & memoria baptizati: ergo ſemper ſervit ad remittenda

pec-

peccata. Conf. Baptiſmus Chriſti idem eſt cum Baptiſmo Joannis ; ſed hic fuit Baptiſmus pœnitentiæ : *Fuit Joannes in deſerto baptizans , & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* , Marci 1 v. 4. Reſp. Neg. ſuppoſitum, quod hæc permanentia præciſe intentionalis ſit proprie talis, & ad remiſſionem peccati ſufficiat ; alias etiam memoria Evchariſtiæ haberet eundem effectum, quem actualis illius ſumptio , conſequenter fruſtra repeteretur. Ad Conf. Neg. Maj. Baptiſmus Joannis non cauſavit gratiam ſanctificantem, multo minus remiſſionem plenam peccatorum ex opere operato, nec indelebilem characterem impreſſit ; hinc Act. 20 legimus, S. Paulum Baptiſmo Chriſti iterum baptizaſſe quosdam diſcipulos, qui dixerant ſe baptiſmo Joannis baptizatos fuiſſe. Ipſe quoque Joannes Matth. 3 v. 11 dixit : *Ego vos baptizo in aqua, qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto.*

Obj. 2. In Scriptura Baptiſmus , & pœ- 73
nitentia paſſim conjunguntur. Sic Act. 2 v. 38 dicitur : *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine JEſu Chriſti in remiſſionem peccatorum ;* Luc. 24 v. 46 & 47: *Sic oportebat Chriſtum pati , & reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.* Conf. Quando Apoſtoli dignos baptizarunt , indignos vero a Baptiſmo excluſerunt, vere ſolverunt, & ligarunt: ergo. Reſp. Diſt. Ant. ſæpe conjunguntur Baptiſmus , & pœnitentia, quæ agenda eſt ante Baptiſmum de peccatis prius commiſſis, Conc. Ant. quæ agenda eſt poſt Baptiſmum de peccatis poſtea commiſſis , & quæ ſola Sacra-

mentum eſt, Neg. Ant. & Conſ. nam ejusmodi textus agunt de converſione Judæorum, ac gentium ad fidem. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Licet aliqui Patres exiſtiment, poteſtatem ſolvendi, & ligandi etiam in Baptiſmate exerceri, omnes tamen fatentur, Apoſtolis inſuper competiiſſe poteſtatem ſolvendi, aut ligandi poſt Baptiſmum lapſos per ſententiam in Sacramento pœnitentiæ latam.

74 Dices. Verba Lucæ 24 v. 46: *Sic oportebat Chriſtum pati &c.* Item illa Matth. 28 v. 19: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* eodem tempore a Chriſto dicta ſunt, quo illa Joan. 20 v. 22: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.*: ergo omnia debent intelligi de ſolo Baptiſmo. Conf. S. Auguſtinus lib. 3 de Confeſſ. Evang. cap. 25 ait: omnia verba ſupra relata pertinere ad eandem Chriſti apparitionem. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Verba relata a Luca, & Matthæo ad ſolos infideles ſpectant, verba autem Joannis principaliter baptizatos reſpiciunt, proprias videlicet Chriſti oves, ſupra quas jam Matthæi 16, & 18 Petro, & Apoſtolis poteſtatem judicialem promiſerat: neque S. Joannes ſolet repetere, quæ ab aliis Evangeliſtis ſcripta fuerunt, niſi forte cum aliquid addendum judicat; hinc omnes Patres textum Joannis intellexerunt de poteſtate remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, & Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 1 damnat eorum commentitias interpretationes, qui textum illum ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & denunciandi Evangelium detorquent. Ad Conf. eadem eſt reſponſio, quia nihil obſtat, quo minus Chriſtus in eadem apparitione de diverſis rebus loqui,

qui, variasque poteſtates Apoſtolis concedere potuerit.

Obj. 3. SS. Patres nominatim Fulgentius lib. de fide ad Petrum, quem alii S. Auguſtino tribuunt, Baptiſmum Chriſti appellant Sacramentum fidei, & pœnitentiæ, & S. Pacianus ſerm. ad competentes ait: *Semel abluimur, ſemel liberamur: tenete fortiter, quod accepiſtis, ſervate feliciter, amplius peccare nolite:* ergo judicarunt præter Baptiſmum nullum eſſe Sacramentum, quo peccata remittantur. Conf. Paulus Sarpi in hiſtoria concilii Tridentini refert, Ambroſium Pelargum Electoris Trevirenſis Theologum Patres monuiſſe, verba Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata*, vix ab ullo exponi de Sacramento pœnitentiæ. Reſp. Conc. Ant. Neg Conſ. Patres ſolum ideo Baptismum vocant Sacramentum pœnitentiæ, quia in adulto ad Baptiſmum fructuoſe ſuſcipiendum aliqua pœnitentia, ſeu retractatio peccatorum requiritur. S. Pacianus commendat quidem efficaciam Baptiſmi, & hortatur competentes ad conſervandam innocentiam in eo acceptam, at per hoc neutiquam negat, poſtea lapſis ſupereſſe Sacramentum pœnitentiæ. Ad Conf. Relationem Pauli Sarpi falſam eſſe oſtendit Pallavicinus in hiſtoria ejusdem concilii lib. 12 num. 7. 75

76 Dices. S. Auguſtinus lib. de nuptiis cap. 33 ait: *Eodem lavacro regenerationis, & verba ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundari, atque ſanari non ſolum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur.* Eadem repetit de peccat. orig. cap. 39, & 40, ac lib. 3 cap. 6 contra duas epiſt. Pelag. Conf. Tractatu 121 in Joan. docet, peccata dimitti per charitatem

Ecclesiæ. Resp. Dist. Ant. S. Augustinus docet, omnia peccata remitti per Baptismum tanquam causam proximam, Neg. Ant. tanquam causam remotam, quatenus a Baptismo tanquam radice vitæ spiritualis omnia bona opera, Sacramenta, & ipsa vita æterna dependet, Conc. Ant. S. Doctor verbis objectis statim subdit: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur? vel postea, nisi præcederet*, & lib. 3 contra duas epist. Pelag.: *Si quæsieris, utrum per idem lavacrum omni prorsus modo jam nos fecerit salvos? respondebo, res non ita est.* Ad Conf. Dist. Ant. peccata dimitti per charitatem tanquam causam effectivam, Neg. Ant. tanquam causam impetratoriam, Conc. Ant. Quod S. Augustinus Sacramentum pœnitentiæ admiserit, clare constat ex probatione secunda.

77 Quæres: Quando Sacramentum pœnitentiæ a Christo fuerit institutum. Resp. ex concilio Tridentino, tunc potissimum, quando Christus a mortuis excitatus insufflavit in discipulos, Joan. 20 dicens: *Quorum remiseritis peccata &c.*, ubi ex universo Patrum consensu, ut sess. 14 loquitur Tridentinum, potestas remittendi, & retinendi peccata Apostolis, & legitimis illorum successoribus respectu post Baptismum lapsorum fuit concessa; quamquam Christus potestatem clavium, Matth. 16, & 18 Apostolis jam promiserit, eosque jam in ultima cœna creaverit Sacerdotes, ut adeo jam tunc obtinuerint remittendi peccata aliquam potestatem inchoatam, & incompletam. De S. Thoma dubium est, quando hanc potestatem plene acceperit, quia illo tempore, quando Christus in discipulos insufflavit, non fuit præsens. Unde vel dici debet, quod Christus pro puelnitdine potestatis facultatem absolvendi tunc

tunc contulerit toti collegio apoſtolico, adeoque etiam Thomæ licet abſenti, vel quod illi præſenti hæc poteſtas fuerit collata alio tempore; neque enim omnia, quæ Chriſtus fecit, aut cum Apoſtolis contigerunt, in ſacris litteris conſignata leguntur.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint partes Sacramenti pœnitentiæ?

IN hac quæſtione non ſolum hæretici a Ca- 78
tholicis, ſed etiam Catholici Auctores inter ſe diſſident. Lutherus in artic. Schmalcald. cap. de pœnit. docuit, duas tantum eſſe partes poenitentiæ, videlicet legem, & Evangelium; per legem intellexit terrores conſcientiæ propter pœnas, quas Deus peccatoribus in lege minatur: per Evangelium denotavit fidem, qua Deus mentes conſternatas iterum erigit monſtrando Chriſtum mediatorem, & excitando ſpecialem fiduciam de remiſſione peccatorum. In alio ſenſu Calvinus lib. 3 Inſtit. cap. 3 pro partibus pœnitentiæ aſſignat mortificationem, & vivificationem; nam per priorem non intelligit terrores conſcientiæ, ſed abnegationem ſui, & ſpoliationem veteris hominis: per poſteriorem pium bene vivendi ſtudium, atque affectum ad bona opera, quæ dicit eſſe fructus pœnitentiæ, non vero illius partes, prout aliquoties voluit Lutherus.

Ex Catholicis Scotus in 4 diſt. 14 q. 4 79
contendit, eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ conſiſtere in ſola abſolutione Sacerdotis. Durandus præter abſolutionem pro parte adſtruit confeſſionem, Paludanus omnes tres actus pœnitentis nempe contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, Cardinalis Lugo inter par-

 tes

tes pœnitentiæ etiam numerat peccata præterita. Nonnulli alii tempore S. Thomæ pro materia proxima, & essentiali tradiderunt impositionem manuum Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 3 docet, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipua ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*; & infra pergit: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur:* eadem repetit can. 4 ejusdem sessionis.

80 Dicendum 1. Neque terrores conscientiæ incussi, neque fides ex Evangelio vel absolutione concepta sunt partes pœnitentiæ; est de fide & definitum a concilio Tridentino sess. 14 can. 4. Prob 1 pars. Terrores conscientiæ sæpe quidem præcedunt pœnitentiam, non tamen semper sunt necessarii, sed potest quis ad eam moveri ex solo Dei & justitiæ amore, uti mota fuisse videtur beata illa fœmina, de qua Luc. 7 v. 47 dominus dixit: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sicut vicissim ejusmodi terrores sæpe tantum sunt naturalis aliqua affectio, quæ etiam in pueris, & brutis datur, & sine omni pœnitentia in dæmonibus invenitur juxta illud Jacob. 2 v. 19: *Dæmones credunt, & contremiscunt;* ergo terrores conscientiæ non sunt pars pœnitentiæ, sed ad summum illius causa, ut docet Apostolus 2 ad Cor. 7 v. 9: *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam stabilem operatur.*

81 Prob. 2 pars. Vel fides accipitur pro fiducia illa speciali, qua homo credit, peccata sibi per Christum remissa esse? vel pro actu, quo spe-

ſperat, & credit illa ſibi certiſſimo eſſe remittenda? non primum, quia de hac remiſſione nemini certo poteſt conſtare, cum de via ordinaria nulli in particulari peccatorum ſuorum remiſſio abſolute revelata, aut promiſſa ſit, ut patet ex Scriptura, quæ paſſim docet, hominem neſcire, an ſit juſtus, an ſit ſalvandus &c. imo hæc fiducia remiſſionem peccatorum, quæ per pœnitentiam obtineri debet, jam aliunde factam eſſe præſupponeret. Quod jam ſecundum attinet, fatemur quidem, & clare docet Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 6, fidem veram, ac dogmaticam ad pœnitentiam eſſe neceſſariam, ſed ſolum tanquam diſpoſitionem præviam. Sic crediderunt Ninivitæ in Deum, prædicaverunt jejunium, induti ſunt ſaccis. Quare fides theologica non eſt actus proprius pœnitentiæ, ſed virtutis theologicæ; neque ullus SS. Patrum aut antiquorum Theologorum fidem, & terrores conſcientiæ inter partes pœnitentiæ numeravit.

Dicendum 2. Neque mortificatio, & vivificatio in ſenſu Calvini ſunt partes pœnitentiæ. 82
Prob. Pœnitentia juxta S. Scripturam eſt prior juſtificatione, & remiſſione peccatorum: *Si pœnitentiam egerit impius, iniquitatum ejus non recordabor*, Ezech. 18 v. 21; *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, Act. 3 v. 19; atqui mortificatio, & vivificatio non ſunt priores, ſed potius poſteriores juſtificatione; nam per illas Calvinus intelligit refrænationem vitioſorum affectuum, & ſtudium bonorum operum, quæ in reconciliatione inchoantur, & per totam vitam tanquam fructus fidei juſtificantis perficiuntur. Ex eadem ratione male Lutherus dixit, omnia opera bona, quæ poſt juſtificationem fiunt, eſſe partes pœnitentiæ, cum tamen multa nul-

nullam habeant relationem ad peccata præterita, ſed ex ſola charitate in Deum, & proximum peragerentur, etſi homo nunquam antea peccaſſet.

83 Dicendum 3. Partes Sacramenti pœnitentiæ ſunt abſolutio, contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Ita communis contra paucos ſupra citatos. Prob. In omni compoſito illud cenſetur eſſe pars, quod ſe habet per modum formæ, aut materiæ; atqui Sacramentum pœnitentiæ eſt compoſitum quoddam morale, in quo juxta doctrinam Tridentini num. 79 allegatam abſolutio ſe habet per modum formæ, contritio autem, confeſſio, & ſatisfactio per modum materiæ: ergo iſti actus ſunt partes conſtitutivæ Sacramenti pœnitentiæ, hoc tamen diſcrimine, quod abſolutio, contritio, & confeſſio ſint partes eſſentiales, quia aliqua ex illis deficiente nunquam poteſt dari Sacramentum validum, ut omnes admittunt: econtra ſatisfactio eſt tantum pars integralis, quia valor, & eſſentia Sacramenti ſine illo poteſt haberi, ut patet in moribundo.

84 Porro peccata poſt Baptiſmum commiſſa tantum ſunt materia, circa quam abſolutio, & actus poenitentis verſantur, videtur enim repugnare communi perſuaſioni, quod totum adeo ſanctum intrinſece conſtituatur per peccatum, quod per ipſum Sacramentum deſtruitur. Multo minus Sacramentum pœnitentiæ conſtituitur per impoſitionem manuum; quamvis enim primis Eccleſiæ ſæculis pœnitentibus frequenter manus impoſitæ fuerint, id non fiebat a ſolis Epiſcopis, & Presbyteris, ſed etiam a clericis inferioribus, item poſt perceptam Evchariſtiam, ut conſtat ex concilio Carthaginenſi 4. cap. 78, & Arauſicano cap. 5. Nempe ut S. Auguſtinus lib. 3 de Baptiſ.

ptiſ. cap. 16 advertit, hæc impoſitio manus tantum fuit oratio quædam ſupra hominem, quæ neque materiam, neque formam Sacramenti pœnitentiæ conſtituit, neque Tridentinum, licet enucleate partes Sacramenti pœnitentiæ deſcribat, ullam facit mentionem de manuum impoſitione.

Objectiones.

OBj 1. Lex divina per minas terret pecca- 85
tores, Evangelium vero propoſita Chriſti ſatisfactione eos conſolatur. *Pœnitemini, & credite Evangelio*, Marc. 1 v. 15; *Judæis, atque gentilibus teſtificans in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum JEſum Chriſtum*, Act. 20 v. 21: ergo contritio ex comminatione legis, & fides ex promiſſionibus Evangelii ſunt partes pœnitentiæ. Conf. Qui credit, experimentaliter certus eſt, ſe habere fidem, quod impleverit id, ſub quo promiſſa eſt juſtificatio: ergo poteſt, & debet credere, ſe eſſe juſtificatum. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis per legem ſæpe terrores incutiantur conſcientiæ, & in Evangelio peccatores ad fidem, & fiduciam in Chriſtum excitentur, ideo iſti actus non promanant ex ipſa virtute pœnitentiæ, ſed in utroque textu objecto actus fidei a pœnitentia diſtinguitur. Ad Conf. Diſt. Ant. Talis experimentaliter certus eſt, ſe habere fidem qualemcunque, Conc. Ant. divinam, & infallibilem, Neg. Ant. & Conſ. Qui a Deo petit ſanitatem, experimentaliter certus eſt, ſe ſtuduiſſe implere conditionem illius promiſſionis: *Omnis, qui petit, accipit*, Matth. 7 v. 8: nec tamen ideo fide divina & abſoluta poteſt credere, ſe ſanitatem obtenturum.

86 Obj. 2. Scriptura ſæpe inculcat, ut abnegemus nosmetipſos, & bene vivere ſtudeamus: *Quieſcite agere perverſe, & diſcite benefacere*, Iſa. 1 v. 16; *Declina a malo, & fac bonum*, Pſalm. 36 v. 27; ergo pœnitentia conſiſtit in mortificatione, & vivificatione. Conf. Partes pœnitentiæ a nobis aſſignatæ etiam poſſunt poni ab hypocritis, qualis fuit Judas, qui licet dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem habuerit, nihilominus laqueo ſe ſuſpendit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Dum Scriptura hortatur, ut abſtineamus a peccatis, & bonum operemur, non enumerat partes pœnitentiæ, ſed juſtitiæ; hæc ad juſtos, illa ad peccatores pertinet juxta illud, Luc. 5 v. 32: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*. Si tamen per quietem a peccatis velles intelligere contritionem, & propoſitum melioris vitæ, hæc quidem eſſent partes pœnitentiæ, ſed juſtificationem præcedunt, non illam conſequuntur ut mortificatio, & vivificatio Calvini. Ad Conf. Diſt. Ant. poſſunt poni ab hypocritis ſerio, & prout oportet, Neg. Ant. aliter, Tranſ. Ant. Judas deſperavit, adeoque non habuit pœnitentiam, & contritionem veram, utpote ad quam tanquam prævia diſpoſitio ſpes requiritur.

87 Dices. SS. Patres paſſim docent, pœnitentiam eſſe anteacta peccata deflere, & flenda non committere, vindicare, & in ſe punire, quod dolet commiſiſſe, ut videre eſt apud Magiſtrum ſententiarum lib. 4 diſt. 14, & Gratianum diſt. 3 de pœnit.; ergo pœnitentiam in ſola mortificatione, & vivificatione conſtituunt. Conf. Veteres in multis locis loquuntur de pœnitentia, non quatenus quærit, & accipit remiſſionem peccatorum, ſed quatenus eſt vitæ emendatio, & mundatio. Reſp. Conc.

Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando Patres ita deſcribunt pœnitentiam, agunt de illa, ut virtute, cujus primarius actus eſt dolor, & propoſitum, imo per vindictam etiam ſatisfactionem intelligunt, quam miniſter Chriſti poſt confeſſionem imponit. Ad Conf. Veteres mutationem, & emendationem vitæ numerant quidem inter fructus pœnitentiæ, ipſam vero pœnitentiam paſſim ad remiſſionem peccatorum requirunt: *Pœnitentia*, inquit Tertullianus lib. de pœnit., *Dominus mitigatur*; Cyprianus ſerm. de lapſis: *Quam magna deliquimus, tam grandia defleamus, alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit.* Vid. quæſt. 1 diſp. 1.

Obj. 3. Ex una parte ſolus Sacerdos eſt 88
miniſter pœnitentiæ, & ponit abſolutionem; ex altera parte ſola abſolutio ſignificat remiſſionem peccatorum; ergo Sacramentum pœnitentiæ conſiſtit in ſola abſolutione. Conf. Si actus pœnitentis eſſent partes Sacramenti, etiam pœnitens eſſet illius miniſter. Reſp. Conc. Ant. quoad 1 membr., Diſt. quoad 2. Sola abſolutio ſignificat remiſſionem peccatorum ex inſtitutione hominum, Conc. Ant. ex inſtitutione Dei, Neg. Ant. & Conſ. Chriſtus ad practice ſignificandam collationem gratiæ remiſſivæ peccatorum inſtituit etiam contritionem, & confeſſionem. Ad Conf. Sicut non dicitur ſtatuarius, qui ſuppeditat lignum, ſed qui figuram introducit; ita ſolus ille eſt miniſter Sacramenti, qui ponit formam, tanquam partem præcipuam. Porro quia Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum judicii, mirum videri non debet, quod etiam involvat actus pœnitentis. Vid. num. 67.

Di-

89 Dices. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 3 actus pœnitentis vocat tantum quaſi materiam, item diſpoſitiones, quæ ad integritatem Sacramenti pertinent: ergo non ſunt partes eſſentiales. Conf. Tridentinum non voluit damnare ſententiam Scoti, ſed tantum Novatores, qui contendebant actus pœnitentis non eſſe neceſſarios. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Concilium actus poenitentis in eadem ſeſſione ſæpius ſimpliciter vocat partes; quando igitur ait, illos eſſe quaſi materiam, ideo facit, quia non ſunt materia phyſica, ut aqua in Baptiſmo, ſed moralis. Ob eandem rationem dicuntur pertinere ad integritatem; cum enim Sacramentum pœnitentiæ ſit totum morale, potius integrale, quam eſſentiale nominandum eſt. Quando autem hos actus vocat diſpoſitiones, non loquitur de diſpoſitione ad Sacramentum, ſed ad effectum Sacramenti: Quamquam nihil obſtet, quo minus eadem e. g. contritio poſſit eſſe pars Sacramenti, & diſpoſitio ad aliam compartem v. g. ad abſolutionem, Ad Conf. Tranſ. Ant. Quia nihilominus noſtra ſententia longe eſt conformior menti, & modo loquendi concilii.

90 Obj. 4. Contritio non eſt ſenſibilis: ergo non poteſt eſſe pars Sacramenti. Sic licet concilium panem, & vinum vocet materiam Evchariſtiæ, nemo dicit, quod ſint illius partes. Conf. Deficientibus ſolis peccatis poſt Baptiſmum commiſſis deficit Sacramentum pœnitentiæ, & tamen peccata non ſunt materia conſtitutiva pœnitentiæ: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. contritio non eſt ſenſibilis immediate, & per ſe, Conc. Ant. mediate, & per confeſſionem, Neg. Ant. Anima de ſe inſenſibilis eſt pars eſſentialis hominis, qui utique eſt totum ſenſibile; at quia in Evchariſtia pa-

panis, & vinum deſtrui debet, ſatis patet, concilium de illis tantum loqui tanquam de materia remota. Ad Conf. Diſt. Ant. quoad 1 membr. deficientibus ſolis peccatis poſt Baptiſmum commiſſis deficit Sacramentum pœnitentiæ mediate, & conſecutive, Conc. Ant. immediate, & formaliter, Neg. Ant. Nam deficientibus peccatis deficit inſtitutio Chriſti, qui ad Sacramentum pœnitentiæ elevavit ſolam confeſſionem doloroſam peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, & eorum abſolutionem.

Dices. Saltem ſatisfactio non eſt materia Sacramenti pœnitentiæ; quippe materia debet præſupponi ad formam, ſatisfactio autem abſolutionem primum conſequitur. Conf. Partes Sacramenti ex opere operato cauſant gratiam; atqui ſatisfactio ex opere operato ad ſummum delet aliquam partem pœnæ temporalis. Reſp. Neg. Ant. rationem additam Diſt. materia debet præſupponi ad formam ſemper prioritate phyſica temporis, vel naturæ, Neg. prioritate logica tanquam pars determinabilis ab alia comparte, Conc. Opus ſatisfactorium a miniſtro injunctum ad rationem partis integrantis Sacramenti determinatur ab ipſa forma, in quantum Sacerdos ait, ſe nomine Chriſti pœnitentem ad præſtandam ſatisfactionem paratum abſolvere. Cæterum etiam in Baptiſmo ablutio valide fieri poteſt, licet forma ante illam inchoetur. Ad Conf. Diſt. Maj. Partes eſſentiales Sacramenti cauſant gratiam, Conc. Maj. etiam partes integrales, Neg. Maj. Sufficit enim, ſi ex opere operato cauſent aliquem effectum Sacramenti integraliter ſpectati, qualis in pœnitentia eſt remiſſio pœnæ temporalis. 91

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Ecclesia in Sacramento pœnitentiæ possit remittere peccata?

92 SIcut Lutherani communiter negant, pœnitentiam esse Sacramentum, gratiamque ex opere operato conferre, ita contendunt, Ecclesiam non habere potestatem vere remittendi peccata, sed solum declarandi, quod sint remissa a Deo, proin absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium peccatorum remissionem annunciandi, modo confitens credat se esse absolutum. Potestas autem solvendi, aut ligandi juxta ipsos nihil aliud est, quam potestas imponendi, aut relaxandi pœnas exteriores, quos errores concilium Tridentinum sess. 14 variis canonibus condemnavit. Can. 9 ita habet: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum: anathema sit.*

93 Dicendum. Ecclesia a Christo accepit potestatem vere remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ. Prob. 1 ex verbis Christi Matth. 18 v. 18: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo &c.*; Item Joan. 20 v. 23: *Quorum remiseritis peccata &c.*, quibus verbis tam perspicuis, ait Tridentinum sess. 14 cap. 1, *Potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Profecto verbis Christi aperte conceditur Ecclesiæ potestas remittendi peccata, & peccatores ab illis solven-

vendi; atqui poteſtas tantum annunciandi remiſſionem non eſt poteſtas remittendi, & ſolvendi; qui enim alteri tantum annunciat 100 aureos ipſi eſſe remiſſos, & vincula ſoluta, ideo 100 aureos non donavit, nec ipſemet vincula ſolvit.

Probatur 2 auctoritate Patrum, qui con- 94
ſtanter tradunt 1 Sacerdotes eſſe in tribunali pœnitentiæ veros judices. Ita S. Hilarius in cap. 18 Matth. S. Chryſoſtomus Homil. 5 de verbis Iſai. S. Hieronymus epiſt. 1, S. Auguſtinus lib. 2 de civit. Dei cap. 9, S. Gregorius Magnus Hom. 26; atqui veri judices non tantum declarant, aliquem eſſe damnatum, vel abſolutum, ſed vere damnant, aut abſolvunt: ergo. Tradunt 2, prius a Sacerdote dimitti debere peccata in terris, quam dimittantur in cælis. Sic S. Leo ſerm. de transfig. Domin. & S. Bernardus ſerm. 1 in natal. Apoſtol. ajunt: *Sententia Petri præcedit ſententiam cæli*, quibus conſonant S. Hilarius, & Chryſoſtomus loc. cit. ergo Sacerdotes remiſſionem peccatorum non tantum annunciant. Tradunt 3. Peccata per Pœnitentiam a Sacerdotibus remitti, ſicut per Baptiſmum; atqui in Baptiſmo a Sacerdote vere remittuntur: ergo. Hoc argumento utitur concilium Florentinum, illudque contra Novatianos acriter urgent S. Ambroſius lib. 1 de pœnit. cap. 10, & S. Pacianus epiſt. 1 ad Sympronianum.

Probatur 3 ratione theologica. Si abſo- 95
lutio eſſet nuda declaratio de percepta peccatorum venia, nullam haberet utilitatem; cui enim hæc declaratio fieri deberet? An Deo? at Deus cum norit omnia, & ipſe ſolus juxta Novatores peccata dimittat, nulla declaratione indiget. An Eccleſiæ? at hoc negotium inter

inter solum ministrum, & pœnitentem secreto tractatur. An ipsi Sacerdoti? at declaratio Sacerdotis debet fieri ad alium. An denique pœnitenti? at ipse pœnitens multo melius scit, an revera habeat contritionem, ob quam jam antea absolutus æstimetur, sacerdos vero hac in re sæpe potest a pœnitente decipi. Imo secundum principia Lutheranorum peccator justificatur sola fide, qua apprehendit justitiam Christi, & credit, sibi remissa esse peccata, quam fidem si habeat, certus est de impetrata peccatorum venia; quis ergo esset finis, aut quæ utilitas hujus declarationis.

Objectiones.

96 OBj. 1. Juxta S. Scripturam solus Deus dimittit peccata: *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*, Isai. 43 v. 25; *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus*, Luc. 7 v. 21: ergo Ecclesia non vere remittit. Conf. Christus Magdalenæ remissionem Peccatorum tantum declaravit, ut advertimus num. 65: ergo verbum remittere aliquando idem significat, ac declarare. Resp. Dist. Ant. solus Deus dimittit peccata potestate propria, & independente, Conc. Ant. ministeriali, & delegata, Neg. Ant. & Cons. Etsi Deus homini deleget potestatem peccata remittendi, non ideo ipsi tribuit potestatem summam, & independentem. Ad Conf. Trans. Ant. Neg. Cons. Sicut qui dicit, Christum his verbis: *Quorum remiseritis peccata &c.* instituisse Sacramentum, solum declarat institutionem Christi, quin ideo verbum instituit nudam declarationem indicet: sic licet Christus Magdalenæ remissionem peccatorum solum declaraverit, nihilominus verbum remitto secundum propriam suam significatio-

nem

nem non nudam declarationem, ſed veram remiſſionem ſignificat.

Dices. Chriſtus dicendo Magdalenæ : *Remittuntur tibi peccata*, illa proprie non remiſit : 97
ergo neque remittit Sacerdos, dum dicit: *Abſolvo te*; quia ſolus Deus actione ſua poteſt animam attingere. Conf. In foro externo judex dicitur abſolvere reum injuſte accuſatum, cum eum innocentem declarat : ergo abſolvere idem ſignificat, ac abſolutum declarare. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Chriſtus non eſt uſus prima perſona, ſed tertia præſcindendo, utrum peccata per hæc ipſa verba remittantur, vel jam prius remiſſa fuerint; quando autem Sacerdos abſolvit, loquitur in prima perſona, & ſicut actio ſacramentalis inſtrumentaliter gratiam peccatorum producit, ſic illam miniſterialiter producit Sacerdos conficiens Sacramentum, licet ſolus Deus animam immediate, & directe ſua actione attingere valeat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam judex per hanc ipſam declarationem reum abſolvit a judicio, & falſis criminibus. Quod ſi remiſſio Sacerdotis tantum ſignificaret declarationem, verba Chriſti haberent hunc ſenſum : Quorum peccata declaraveritis remiſſa in terra, etiam remiſſa declarabuntur in cælo : ergo neque a Deo proprie remiſſa ſignificarentur.

Obj. 2. SS. Patres hominibus paſſim negant poteſtatem vere abſolvendi. Sic S. Ambroſius lib. 3 de Spiritu ſancto cap. 18 ait : *Per Spiritum ſanctum peccata donantur; homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent.* S. Auguſtinus ſerm 99 de verb. Evang. poſtquam reprehendit eos, qui dicunt: *Ego dimitto: ego condono*, inquit, *Reſpondeant illi : Non ego, ſed Chriſtus*; & tract. 3 in Joan. : 98

Servus agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest. Resp. Dist. Ant. negant hominibus absolvendi potestatem summam, & nullis legibus adstrictam, Conc. Ant. ministerialem, certisque legibus a Christo adstrictam, Neg. Ant. S. Ambrosius loco objecto intendit probare, Spiritum sanctum esse Deum, eoquod tanquam prima, & independens causa possit peccata dimittere. In eodem sensu loquitur S. Augustinus tract. 3 in Joan. sermone 99 autem perstringit Donatistas, qui efficaciam Sacramentorum a personali sua potestate pendere arbitrabantur, quasi ab hæretico, vel malo ministro nullum Sacramentum possit confici nomine Christi, qui utique per suos ministros agere solet.

99 Dices. Sacerdotes antiqui testamenti non mundabant leprosos, sed solum mundos declarabant: ergo. *Quomodo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit, sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & presbyter,* inquit S. Hieronymus in caput 16 Matthæi. Conf. S. Chrysostomus Homil. 15 in cap. 5 Matthæi sic habet: *Liberare a putredine peccatorum Christi profecto virtutis est, ut autem non ad illa iterum revertamur, Apostolorum curæ est, ac laboris.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. & suppositum, quod S. Hieronymus instituat paritatem adæquatam, ac quoad ipsam potestatem solvendi, & ligandi; redarguit enim illos, qui putabant, se hac potestate uti posse pro arbitrio nulla facta consideratione meriti, & demeriti, aut præviæ dispositionis pœnitentis, cum tamen jam Sacerdotes antiquæ legis attendere debuerint, an leprosus fuerit mundatus, & ideo a lepra mundus declarari potuerit. Ad Conf. S. Chrysostomus pariter non lo-

loquitur de poteſtate ſacramentali, ſed de illa, quæ exercetur per prædicationem, & exhortationem ad vitiorum fugam, in qua homines Dei adjutorio a peccatis extracti verbis, & exemplis Apoſtolorum conſervantur.

Obj. 3. Abſolutio Sacerdotis pœnitentem jam ſupponit vivificatum: ergo tantum 100
declarat peccata remiſſa. Ant. prob. exemplo Lazari, quem Chriſtus prius ad vitam ſuſcitavit, & tunc primum diſcipulis ad ſolvendum tradidit, quo exemplo ad explicandam Sacerdotum poteſtatem frequenter utuntur Patres, nominatim S. Auguſtinus ſerm. 8 de verb. Domin. & S. Gregorius Homil. 26 in Evang. Reſp. Diſt. Ant. abſolutio ſupponit pœnitentem jam vivificatum gratia perfecta, Neg. Ant. imperfecta, & inchoata, Conc. Ant. Neg. Conſ. SS. Patres exemplo Lazari ſolum intendunt declarare, quod Sacerdotes peccata non poſſint dimittere, niſi prius in poenitente dentur aliquæ diſpoſitiones ſupernaturales, quæ ſine aliquo vitæ ſpiritualis ſaltem inchoatæ ſenſu fieri nequeunt, ut notavi num. 62. Unde rurſus non eſt paritas adæquata, ac quoad ipſam infuſionem vitæ ſpiritualis, cum Lazari reſuſcitatione corporali, ſed ſolum in hoc, quod homo virtute gratiæ divinæ ſe ſpiritualiter incipiat movere per contritionem, prodire foras per confeſſionem delictorum, ac tandem a Sacerdote ſolvatur, & vitam animæ perfectam acquirat.

Dices. Complures ex Doctoribus Catholi- 101
cis præeunte Magiſtro ſententiarum docuerunt, abſolutionem Sacerdotis eſſe meram declarationem peccati a Deo remiſſi: ergo. Conf. Contingit non raro, ut poenitens jam ſit juſtificatus per contritionem perfectam, vel viciſſim Sacramentum poenitentiæ ſuo effectu fruſtretur.

Resp. Dist. Ant. docuerunt hoc post concilium Tridentinum, Neg. Ant. antea, Subdist. in eodem sensu, & ex iisdem fundamentis, quibus nituntur sectarii, Neg. Ant. aliter, Conc. Ant. & Neg. Cons. Magister cum suis sectatoribus constanter confessus est, poenitentiam esse verum Sacramentum, & absolutionem Sacerdotis actum judicialem, qui ex opere operato confert augmentum gratiæ; quia nihilominus putaverat ad validam absolutionem in poenitente prærequiri contritionem perfectam, inde intulit, peccata poenitenti jam ante absolutionem esse remissa, adeoque a Sacerdote tantum remissa declarari, non vero iterato remitti, quam sequelam falsam esse suo loco ostendam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. uterque casus se habet mere per accidens, & quandoque solum arguitur defectus in poenitente, non item in Sacramento, aut ministro.

QUÆSTIO V.

Quousque potestas Ecclesiæ in Sacramento remittendi peccata se extendat?

102 MOntanistæ dicti a Montano, & a provincia Phrygiæ, unde oriundus erat, Cataphryges, a Pepuso vico autem, ubi conventus suos celebrabant, Pepusiani, negabant Ecclesiæ potestatem remittendi crimina graviora v. g. idololatriam, homicidium, blasphemiam, incestum, aliasque libidinum furias, ut loquitur Tertullianus, ultimato in eandem hæresim lapsus. Similem errorem postea sparserunt Novatus, & Novatianus, quos tamen aliqui putant initio veniam negasse tantum illis, qui in persecutione idolis sacrificarunt, successu tamen temporis teste S. Ambrosio lib. de poenit. cap.

cap. 3 Novatianus errorem ſuum ampliavit, docuitque, nullum omnino peccatum mortale ab Eccleſia remitti poſſe. Illorum diſcipuli in varias vias abierunt : Molliores ferme ad modum Montaniſtarum ſolum negarunt, ab Eccleſia veniam indulgeri poſſe quibusdam criminibus gravioribus : Rigidiores idem contendebant de quibusque gravibus poſt Baptiſmum commiſſis : Rigidiſſimi dicebant, aliqua coram Deo ſaltem extrinſece ſimpliciter irremiſſibiiia eſſe, ut diſp. 1 quæſt. 2 adverti.

Dicendum. Omne peccatum per Sacramen- 103
tum poenitentiæ poteſt ab Eccleſia remitti. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Chriſtus illimitate dicit : *Quæcunque ſolveritis &c. quorum remiſeritis peccata &c.* Unde S. Hilarius in cap. 18 Matth. ait : *Neque fas eſt nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam ſine modo nobis a Deo fuerit indulta.* Auctor de vera, & falſa poenitentia cap. 5 expreſſe loquitur de poenitentia ſacramentali, dicitque : *Ille ſolus diffidat, qui tantum peccare poteſt, quantum Deus bonus eſt.* Ipſe Tertullianus, antequam in Montaniſtarum hæreſim prolapſus eſt, lib de poenit. cap. 4 ſcripſit : *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit ;* hinc Innocentius III cap. firmiter de ſumm. Trinit. ait : *Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi quisquam prolapſus fuerit iu peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.*

Probatur 2 ex perpetua praxi, & tradi- 104
tione Eccleſiæ. S. Paulus 2 ad Cor. 2 v. 10 poſt peractam poenitentiam in Eccleſiam iterum recepit inceſtuoſum, eique in perſona Chri-

ſti peccatum remiſit. Eadem auctoritate dimittendi peccata uſus eſt S. Joannes erga juvenem illum perditiſſimum, quem a latronibus revocavit. Doctrina Montani ſtatim, ac in Aſia minore fuit vulgata, ab illius regionis Epiſcopis, dein ab Epiſcopis Galliæ, tandem totius Eccleſiæ judicio tanquam hæretica condemnata eſt. Pariter ſæculo III fuit proſcriptus error Novatianorum Romæ a concilio 60 Epiſcoporum, & longe plurium presbyterorum, & eodem ferme tempore in ſynodo Carthaginenſi a 42 Epiſcopis, quod judicium ſæculo IV, & V ſæpius eſt confirmatum, donec ſacrilega factio extincta fuit. Idem rurſus definivit concilium Tridentinum ſeſſ. 14 can. 1, ubi anathema dixit aſſerenti, *In catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto Domino noſtro inſtitutum.*

Objectiones.

105 OBj. 1. Per peccata mortalia graviſſime offenditur Deus: ergo Eccleſia non habet poteſtatem illa dimittendi; quippe *Homo non poteſt eſſe Deo major, nec indulgentia ſua ſervus remittere, aut condonare, quod in Dominum graviore delicto commiſſum eſt;* ut ait S. Cyprianus tract. de lapſis. Conf. Idem S. Pater ex cap. 12 Ezech. advertit: *Orationes Sanctorum peccatoribus non impetrare veniam.* Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Eccleſia non habet poteſtatem dimittendi peccata a ſe ipſa, Conc. Conſ. a Deo, Neg. Conſ. cum S. Cyprianus tota vita ſua acerrime impugnaverit Novatianos, clarum eſt, quod Eccleſiæ non negaverit poteſtatem dimittendi peccata. Itaque hæc ſcripſit con-

contra Feliciſſimum Diaconum, qui voluit lapſos in perſecutione debere absque ullo ſatisfactionis rigore in gratiam recipi: at *ſic miſereri*, ait S. Pater, *ſolius Dei proprium eſt*. Ad Conf. Diſt. Ant. Orationes peccatoribus non impetrare veniam, niſi etiam ipſi ſe convertere, & dignam poenitentiam agere velint, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ.

Dices 1. S. Ambroſius lib. 2 de poenit. 106
cap. 10 ait: *Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto.* Item relatus cap. eſt injuſta 23 q. 4: *Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi*: ergo ſaltem peccata repetita non poſſunt remitti. Conf. Baptiſmus iterari non poteſt: ergo nec poenitentia. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. In primo textu S. Ambroſius loquitur de poenitentia publica, ut patet ex titulo, & contextu; fuit autem contra mores Eccleſiæ ſæpius agere poenitentiam publicam. De eadem a S. Thoma 3 p. q. 84 a. 10 exponitur alter textus, qui ad ſummum probaret, relapſis non eſſe imponendas poenitentias nimis leves, quamquam facilitas veniæ ſit tantum occaſio peccandi acceptata, non data, neque omnibus peccatoribus vera poenitentia adeo facilis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Diſparitas patet ex voluntate Chriſti, cujus ratio congrua eſt, quia Baptiſmus eſt ſpiritualis generatio, poenitentia ſpiritualis medicina; jam vero homo tantum ſemel naſcitur, medicina autem ſæpius indiget.

Dices 2. S. Gregorius Homil. 34 in Evang. 107
ait: *Pœnitentiam agere eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*, & S. Iſidorus lib. 2 de ſumm. bon. cap. 16: *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet*:

 er-

ergo. Conf. Miracula a Chriſto in ſanatione corporum facta ſignificant ſanationem ſpiritualem; ſed Chriſtus neminem bis ſanavit a morbo: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Patres iſti juxta S. Thomam loco ſuprà citato tantum volunt, quod poenitentia ſit peccata deflere, & deflenda non committere actu vel propoſito, dum flet; qui enim tunc actualiter peccat, vel proponit iterum facere, quod geſſit, potius irriſor eſt, quam poenitens. Ad Conf. Neg. Conſ. quia ſyllogiſmus incedit quatuor pedibus, neque ſimilitudo inter ſanationes corporales, & ſpirituales eſt omnimoda, alias ſicut Chriſtus reſpective ad innumeros ægrotos ſanavit paucos, ita etiam prima vice tantum paucos ſanaret peccatores.

108 Obj. 2. Ipſa Eccleſia antiquitus quibusdam peccatis negavit veniam, ut de Africana teſtatur Cyprianus, & de Hiſpanica concilium Eliberitanum can. 1, ubi ſic habet: *Placuit, ut quicunque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen capitale, nec in fine eum deberi ad communionem recipi.* Conf. Clerus Romanus in epiſtola ad Cyprianum ſtatuit, ut lapſis in infirmitate poſitis poſt actam poenitentiam pax concederetur: ergo prius non fuit conceſſa. Reſp. Neg. Ant. Quando Eccleſiæ poenitentibus negarunt communionem, per illam vel intellexerunt participationem Eucharistiæ, vel reconciliationem ſolemnem, & canonicam per impoſitionem manuum, de qua etiam debet intelligi S. Cyprianus, vel cum aliis Epiſcopis Africanis contra praxim aliarum Eccleſiarum erravit, ſicut circa valorem Baptiſmi ab hæreticis collati. Ad Conf. eadem eſt reſponſio, neque in hoc decreto fuit ſancitum aliquid novi, ſed tantum anti-

antiqua praxis, & disciplina renovata, & confirmata.

Dices. A concilio Eliberitano quibusdam 109
negata est illa communio, quæ aliis post poenitentiam concedebatur; atqui hæc erat sacramentalis absolutio, quæ illo tempore a communione Evcharistiæ, & reconciliatoria manus impositione non separabatur. Conf. Quia alias nulla fuisset ratio, cur in illo concilio can. 22 statueretur, ne poenitentia negetur hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus. Resp. Dist. Maj. quibusdam negata est omnis illa communio, quæ aliis post poenitentiam concedebatur, Neg Maj. aliqua nempe participatio Evcharistiæ, & reconciliatio, Conc. Maj. Quamquam illo tempore poenitentes, qui post expletam poenitentiam absolvebantur, etiam communioni Ecclesiæ fuerint restituti, si tamen poenitens fuit adductus in discrimen vitæ ante expletæ poenitentiæ tempus, solum a suis peccatis absolvebatur sine communione Evcharistica, & manuum impositione, ut constat ex concilio Arausicano 1 can. 3. Ex quibus etiam patet ad Conf. quodnam inter hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, qui poenitentiam impleverunt, & inter illos, qui in periculum vitæ inciderant, discrimen fuerit.

Obj. 3. Misericordia Dei non est major, 110
quam ipsius justitia; sed misericordia Dei se ita ostendit erga aliquos, ut eos confirmet in gratia, ne possint labi, aut relabi in peccata: ergo justitia Dei ita se debet ostendere erga alios, ut nequeant post peccatum resurgere. Conf. Nemo potest elicere actum poenitentiæ, nisi dependenter a fide: ergo qui incidit in peccatum infidelitatis, incidit in impotentiam poenitendi. Resp. Conc. Maj. Dist. min. miseri-

cordia Dei se ita ostendit erga aliquos ex necessitate, Neg. min. ex mero Dei beneplacito, Conc. min. & Neg. Conf. Quia de voluntate Dei non constat, quod neget peccatori auxilia sufficientia, sed potius contrarium, indeque bonitas, & misericordia Dei magis commendatur. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. Incidit in impotentiam poenitendi, nisi iterum velit redire ad fidem, prout potest, Conc. Conf. secus, Neg. Conf. Cæterum hic solum contra hæreticos contendimus, quod per Sacramentum poenitentiæ peccata remitti possint, si homo veram poenitentiam agere velit. Vid. etiam quæstio 2 disp. 1.

QUÆSTIO VI.

An, & quomodo Sacramentum pœnitentiæ, & distincta peccatorum confessio sit necessaria?

111 QUi necessitatem Sacramenti poenitentiæ negarunt, potissimum impugnarunt distinctam peccatorum confessionem. Tales fuere, qui, ut refert concilium Cabilonense II can. 33, dicebant, peccata Deo solummodo confiteri debere. Item Flagellantes, qui arbitrabantur, confessionem abunde suppleri sanguine flagellis excusso. Inter articulos Wicleffi a Concilio Constantiensi proscriptos septimus erat: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est superflua, & inutilis.* Sixtus IV damnavit Petrum Oxoniensem, seu ut alii, Petrum de Osma Doctorem Salmanticensem, eoquod docuerit, confessionem peccatorum in specie ab Ecclesia non divino jure statutam esse Lutherus lib. de captiv. Babil. cap. de poenit. admittit quidem 1 confessioem peccatorum

rum non modo utilem, sed etiam necessariam esse; at in articulis a Leone X damnatis illam vocat cruentissimam carnificinam, & Confessio Augustana anno 1530 omnino impossibilem. Calvinus lib. 3 Inst. cap. 4 utilitatem confessionis plurimum commendat; attamen eam nec necessariam, nec a Christo, sed ab Innocentio III in concilio Lateranensi institutam fuisse contendit. Imo eodem capite § 19 ait, confessionem, qualis fit apud Catholicos, rem esse pestilentem multisque nominibus Ecclesiæ noxiam. Similia habent alii Lutheri, & Calvini asseclæ.

Dicendum 1. Sacramentum poenitentiæ, 112
& distincta peccatorum confessio jure divino sunt necessaria ad delenda peccata mortalia post Baptismum commissa. Ita statuit concilium Tridentinum sess. 14 can. 6 & 7, ubi anathematizat asserentem, Confessionem sacramentalem omnium, & singulorum peccatorum mortalium, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, non esse necessariam jure divino. Prob. 1. Quando Christus Joan. 20 Sacramentum poenitentiæ instituit, dedit Apostolis eorumque successoribus potestatem solvendi, & ligandi, remittendi, & retinendi peccata, ita, ut quæcunque alligaverint super terram, sint ligata in cælis, & quæcunque solverint super terram, sint soluta in cælo, quemadmodum ex dictis patet; atqui Sacerdotes judicium discretum, & legitimum non possent exercere, nisi prius ex propria poenitentis confessione peccata distincte cognoscerent, ut optime argumentatur concilium Tridentinum cap. 5 sess. cit.: ergo Sacramentum poenitentiæ, & distincta peccatorum confessio ex ipsa institutione Christi, & jure divino est necessaria. Conf. Si judex in foro

foro civili non cognita reorum causa temere solum, & cæcò modo sententiam ferret, ejus judicium ab omnibus iniquissimum censeretur: ergo a pari.

113 Probatur 2 ex traditione, nam Sacramentum poenitentiæ, & distinctam peccatorum confessionem necessariam esse, 1 docent ritualia vetustissima Latinorum, & Euchologia omnium Orientalium, non solum Catholicorum, sed etiam schismaticorum & hæreticorum. 2. SS. Patres passim gravissimis verbis inculcant fidelibus, ut secretissimas etiam noxas deferant ad tribunal poenitentiæ, ut supprimant noxiam verecundiam, & evomant occultum virus, atque secus facientibus minantur confusionem intollerabilem in die judicii, ut videre est lib. 3 de poenit. cap. 6 & seqq. apud Bellarminum. 3. Idem statuere concilia antiquissima Laodicenum can. 2, Cabilonense II can. 32, Carthaginense III can. 31 &c. His accedunt concilia generalia Lateranense sub Innocent. III can. 23, Florentinum in instructione ad Armenos, Tridentinum locis supra citatis. Hinc S. Chrysostomus Homil. de muliere Samarit. ait: *Qui homini detegere peccata erubescit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa* (extremi judicii) *non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe inspectante traducetur.*

114 Dicendum 2. Sacramentum poenitentiæ, & distincta peccatorum peccatorum confessio omnibus post Baptismum graviter lapsis vel in re, vel saltem in voto sunt necessaria necessitate medii. Nam ex una parte Sacramentum poenitentiæ cum distincta peccatorum confessione susceptum est medium per se ordinatum ad remissionem peccatorum, ut constat ex conclusio-

clusione præcedente : ex altera parte sine illo, vel in re, vel in voto peccatorum remissio absolute non potest obtineri. Si enim pro remissione hac obtinenda peccator Sacramentum poenitentiæ, quando id cum confessione potest, non teneretur determinate suscipere, & consequenter saltem serium illius votum habere, si inculpabiliter actu suscipere nequit, frustra Apostolis fuisset data potestas ligandi, & solvendi, claudendi cælum, & aperiendi, ut bene advertit S. Augustinus serm. 392 cap. 3 dicens: *Nemo sibi dicat occulte ago (pœnitentiam), apud Deum ago, qui mihi ignoscat &c.: ergo sine causa sunt datæ claves Ecclesiæ, frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.* Hinc Tridentinum sess. 14 cap. 2 ait, quod Sacramentum poenitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem sit necessarium, sicut nondum regeneratis Baptismus, & cap. 4 contritionem perfectam tunc demum justificare, si cum voto Sacramenti poenitentiæ conjuncta sit.

Objectiones.

OBj. 1. Christus Joan. 20 non fecit expres- 115
sam mentionem confessionis sacramentalis, quam certe non omisisset, si existimasset necessariam, sicut non omisit Baptismum, Evcharistiam: ergo Sacramentum poenitentiæ non est necessarium jure divino. Conf. Licet juxta aliquos Patres Joannis 20 Apostolis etiam collata fuerit potestas remittendi peccata per Baptismum, adeoque minister Baptismi judicium exerceat, quo dignos admittit, indignos rejicit, non tamen ad Baptismum requiritur confessio distincta, sed solum generalis, qua catechumenus se peccatorem agnoscens priorem vitam detestatur, & meliorem proponit:

et-

ergo a pari. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Cum enim necessitas confessionis ita necessario sit connexa cum potestate remittendi, & retinendi peccata, ut hæc sine illa subsistere nequeat, neutiquam opus fuit, ut Christus magis expressam confessionis sacramentalis mentionem faceret. Ad Conf. Nego suppositum, quod minister Baptismi exerceat judicium proprie, ac stricte dictum; nam licet baptizandi mores, & affectus explorare possit, nequit tamen peccata proprie retinere, aut punire, cum Ecclesia nihil possit in eos, qui foris sunt 1 ad Cor. 5 v. 12.

116 Dices 1. Sacerdotes a Christo sunt tantum instituti judices dimittendi, & retinendi peccata, si fideles sponte ad ipsos veniant; at non sunt judices necessarii, cum Christus non dixerit: quorum peccata non solveritis, non erunt soluta. Conf. Etsi Principes subditis præficiant judices ordinarios pro dirimendis litibus, possunt tamen subditi, aut ipsimet inter se lites componere, aut immediate adire ipsum Principem: ergo etiam fidelibus non debet esse interclusus immediatus aditus ad Christum per contritionem. Resp. Neg. Ant. Quia Christus absolute voluit, ut fideles in causis, quas cum Deo offenso habent, accedant suos Vicarios, & ab illis reconciliationem impetrent; dum enim dixit: *Quorum retinueritis peccata, retenta sint*, implicite, & virtualiter etiam dixit: Quæ non solveritis, non erunt soluta, ut patet ex promissione Apostolis data Matth. 18 v. 18, ubi expresse promittitur, quod quæcunque alligaverint super terram, maneant ligata in cælo; hæc autem potestas ligandi, & retinendi esset frustranea, si venia delictorum citra Sacerdotis judicium posset obtineri, ex quibus jam patet disparitas ad Conf. Quippe Prin-

Principes terreni ipſimet permittunt, ut ſubditi alia via lites ſuas componant, vel recta ad ſe confugiant. Interim etiam juxta nos nulli interclusus eſt aditus ad Deum per veram contritionem; at hæc ſincera eſſe nequit ſine voluntate ſe ſubjiciendi judicio ſacerdotali.

Dices 2. Licet Sacerdotes poſſint remittere, vel retinere peccata venialia, ideo eorum confeſſio non eſt abſolute neceſſaria, imo neque confeſſio diſtincta mortalium, ſi e. g. ob imminentem gravem infamiam, ob inſtans periculum mortis &c. fieri nequeat: ergo. Conf. In oratione dominica quotidie petimus, ut Deus nobis dimittat peccata noſtra, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris; atqui ipſis peccata ita dimittimus, ut non ſingulorum confeſſionem exigamus: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sacerdotes peccata venialia non poſſunt retinere niſi ſecundum quid negando beneficium abſolutionis in Sacramento, ut colligitur ex num. 28; mortalia vero poſſunt retineri ſimpliciter ac ita, ut cælum per illa clauſum maneat; Hinc etiam in neceſſitate, & periculo mortis ad ſalutem requiritur votum confeſſionis, licet hic, & nunc per accidens ipſa confeſſio diſtincta fieri nequeat, ob quam cauſam in hoc caſu Sacerdos non procedit temere, cum major cauſæ cognitio moraliter ſit impoſſibilis. Ad Conf. Diſt. Ant. Petimus, ut Deus remittat nobis peccata, ſicut nos &c. ſimpliciter, & quoad ipſam remiſſionem, Conc. Ant. quoad modum remiſſionis, quaſi hic utrobique deberet eſſe idem, Neg. Ant. & Conſ. Quod Deus alia pro remiſſione peccatorum a nobis exigat, quam nos a proximo exigere ſolemus, ac poſſu-

possumus, aliunde satis notum est, & patet ex probationibus.

118 Obj. 2. SS. Patres passim docent, peccata dimitti per solam contritionem. Sic S. Basilius in Psal. 37 ait: *Satis esse sua peccata confiteri soli Deo.* Idem asserunt S. Ambrosius lib. 10 in cap. 22 Luc. & S. Chrysostomus Homil. 21 ad popul. Antioch. ergo ex traditione Patrum non probatur necessitas confessionis. Conf. Concilium Cabilonense II can. 33 docet, *Confessionem, quæ Deo fit, purgare quidem peccata, eam vero, quæ fit Sacerdoti, docere, qualiter peccata purgentur.* Resp. Dist. Ant. docent peccata dimitti per solam contritionem perfectam, prout illa includit votum confessionis, Transf. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conf. S. Basilius loquitur de lege antiqua, in qua nondum erat instituta confessio sacramentalis, ut aperte ostendit exemplum Davidis, quem ibi loquentem inducit. S. Ambrosius agit de poenitentia Petri; at etiam, quando peccavit Petrus, Sacramentum poenitentiæ necdum erat institutum. S. Chrysostomus tractat de poenitentia catechumenorum ante Baptismum, ut indicat titulus hujus Homiliæ, *Catechesis ad illuminandos.* Ad Conf. Concilium Cabilonense solum asserit, quod confessio utiliter fieri possit tam Deo, quam hominibus, eoquod ipse Deus vere contritis peccata dimittat, si votum, & propositum confitendi habeant, Sacerdos vero simul instruat, quomodo peccata purgentur.

119 Dices 1. S. Chrysostomus multis in locis negat, necessarium esse peccata post Baptismum commissa Sacerdoti aperire; sic Homil. 2 in Psalm. 50 ait: *Pudet te peccata confiteri? dic ea quotidie in oratione, non dico, ut ea conservo ex-*

po-

ponas, qui te probris impetat: dic Deo, qui iis medetur; Homil. 51 in cap. 22 epist. ad Hebr. *Non dico tibi, ut prodas in publicum, neque ut te apud alios incuses: ante Deum confitere peccata tua, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria*; Homil. 57: *Deo soli dic peccatum tuum, & dimittitur tibi peccatum.* Resp. S. Chrysostomum in his, & similibus textibus tantum negare necessitatem confessionis publicæ, vel etiam secretæ, attamen ordinatæ ad exprobrationem publicam per modum satisfactionis. Unde per conservum intelligit alios fideles, & plebem christianam, sicut nomine proximi intelligimus quoscunque homines. Dum autem videtur dicere, confessionem soli Deo faciendam esse, vel non loquitur de poenitentia sacramentali, sed tantum suadet frequentem usum examinis conscientiæ, vel intelligit confessionem factam Sacerdoti tanquam Dei Vicario, qui enim tali confitetur, soli Deo confiteri censetur. Hinc Græci poenitentes ad se accedentes ita alloqui solent: *Frater, ut quid ad Deum, & me accessisti? ne verearis, non enim mihi, sed Deo, coram quo stas, peccata tua enumeras.*

Dices 2. S. Chrysostomus Homil. 8 de poenit. expendens illud Apostoli: *Probet autem seipsum homo &c.*, expresse dicit, probationem non debere fieri coram Sacerdote, & Homil. 120
28 in epist. 1 ad Cor.: *Propterea dicit Apostolus, probet seipsum unusquisque, & tunc accedat, neque jussit alterum alteri probare, sed sibi seipsum*: ergo necessitatem confessionis positive excludit. Conf. Gratianus destinct. 1 caus. 33 q. 3 quærit, utrum sola cordis contritione absque confessione quisquam possit Deo satisfacere, aitque, utramque sententiam habere fautores, sapientes, & religiosos viros, ac pro teste adducit Theodorum Cantuariensem Epi-

ſcopum in ſuo poenitentiali. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Doctor in citatis locis ſolum docet, quod poſt exauctoratum pœnitentiarium publicum, ſine cujus approbatione poenitentes antea ad ſumptionem Evchariſtiæ non admittebantur, quilibet pro ſua conſcientia poſſit ad communionem accedere, quin ſe illi neceſſario ſiſtere debeat. Quæ porro de diſtincta peccatorum confeſſione mens S. Chryſoſtomi fuerit, indicavi num. 113. Ad Conſ. Gratianus quæſtionem, de qua hic agimus, tantum obiter attigit, & auctoritatem ſolius Cantuarienſis retulit, licet ejus verba commode intelligi poſſint de confeſſione publica, quæ tamen ſuo tempore apud Græcos jam elanguuerat.

121 Obj. 3. Uſus confeſſionis diſtinctæ primum fuit introductus a concilio Lateranenſi IV, ut videtur agnoſcere ipſum Tridentinum, dum ſeſſ. 14 can. 8 ait: Fideles teneri ad confeſſionem ſemel in anno peragendam juxta magni concilii Lateranenſis conſtitutionem. Conſ. Concilium Cabilonenſe II can. 33 ſupra citato inquit, peccata eſſe confitenda, ſecundum inſtitutionem Apoſtoli: ergo non ex jure divino. Reſp. Neg. Ant. Neque enim Eccleſia unquam auſa fuiſſet, imo juxta Leſſium, Lugonem, aliosque nequidem potuiſſet rem adeo difficilem propria auctoritate præcipere: neque hæc lex tamdiu perduraſſet, cum ab experientia conſtet, leges difficiliores per deſuetudinem abrogari, aut ſaltem in iis quandoque diſpenſari, quod circa legem confeſſionis nunquam contigit. Unde concilium Lateranenſe non inſtituit confeſſionem, ſed tantum determinavit tempus, & modum eam faciendi, ſicut ſolum determinavit tempus ſumendi S. Evchariſtiam. Ad Conſ. Conc. Ant. Neg. Conſ.

Con-

Concilium Cabilonenſe per inſtitutionem intelligit declarationem, ſeu promulgationem inſtitutionis a Chriſto factæ, ut colligitur ex can. 22.

Dices. Ex ipſis Catholicis aliqui, uti Hugo Victorinus, Alenſis, S. Bonaventura, Scotus, & Durandus negarunt, confeſſionem diſtinctam jure divino eſſe neceſſariam: ergo. Conf. Quia tali modo in lege nova jugum eſſet longe durius, quam in antiqua, ubi ſola ſuffecit contritio. Imo eſt impoſſibile, ut homines omnia peccata confiteantur, quæ ſæpe ipſimet non ſatis intelligunt, nec eorum amplius recordari poſſunt. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quod ſubin aliqui Doctores catholici veritatem non aſſequantur, non obeſt firmitati dogmatum, quamquam S. Bonaventura ſolum docuerit, illos, qui aliquando negarunt confeſſionem a Chriſto Domino fuiſſe præſcriptam, non fuiſſe hæreticos. Durandus, & Scotus in textum Joan. 20 ita commentantur, ut potius nobiscum ſentiant. Hugo Victorinus, & Alenſis plus non videntur voluiſſe, quam quod Chriſtus non dederit præceptum expreſſum confeſſionis, eoquod hoc ex ipſa inſtitutione Sacramenti poenitentiæ colligi potuerit. Ad Conf. Neg. Ant. Nam longe facilius eſt confiteri peccata quam elicere contritionem perfectam, & ad legitimam confeſſionem ſufficit, ſi diſtincte exponantur illa mortalia, quæ poſt diligens examen memoriæ occurrunt. Præterea onus confeſſionis redditur ſuave per tranquillitatem conſcientiæ, per majorem certitudinem de impetrata venia, aliaque plurima bona, quæ ex hoc Sacramento conſequimur. 122

Obj. 4. Contritio perfecta non eſt neceſſaria neceſſitate medii: ergo neque Sacramen- 123

 tum

tum poenitentiæ, quod per contritionem poteſt ſuppleri Conf. Sacramentum poenitentiæ non poteſt eſſe magis neceſſarium, quam illius inſtitutio; atqui hæc ad ſalutem non fuit neceſſaria neceſſitate medii: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Diſparitas eſt, quod contritio perfecta neceſſario includat votum Sacramenti poenitentiæ, non autem viciſſim Sacramentum poenitentiæ includit votum perfectæ contritionis; hinc licet contingere poſſit, ut contritio perfecta ſit medium unicum ad obtinendam in articulo mortis primam gratiam, non tamen eſt medium per ſe ordinatum ad illam conſequendam, adeoque nec in hoc caſu videtur neceſſaria neceſſitate medii. Ad Conf. Neg. Maj. Retorſio eſt manifeſta in Baptiſmo, quamquam inter Baptiſmum, & poenitentiam hoc ſit diſcrimen, quod Baptiſmus ſit neceſſarius omnibus, ſacramentum poenitentiæ ſolum illis, qui poſt Baptiſmum graviter lapſi ſunt, conſequenter ille ex ſuppoſitione peccati originalis, hoc ex ſuppoſitione peccati gravis actualis poſt Baptiſmum commiſſi; neutrum tamen ex ipſa natura rei, ſed ex voluntate Dei. Vid. etiam quæſt. 3 diſp. 1.

QUÆSTIO VII.

An in Eccleſia Chriſti ſemper fuerit uſus confeſſionis diſtinctæ?

124 NOvatores ut confeſſionis diſtinctæ inventum concilio Lateranenſi IV, & Innocentio III affingant, effronter contendunt, illius uſum primis Eccleſiæ ſæculis non viguiſſe, aut certe jam ſæculo IV a Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo fuiſſe abrogatum. Cum enim nobilis quædam matrona Conſtantinopoli

a poenitentiario, cui totius vitæ peccata erat confessa, jussa fuisset peccata publica etiam publice confiteri, & pro iis satisfacere jejuniis, & orationibus, illa ulterius, quam par erat, & poenitentiarius præceperat, progressa, etiam occultum sacrilegium cum quodam diacono perpetratum prodidit. Quare diaconus in poenam flagitii suo gradu dejectus, populus autem in sacros Ecclesiæ ministros ita commotus est, ut Nectarius suasu cujusdam presbyteri nomine Eudæmonis poenitentiarium amoverit, ejusque munus penitus abrogaverit, quemadmodum referunt Eusebius Histor. Eccles. lib. 5 cap. 19, Sozomenus Histor. lib. 7 cap. 16, aliique veteres historici.

Dicendum. Confessio distincta peccatorum 125
a primis Ecclesiæ temporibus semper viguit. Conclusio hæc traditur a concilio Tridentino sess. 14 can. 6 de poenit., eamque quoad posteriora sæcula fatentur ipsi Novatores, & abunde testantur libri Magistri sententiarum, aliorumque Scholasticorum. Idem de prioribus XII sæculis clare ostendit Bellarminus lib. 3 de poenit. cap. 6 & seq. q. ac Tournelyus quæst. 6 de Sacrament. poenit. art. 2 adductis plurimorum Patrum testimoniis, ex quibus nonnulla referre sufficiat. Igitur de sæculo primo testimonium perhibent ipsi actus Apostolorum; in quibus cap. 19 v. 18 dicitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Qui locus imprimis loquitur de confessione peccatorum facta post Baptismum; qui enim nondum erant baptizati, non solebant dici credentes. Dein de confessione distincta, ut colligitur ex illis verbis: *Annunciantes actus suos.* Denique de confessione non soli Deo, sed homini facta; nam ad Paulum veniebant, ut confiterentur; nem-

pe quemadmodum ſacer textus indicat, terrore perculſi, ut evaderent manus, & vindictam diaboli, hinc etiam obtulerunt libros ſuperſtitioſos ad comburendum.

126 Sæculo II S. Irenæus Apoſtolorum diſcipulus libr. 1 cap. 9 de quibusdam fœminis, quas Marcus hæreticus ſeduxerat, ait: *Hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt*; aſſerit autem hæc de occulto crimine; imo etiam de occulta cupiditate, quæ niſi ex confeſſione illarum cognoſci non potuiſſet. Similiter Tertullianus lib. de pœnit. agens de iis, qui ex quodam pudore a confeſſione abhorrebant, per ironiam dicit: *Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet, ſiquid humanæ notitiæ ſubduxerimus, perinde & Deum celabimus.* Sæculo III Origenes Homil. 17 in Luc. explicat illud: *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, aitque *Si revelaverimus peccata noſtra non ſolum Deo, ſed & his, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis, delebuntur peccata noſtra*; S. Cyprianus ſerm. 5 de lapſis: *Quanto & fide majore, & timore meliore ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolentes, & ſimpliciter confitentes exomologeſin conſcientiæ faciunt*; ne autem putemus iſta tantum per modum conſilii propoſuiſſe, paulo infra ſubjungit: *Confiteamur ſinguli, quæſo fratres, dum ſatisfactio, & remiſſio facta apud Sacerdotes, apud Deum grata eſt.*

127 Sæculo IV S. Baſilius in quæſt. Brev. regul. 228 inquit: *Neceſſario iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei*; idemque in regula ſequenti confirmat

mat ex ſimilitudine medici corporalis, qui morbum ignotum non ſanat. S. Ambroſius lib. de pœnit. cap. 6: *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum, ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* De eodem teſtatur S. Paulinus in vita, quod confeſſiones privatim audire ſolitus ſit. Sæculo V S. Auguſtinus Homil. 51 fideles hortatur ad fugam vitiorum, quia *ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit, ſi ipſam pœnitentiam accipere, & Deo, ac Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.* Similiter S. Chryſoſtomus lib. 2 de Sacerdot. ait: *Quam ob rem multa quidem arte opus eſt, ut, qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſeſe ſubmittere debere.* Sæculo VI S. Gregorius Magnus Homil. 26 in Evang. ad ſuſcitationem Lazari ita alludit: *Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator, venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, qui non erubuit confiteri, quod fecit.* Similia habet S. Joannes Climacus gradu 4.

Sæculo VII Cæſarius Arelatenſis Homil. 128
10 de pœnit. ferventer admonet, & conteſtatur eum, qui contra caſtitatem peccaverat: *Ut confeſſionem velut tabulam fractæ navis velociter apprehendat.* Sæculo VIII venerab. Beda ad cap. 5 epiſt. S. Jacob., ubi de confeſſione peccatorum agit, ita habet: *Gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus.* Sæculo IX Rabanus Epiſcopus Moguntinus lib. 7 in Eccleſiaſt. cap. 7: *Qui transgreditur menſuram in concupiſcentiis carnis, & aggravatur ejus delictis, neceſſe eſt, ut per confeſſionem peccatorum fœditatem evomat.* Sæculo X Radulphus Flaviacenſis lib. 3 in Leviticum: *Dignum eſt, ut qui peccatorum ſuorum confeſſionem facit, conſumet ea omnia, quæ ad memoriam*

am revocare potest. Sæculo XI Petrus Damiani in ſerm. de S. Andrea: *Quartus gradus est confeſſio oris; hæc pure facienda eſt, quia non eſt pars peccatorum dicenda, & altera retinenda.* Sæculo XII S. Bernardus ſermone 16 in Cantic.: *Omne, quod remordet conſcientiam, confitere humiliter, pure, fideliter.*

Objectiones.

129 OBj. 1. Plures SS. Patres teſtantur, quod relapſi non amplius fuerint admiſſi ad pœnitentiam, quæ pariter negata fuit damnatis ad mortem, & clericis, qui publica crimina perpetrarunt: ergo confeſſio peccatorum non ubique fuit in uſu, nec omnibus neceſſaria. Conf. S. Gregorius Nyſſ. epiſt. ad Lectojum ait, avaritiæ peccatum a Patribus fuiſſe intermiſſum, & Tertullianus lib. de pudicit. cap. 5 omnem veniam idololatris, & homicidis tempore Zepherini Papæ negatam eſſe, & tunc primum indultam mœchis, & adulteris. Reſp. Diſt. Ant. quod non amplius fuerint admiſſi ad pœnitentiam publicam, Conc. Ant. ad privatam, & ſacramentalem, Neg. Ant. Quamvis pœnitentia publica, tum ne vileſceret, tum ut evitaretur ſcandalum, olim laicis tantum ſemel, & clericis nunquam fuerit conceſſa, nullo tamen tempore univerſa Eccleſia præſertim Romana, omnium aliarum Mater, peccatores quoscunque a pœnitentia ſacramentali, & privata excluſit, quidquid forte egerint aliquæ Eccleſiæ particulares, aut quidam Epiſcopi nimis rigidi, quorum paucorum exotica ſeveritas non potuit univerſali aliorum uſui præjudicare. Ad Conf. S. Gregorius in hac epiſtola agit de pœnis publicis, & canonicis, & ſolum ait, quod nullæ ejusmodi pœnæ a Patribus in peccata

ava-

avaritiæ decretæ fuerint. Tertullianus vero dum hunc librum scripsit, jam ad Montanistas defecerat, adeoque longe plus ei credendum est in iis, quæ prius docuerat, & alii Patres ac ipsa Scriptura testatur.

Dices 1. Innocentius I in epist. ad Exuper. fatetur, quod antiqua Ecclesia fuerit durior gravibus peccatoribus negando reconciliationem, aut communionem, contra quem rigorem statuit utrumque concedere, tum ut magis recederetur a Novatianis, qui etiam in articulo mortis veniam negabant, tum ut animæ ab exitio vindicarentur: ergo antiqua Ecclesia aliquibus etiam negavit pœnitentiam privatam, & sacramentalem. Conf. Si Ecclesia aliquibus potuit negare Evcharistiam, non est ratio, cur ipsis non potuerit negare pœnitentiam. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Cum Innocentius non solum Sacramentum pœnitentiæ, sed etiam Evcharistiæ gravibus peccatoribus in articulo mortis concesserit, utique magis a rigore Novatianorum recessit, quam Ecclesia antiqua, qua ratione saltem indirecte animas etiam vindicavit ab interitu, in quantum S Evcharistia in morte roborat, & vires suppeditat ad resistendum tentationibus. Ad Conf. Neg. Ant. Quia S. Evcharistia nec per se causat gratiam primam, nec est necessaria necessitate medii, hinc viaticum licite negatur moribundo, si e. g. Sacerdos ob defectum sacrarum vestium, aut altaris non potest commode consecrare. 130

Dices 2. Saltem confessio distincta non fuit in usu sæculo I; nam quando Ephesii act. 19 v. 18 dicuntur confessi actus suos, solum indicatur, quod aliqua peccata enumeraverint per modum exempli, aut quod annunciaverint miracula sua, ut hunc locum exponit Lu- 131

Lutherus. Conf. Venerab. Beda lib. 5 in Luc. cap. 69 ait, solos illos fideles debere confiteri Sacerdoti, qui lepræ spiritualis immunditia, id est hæretica, judaica, ethnica, vel schismatica perversitate laborant. Resp. Neg. Ant. Nam ubicunque Scriptura loquitur de remissione peccatorum, de omnibus intelligi debet, licet non apponat signum universale, ut quando Christus dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata*, Matth. 9 v. 2. Interpretatio Lutheri omnino inepta est, ut patet ex contextu, & textu syriaco, qui expresse habet: *Nunciantes offensas suas, & confitebantur, quæ fecerunt.* Quod si Scriptura de confessionis distinctæ usu nullibi meminisset, dubitari tamen non posset, quod Apostoli cæterique fideles præceptum Christi observaverint. Ad Conf. Venerabilis Beda non loquitur de confessione sacramentali in ordine ad absolutionem, sed solemnem receptionem ad Evcharistiam, qua soli infideles, hæretici, & schismatici indigent.

132 Obj. 2. Quamvis confessio distincta aliquando incæperit invalescere, tamen sæculo IV mox iterum fuit abrogata. Prob. Quando Nectarius munus pœnitentiarii abrogavit, non abrogavit pœnitentiam publicam; hæc enim adhuc sub S. Chrysostomo Nectarii successore in Ecclesia Constantinopolitana, aliisque orientalibus in usu fuit: ergo abrogavit pœnitentiam privatam, qua peccata distincte confiteri solebant. Conf. Quia ille pœnitentiarius non solum excipiebat peccata publica, sed etiam occulta eorum, qui peccatum canonicum admiserant. Resp. Neg. Ant. ad Prob. Transf. Ant. Neg. Conf. Quod Nectarius abrogando munus pœnitentiarii non abrogaverit pœnitentiam privatam, certum est, an vero penitus

tus ſuſtulerit pœnitentiam publicam, non ſatis conſtat, affirmat Bellarm. lib. 3 de pœnit. cap. 14, negat cum aliis Marinus lib. 2 de pœnit. cap. 9, exiſtimans a Nectario tantum abrogatam fuiſſe pœnitentiam publicam peccatorum occultorum, quam fideles quidam ex ſpontanea devotione ob majorem ſui humiliationem ex conſilio Confeſſarii facere ſolebant, quamvis nulla lege fuerit impoſita. Ad Conf. Licet illi, qui ob peccatum canonicum pœnitentiæ publicæ obnoxii erant, pœnitentiario etiam peccata occulta declarare debuerint, quia alias confeſſio non fuiſſet integra; tamen reliquorum fidelium peccata non ſolus pœnitentiarius excipiebat, ſed adhuc multi inferiores Sacerdotes erant conſtituti, ut conſtat ex auctoritate Patrum, & exemplis, quæ allegat Tournelyus de Sacrament. pœnit. quæſt. 6 art. 2 argument. 4.

Dices 1. Socrates lib. 5 cap. 19 teſtatur, 133
quod Nectarius poſt abrogatum munus pœnitentiarii, unicuique permiſerit, ut pro arbitrio & animi ſui conſcientia ad Sacramentum altaris accederet, ideo Eudæmonem redarguit mali conſilii, eoquod Chriſtiani ſua deinceps delicta non eſſent reprehenſuri. Addit Sozomenus inde factam majorem peccandi licentiam: ergo Nectarius etiam pœnitentiam privatam abrogavit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Poſtquam Nectarius ſuſtulit munus pœnitentiarii, pœnitentes non amplius tenebantur quidem, antequam ad S. Communionem accederent, ejus conſenſum requirere, ut alibi jam notavi: at ideo nihilominus tenebantur confiteri alteri, ſi peccati gravis ſibi conſcii fuerunt. Unde Socrates ſolum conqueritur, quod Eudæmon conſilio ſuo voluerit abrogari publicam illam morum cenſuram, qua peccatores ab aliis fideli-

libus, ad tribunal pœnitentiarii deferebantur, & legitime convicti cogebantur ad pœnitentiam publicam; ſublata autem hac reprehenſione publica, utique Chriſtiani minus quam antea a peccatis abſterrebantur. Certe abrogatio Confeſſionis privatæ neutiquam neceſſaria erat ad ſedandum populi tumultum, & ipſe Sozomenus affirmat, confeſſionem peccatorum jure divino eſſe neceſſariam.

134 Dices 2. Saltem a pluribus jam ſæculis nulla confeſſio fuit in uſu apud Orientales, & Græcos; conſtat enim presbyteros ferme nunquam, nobiles ad ſummum ter, vel quater in anno peccata confiteri, plebeos vero ab hoc onere vulgo immunes exiſtimari. Quin Alexandriæ duo Patriarchæ Jacobitæ Joannes, & Marcus ſæculo XII confeſſionem publico judicio ſuſtulerunt, quam apud Jacobitas, & Coptitas vix notam eſſe teſtantur Jacobus a Vitriaco in Hiſt. Hieroſol. cap. 75, & Gabriel Sionita in Itiner.: ergo. Reſp. Neg. Ant. Quod apud Græcos poſt decretum Nectarii remanſerit uſus confeſſionis, manifeſte conſtat ex illorum libris pœnitentialibus, præſertim Joannis Jejunatoris, qui fuit coætaneus Gregorii Magni; hinc circa hanc rem a Latinis nunquam Græcis controverſia intentata fuit; imo quamprimum Græci circa illam Lutheranorum, & Calviniſtarum errores intellexerunt, in eos ſcriptis, & canonibus ſynodalibus invecti ſunt. Pariter Patriarchis Joanni, & Marco ſtrenue ſe oppoſuerunt Marcus Monachus, & Presbyter, uterque Ebnaſſalus, aliique apud Auctorem rei Sacrament. lib. 6 quæſt. 5 § 3. Unde dum aliqui aſſerunt, confeſſionem orientalibus incognitam eſſe, vel falſis rumoribus decepti ſunt, vel ſolum probant, quod magna ſchismaticorum pars a ſuis Pſeudo-Patriarchis ſedu-

ſeducta, cæteris erroribus ſuis hunc novum addiderit.

QUÆSTIO VIII.

An in antiqua Eccleſia fuerit uſus confeſſionis publicæ, vel privatæ?

JAnſeniſtæ quamvis fateantur confeſſionem diſtinctam omnium peccatorum jure divino neceſſariam eſſe, eamque ſemper in Eccleſia viguiſſe, contendunt nihilominus hanc confeſſionem a ſæculo III usque ad XIV non tantum fuiſſe privatam, ſeu, ut novatores illam vocant, auricularem, ſed publicam. Per privatam intelligitur illa, qua peccata ſoli Sacerdoti deteguntur, atque impoſita pœnitentia privatim, & occulte peragitur; per publicam vero, in qua peccatum commiſſum publicatur, & ſatisfactio pro eo publice in facie Eccleſiæ peragitur. Hanc aliqui cum Bellarm. lib. 1 de pœnit. cap. 21 ſubdiſtinguunt in ſolemnem, & non ſolemnem, quam dicunt impoſitam fuiſſe pro quolibet peccato mortali publico, econtra ſolemnem tantum pro graviſſimis quibusdam criminibus idololatriæ, homicidii, & mœchiæ, idque a ſolo Epiſcopo feria 4 cinerum cum certis quibusdam ſolemnitatibus. Publice autem pœnitentes erant in quatuor claſſibus. Aliqui dicebantur flentes, quia præ foribus templi ſtabant implorando preces fidelium: Alii audientes, nempe intra templum in loco ſeparato verbum Dei: Alii proſtrati, qui non ſolum admittebantur ad audiendum verbum divinum, ſed etiam ad orandum ſed corpore ſemper proſtrato; Alii denique ſtantes cum fidelibus ad ſacrificia, ſed non admittebantur ad S. Communionem. Pro hac diverſitate claſſium variæ præſcriptæ fuerant pœni-

135

ten-

tentiæ, uti habitus rigidus, gravis afflictio corporis, orationes, jejunia &c. tempus quoque pœnitentiæ varium erat juxta criminum diversitatem.

136 De hac pœnitentia publica nulla a scriptoribus Ecclesiasticis fit mentio usque ad medium sæculi III, quo Ecclesia, ut obturaret ora Novatianorum, & Montanistarum, qui catholicorum Pontificum in condonandis peccatis clementiam carpebant, cæpit esse severior, & pro quibusdam peccatis publicis, & valde gravibus pœnitentiam exigere, constituto pœnitentiario, qui illam nomine Episcoporum imponeret. Nihilominus pœnitentia solennis tantum semel, & non omnibus promiscue concedebatur; nam juvenes ab illa erant exclusi, clerici vero potius deponebantur, vel in monasteria detrudebantur. Neque etiam circa alios hujus pœnitentiæ usus adeo diurnus fuit, sed in Ecclesia Orientali ferme penitus abrogata est sæculo IV ad finem vergente, in Occidentali autem sub initium sæculi VIII, ut colligitur ex canonibus, & libris ritualibus utriusque Ecclesiæ. Cæterum quod pœnitentia publica saltem solemnis tantum imposita fuerit pro peccatis publicis, & valde gravibus, quæ ideo canonica dicebantur, testatur Origenes Homil. 15 in Levit. S. Ambrosius lib. 2 de pœnit. cap. 10, Eligius Homil. 16. Idemque præter alios scriptores satis clare asserit concilium Carthaginense III can. 32, ubi de pœnitentia solemni ita statuit: *Cujuscunque pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidem manus ei imponitur.* Plura videri possunt apud Bellarm. loc. cit. & Francolinum in Cleric. Roman.

Di-

Dicendum. Ab exordio Ecclesiæ semper 137
viguit confessio secreta, seu privata, ita rursus docet concilium Tridentinum sess. 14 can. 6 cit. Prob. Ex una parte fideles jure divino semper debuerunt confiteri, eorumque confessio semper viguit : ex altera parte non semper debuerunt confiteri, neque confessi sunt publice : ergo semper viguit confessio privata. Ant. quoad 1mum membrum fatentur ipsi Jansenistæ, contra quos hic agimus, quoad 2dum patet ex numero superiore, in quo notavi pœnitentiam publicam neque semper durasse, neque omnibus, & pro omnibus peccatis fuisse impositam. Profecto quævis peccata etiam occultissima, nulloque teste commissa publice confiteri est res adeo difficilis, ut nulla lege humana præcipi possit. Hinc Tridentinum sess. 14 cap. 5 ait : *Non satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda.* Quod jam ante agnoverat S. Leo epist. 58; dum enim quidam confessarii pœnitentes adigere vellent, ut peccata sua libellis notata recitari permitterent, redarguit hanc novam consuetudinem, ut impossibilem, & apostolicæ regulæ contrariam : *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta.*

Objectiones.

OBj. 1. In Ecclesia antiqua pœnitentia publi- 138
ca imponebatur ob quælibet peccata mortalia etiam occulta : ergo tunc non vigebat confessio privata. Ant. Prob. ex Tertulliano, qui lib. de pœnit. cap. 4 clare asserit, pro omnibus delictis per judicium pœnam esse destinatam, & cap. 5 addit, Pœnitentiam hanc tantum semel obiri, & nunquam posthac itera-

ri debere. Conf. S. Cyprianus epist. 9 docet, pœnitentiam publicam non solum pro peccatis majoribus, sed etiam minoribus agendam esse. Resp. Neg. Ant. ad Prob. dico: Tertullianum in hoc libro a capite septimo usque ad finem loqui quidem de pœnitentia publica, in prioribus autem capitibus solum de pœnitentia in genere; nam cap. 4 ait: pœnitentiam, de qua loquitur, esse præceptam a Deo, & cap. 6 illam etiam catechumenis esse necessariam. Unde locis objectis solum vult, pro omnibus delictis per judicium Dei pœnam esse destinatam, post primam autem pœnitentiam tam catechumenos, quam baptizatos ita vivere oportere, ut non indigeant pœnitentia secunda. Ad Conf. S. Cyprianus per peccata minora intelligit mortalia, nec tantum qualiacunque, sed graviora, eamque comparat cum idololatria, ut reprimeret illos, qui ob Martyrum libellos statim sine pœnitentia publica Ecclesiæ reconciliari postulabant.

139 Dices 1. S. Augustinus pluribus in locis tantum triplex veniæ remedium agnoscit, nempe Baptismum, orationem pro levibus, & pœnitentiam pro gravioribus peccatis, quam pœnitentiam lib. de symbolo cap. 3 vocat majorem, serm. 352 graviorem, & luctuosiorem. Conf. Teste eodem S. Doctore serm. 351 fideles ob quodlibet peccatum mortale a mensa Domini removebantur: ergo. Resp S. Augustinus sub nomine poenitentiæ comprehendit tam privatam, quam publicam, hanc autem expressius designat, quia magis serviebat ad ejus propositum, ut nempe severitate luctuosæ hujus poenitentiæ deterreat catechumenos, ne & ipsi aliquando eandem subire debeant. Porro ipsis locis objectis satis indicat, quod poenitentia publica non nisi pro adulteriis, aliisque gravio-

vioribus, & canonicis peccatis fuerit injuncta. Ad Conf. Dist. Ant. Removebantur a mensa Domini in foro externo, & contentioso per sententiam judicis Ecclesiastici, Neg. Ant. in foro interno sponte obtemperando consilio, vel præcepto Sacerdotis, Conc. Ant. Neg. Conf. Etiam de facto Sacerdotes in quibusdam casibus denegare, aut differre solent absolutionem, & peccatores ab Evcharistia arcere, donec sufficientia poenitentiæ, & emendationis signa dederint, quis autem ideo dicat adhuc vigere poenitentiam publicam?

Dices 2. Non est credibile, quod poenitentia publica pro tribus tantum criminibus fuerit imposita; nam Patres frequenter inculcant, non sufficere, siquis poenitentiam tantum agat in occulto; hortantur, ut qui graviter peccavit, prius publica poenitentia satisfaciat, & tunc primum Sacerdotis judicio reconciliatus, ad sacram mensam accedat &c. Conf. Origenes Homil. 3 in Levit. ait: *In omni genere pronuncianda esse peccata, & in publicum proferenda cuncta, quæ gerimus, si quod in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus.* Resp. Quamvis successu temporis poenitentia publica forte pro pluribus, imo juxta aliquos pro omnibus peccatis publicis imposita fuerit, certum tamen est, quod non omnes illam subire potuerint, & debuerint, multo minus, qui tantum occulte peccaverunt: ergo semper etiam fuit in usu poenitentia privata, SS. Patres autem solum volunt, non sufficere poenitentiam in occulto apud solum Deum, & ante communionem publice satisfieri debere pro peccatis canonicis, quando id fieri potest. Ad Conf. Origenes hoc lo- 140

co non hortatur ad peccatorum confeſſionem indiſcriminatim, & promiſcue coram omnibus faciendam, ſed coram prudente Sacerdote, quem docet caute ſeligendum eſſe: ergo proferre peccata in publicum juxta ipſum idem eſt, ac exterius proferre, ſeu ut Homil. 2 in Pſalm. 37 ait: *Non celare intrinſecus.*

141 Obj. 2. Quando ſacri canones imponunt poenitentiam publicam, non diſtinguunt inter crimina publica, & occulta, ſed maxime attendunt ad illorum gravitatem; hinc mitius puniunt illos, qui peccatum ſuum ſponte confitentur. Conf. Matrona illa conſtantinopolitana, de qua dixi num. 125, utpote nobilis, & alias bonæ famæ peccatum ſuum non aperuiſſet publice, niſi a pœnitentiario coacta fuiſſet. Reſp. Neg. Ant. quoad 1mum membrum, quamquam, etſi Canones hanc diſtinctionem aperte non feciſſent, illa ſatis conſtaret ex communi uſu, & ratione, Diſt. 2dum membrum. Maxime attendebant ad gravitatem peccatorum junctam cum ſcandalo, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. Quando canones mitiorem pœnam imponunt iis, qui crimen ſponte fatentur, non loquuntur de crimine omnino occulto, ſed tali, quod probari poſſet, licet defacto ob defectum teſtis, vel delatoris non probetur, neque ideo crimen fiebat publicum, cum ſæpe pro diverſis peccatis eadem pœnitentia ſtatuta fuerit. Ad Conf. Ex hiſtoria conſtat, quod ipſa matrona longius ſit progreſſa, quam ipſi præceptum, aut permiſſum erat. Cur hoc fecerit, ſcriptores non exprimunt, forte ex indiſcreto zelo, vel ob exempla aliorum, qui nonnunquam ſua peccata occulta publice confeſſi ſunt.

142 Dices. Si pro peccatis occultis non potuiſſet imponi pœnitentia publica, fruſtra SS. Pa-

Patres toties fuiſſent hortati fideles, ut deponant verecundiam, & timorem, quo ab agenda pœnitentia retrahebantur, & ut loquitur Tertullianus lib de pœnit. cap. 10 ſui publicationem refugiebant. Hinc SS. Patres omnia peccata ſolum diſtinguebant in levia, & gravia, & hæc dicebant expianda per publicam pœnitentiam. Conf. SS. Patres teſte S. Baſilio epiſt. canon. ad Amphiloch. cap. 34 prohibuerunt publicare adulterium, ne convictis cauſa mortis præbeatur: ergo publicatio aliorum peccatorum non erat prohibita. Reſp. Diſt. Ant. Si pœnitentia hæc non potuiſſet imponi invitis, Neg. Ant. volentibus, & conſentientibus, Tranſ. Ant. licet permiſſum fuerit quandoque crimina occulta publicare, vel ſaltem publicam pro iis agere pœnitentiam, ideo non ſequitur, quod hæc pœnitentia fuerit præcepta præcepto Eccleſiaſtico, aut etiam invitis imponi potuerit. Porro Patres per peccata levia non ſolum intelligebant venialia, ſed etiam mortalia minus gravia, ut cum aliis oſtendit Petavius. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sæpe propter ſpeciales rationes ſpecialiter aliquid prohibetur e. g. oppreſſio pupillorum, & viduarum, quin ideo reſpectu aliorum id liceat: ſic Patres ſpecialiter prohibuerunt, ne Confeſſarii mulieribus etiam ſponte conſentientibus publicationem adulterii ſuadeant ob periculum incurrendæ mortis.

Quæres. An Confeſſio ſecreta, & privata ex præcepto divino fuerit neceſſaria? an vero etiam ſuffecerit publica? Quamquam non deſint, qui cum Eſtio putent, confeſſionem ſecretam determinate a Deo præceptam fuiſſe, quia concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 6 ait: *Non eſſe divino mandato præceptum, nec ſatis* 143

consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica confessione essent aperienda, imo can. 6 anathema dicit asserenti: *Modum secreto confitendi soli Sacerdoti, alienum esse ab institutione, aut mandato Christi.* Nihilominus P. Simonet ex his ipsis locis Tridentini infert, præcepto divino satisfieri potuisse tam per pœnitentiam publicam, quam privatam; nam cap. 6 Tridentinum expresse dicit, Christum non vetuisse, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem delicta sua publice possit confiteri: ergo Christus confessionem privatam non instituit tanquam medium essentiale ac necessarium, & solum ille anathema incurrit, qui asserit confessionem privatam ab institutione, & mandato Christi alienam; id est, eidem contrariam esse, esto, quod modus confitendi secrete per se loquendo sit convenientior, & magis serviat ad tollendas difficultates & scandala.

QUÆSTIO IX.

Quando, & quibus Sacramentum pœnitentiæ sit præceptum ab Ecclesia?

144 Quod Sacramentum pœnitentiæ fidelibus saltem semel singulis annis sit præceptum, definitum est a concilio Tridentino sess. 14 Can. 8, ubi anathema dicitur asserenti: *Ad confessionem omnium peccatorum non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles juxta magni concilii Lateranensis constitutionem semel in anno*; Concilium autem Lateranense IV can. 21 ita habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat*

deat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, alioquin & vivus ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens careat christiana sepultura. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere, & ligare.

Dicendum. Præceptum confessionis semel 145
in anno obligat in conscientia sub gravi omnes fideles mortalis noxæ, nondum clavibus rite subjectæ, reos: non item habentes sola peccata venialia. Pars 1 est omnium Theologorum, & constat tum ex gravitate materiæ præceptæ, tum ex anathemate concilii Tridentini, & magnitudine pœnarum a concilio Lateranensi in transgressores statutæ, quæ tamen pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ, ut colligitur ex verbis, *Arceatur, careat*, seu privetur. Pars 2 contra Alensem Richardum, aliosque respective paucos probatur, quia Ecclesia non præcipit ipsam confessionem, sed tantum determinat eam, quam Christus præcepit, debere semel in anno fieri, ut notat Tridentinum sess. 14 cap. 5; atqui Christus tantum præcepit confessionem peccatorum mortalium, venialia autem citra culpam taceri, multisque aliis remediis expiari possunt, ut eodem capite Tridentinum tradit. Certe confessio omnium peccatorum venialium per annum admissorum non solum difficillima, sed impossibilis foret.

Dixi 1. Præceptum confessionis nempe va- 146
lidæ; cum enim Ecclesia tantum determinaverit tempus annuæ confessionis, intellexit talem, qualem Christus instituit, & præcepit; atqui Christus certo præcepit confessionem validam, per quam peccator Deo recon-

ciliatur. Hinc Alexander VII damnavit propositionem 14: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto*; & similem Innocentius XI num. 55: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.* Unde his præceptis non satisfieret, etsi aliquis citra suam culpam non absolveretur, aut acciperet hostiam non consecratam, quamquam enim in ejus potestate non sit, ut ipse sibi det absolutionem, aut hostiam consecret, posset tamen ab alio Sacerdote absolutionem, aut hostiam consecratam obtinere. Si quis tamen confessionem non omnimode negligeret, sed saltem confiteretur, licet ex malitia invalide, juxta multos non subjaceret pœnis a concilio Lateranensi statutis, quia hæc lex ecclesiastica, quatenus est pœnalis, est strictæ interpretationis, & confessio etsi invalida tamen quodammodo est sacramentalis, ita ut confessarium ad sigillum obliget.

147 Dixi 2. Semel in anno. Quippe ut ex concilio Lateranensi patet, confessio per se non est præcepta pro determinata anni parte sicut communio tempore paschatis, quamquam morem confitendi in quadragesima tanquam utilem, & salutarem commendet Tridentinum sess. 14 cap. 5. Imo ipsum præceptum confessionis obligat illos, qui peccati mortalis rei sunt, & sacram communionem accedere debent. Quod si confessio intra tempus præscriptum non fuerit instituta, debet statim postea fieri, quia Ecclesia non determinavit tempus, quo finito cesset obligatio, sed ultra quod non liceat confessionem differre: ergo obligatio semper manet, & urget, sicut obligatio restituendi mutuum, quod tempore præfixo non fuit solutum. Ob eandem rationem, qui prævidet,

videt, se intra annum non amplius posse confiteri, debet præfixum terminum prævenire, quia præceptum suo modo urget toto anno, ut iterum patet ex paritate cum præcepto die festo audiendi Missam; si enim aliquis prævidet, se non amplius habiturum occasionem illam audiendi e. g. hora undecima, debet prævenire, & audire, quando celebratur.

Dixi 3. Omnes fideles etiam pueros, qui 148
mortaliter peccaverunt, sive dein septimo, sive octavo, sive ut alii censent, nono primum anno communiter fiant doli capaces, licet puellæ citius sapere dicantur. Longius adhuc tempus videtur requiri, ut obligentur præcepto annuæ communionis, adeo, ut Tannerus censeat in Germania, præsertim in pagis apud rudes raro quemquam admittendum ante 10 annum, imo Gobat non audet damnare consuetudinem, juxta quam alicubi solum admittuntur circa 13 annum post obtentum melius de spiritualibus rebus judicium. Interim pueri etsi culpabiliter confessionem annuam negligerent, non incurrerent pœnas ecclesiasticas, a quibus impuberes communiter sunt excepti. Quod si autem sive puer, sive adultus tantum haberet peccata venialia, vel mortalia jam remissa, non solum in paschate non teneretur confiteri, sed etiam omissa confessione posset accedere S. Communionem, modo id Parocho significaret; Parochus autem teneretur ei credere, nisi clare constaret oppositum. In praxi tamen censetur facilius esse, confiteri aliquod peccatum veniale.

Objectiones.

OBj. 1. Confessio est onus gravissimum, & 149
ut hæretici loquuntur, carnificina consci-

entiæ : ergo non poteſt præcipi ab Eccleſia. Conf. Hæretici, imo etiam meretrices publicæ non tenentur ad confeſſionem : ergo præceptum Eccleſiæ non obligat omnes. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. non poteſt præcipi ab Eccleſia nullo præſuppoſito præcepto divino, Conc. Conſ. hoc præſuppoſito, Neg. Conſ. cum quilibet graviter lapſus jam ex præcepto divino teneatur omnia mortalia confiteri, & pœnitentiam non liceat nimis longo tempore differre, onus confitendi, qualecunque illud ſit, non multum augetur per hoc, quod Eccleſia tempus peragendi confeſſionem determinet. Ad Conf. Neg. Ant. Quamvis hæretici non ſint fideles in ſenſu ſtricto, ſunt tamen in ſenſu latiore, in quo a jure canonico communiter intelliguntur omnes baptizati, non vero qui recte credunt, alias etiam catechumeni confiteri deberent. Publicas meretrices quod attinet, non eſt, cur ipſis detur privilegium exemptionis ab hac lege; quod enim ipſis potius obſit, quam proſit, eſt per accidens ex propria ipſorum perverſitate; hinc etiam incurrunt pœnas in prævaricatores ſtatutas, quamvis ſæpe non denuncientur, quia non ſperatur earum correctio.

250 Obj. 2. Sicut Eccleſia non poteſt judicare de internis : ſic non poteſt præcipere actus internos : ergo non poteſt præcipere confeſſionem validam, cum ad illam neceſſario requiratur dolor internus de peccatis. Conf. Juxta nos differens confeſſionem validam ultra annum, continuo peccaret, donec confiteretur; hoc nimis durum : ergo. Reſp. Diſt. Ant. non poteſt præcipere actus internos directe, Tranſ. Ant. quod in tractatu de legibus negavi. Non poteſt præcipere actus in-

internos indirecte, in quantum confeſſio externa rite, & prout moraliter fieri debet, ſine actibus internis non poteſt fieri, Neg. Ant. Ratio negandi patet ex citatis propoſitionibus damnatis. Sane ſi Eccleſia obligat ad preces e. g. horas canonicas perſolvendas, utique etiam obligat ad aliquam intentionem, & attentionem internam; hinc de ejusmodi actibus internis ſaltem in foro interno judicare poteſt. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. niſi per accidens detur legitima excuſatio. Idem accidit in variis aliis obligationibus ſolvendi, reſtituendi &c. pro certis temporibus.

Obj. 3. Juxta concilium Lateranenſe IV. 151
omnis utriusque ſexus tenetur confiteri: ergo etiam ille, qui venialiter peccavit, cum longe difficilius ſit confiteri peccata mortalia, quam venialia. Conf. Tempore paſchatis colliguntur ſchedæ confeſſionis ab omnibus: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Omnis utriusque ſexus, qui peccavit graviter, Conc. Ant qui tantum peccavit leviter, Neg. Ant. Quia concilium tantum obligat illos, qui ad Confeſſionem tenentur ex præcepto divino, & licet difficilius ſit confiteri peccata mortalia, ſpectando erubeſcentiam, nihilominus obligatio confitendi venialia conjuncta eſſet cum longe majori difficultate ſe examinandi, omniaque enumerandi; hinc obnoxia foret multis ſcrupulis, & conſcientiæ perplexitatibus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Schedæ potius colliguntur ratione communionis paſchalis, quam confeſſionis, & ſi quis poſſet probare ſe communicaſſe, nec ei probaretur, quod id fecerit in ſtatu peccati gravis, non videretur puniri poſſe.

152 Obj. 4. Datur consuetudo antiquissima confitendi in paschate : ergo fideles saltem ex consuetudine eo tempore ad confessionem obligantur. Conf. Sixtus IV in extravag. de treuga & pace cap. 2 ait: *De jure tenetur Parochianus saltem in paschate proprio confiteri Sacerdoti* ; & concilium Agathense relatum can. in capite quadrages. 64 Dist. 52 : *Pœnitentiam injungendam esse pœnitentibus initio quadragesimæ.* Idem statuerunt alia quædam concilia provincialia. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Quia non constat fideles hanc consuetudinem acceptasse ut obligatoriam , sed confiteri hoc tempore solent, ut melius se disponant ad S. Synaxim. Ad Conf. Sixtus IV in sua extravagante solum statuit , quod illi , qui confitentur in paschate, debeant confiteri Sacerdoti proprio, ad quam constitutionem non respexit Tridentinum, sed ad solum concilium Lateranense. Concilium Agathense loquitur de pœnitentia publica, neque ex conciliis particularibus oritur obligatio pro tota Ecclesia, de qua nos loquimur.

153 Quæres 1. Quomodo quoad præceptum confessionis debeat computari annus ? Resp. Varios ab Auctoribus assignari computandi modos. Aliqui annum numerare incipiunt ab ultimo peccato mortali commisso, vel ab ultima confessione peracta ; at sic Ecclesiæ de adimpletione sui præcepti ordinarie constare nequiret. Cardinalis Lugo cum aliis docet, annum hunc computari debere a Calendis Januarii usque ad ultimum diem Decembris, P. Layman cum communiore ab uno paschate ad aliud. Huic ultimæ opinioni videtur favere communis fidelium praxis, & persuasio ; alias si quis tempore paschatis confessus esset mera venialia , dein vero ante ultimum

timum diem Decembris graviter laberetur, deberet illo adhuc anno mortale suum confiteri, de qua obligatione nihil videntur scire fideles. Porro ipse Lugo disp. 15. de poenit. sect. 7 num. 165 concedit, quod ille, qui tempore paschatis inculpabiliter oblitus fuisset aliquorum peccatorum mortalium, eodem anno non amplius confiteri teneretur, quia praeceptum divinum tantum obligat ad exponenda mortalia, quae memoriae occurrunt, Ecclesia vero solum tempus determinat. Aliud juxta ipsum foret, si quis peccati gravis memor quidem fuisset, attamen ex legitima causa illud non exposuisset.

Quaeres 2. Quinam juxta mentem conci- 154
lii Lateranensis sit proprius Sacerdos. Resp. Ille, qui habet ordinariam potestatem in plebem sibi subjectam, eique usu quotidiano Sacramenta dispensat, qualis est Parochus quilibet in sua parochia, ut patet ex can. 23 laudati concilii, ubi postquam Patres cuilibet parochiali presbytero decreverunt assignandam esse sufficientem ex Ecclesiae proventibus portionem, addunt: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiae, quae curam proprii Sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro beneficio conferre praesumat.* In qua constitutione nemo non intelligit, proprium loci Sacerdotem esse ipsum Parochum, cujus est suis Parochianis ex usu communi dispensare Sacramenta. Neque tamen concilium per haec voluit praejudicare Episcopis, & multo minus summo Pontifici, quin etiam ipsi confessiones audire, vel aliis facultatem concedere possint alienos Parochianos absolvendi, cum ipsi Episcopi a summo Pontifice, & Parochi ab Episcopis suam jurisdictionem obtineant.

Ex

155 Ex quibus inferes, Laicos, & clericos sæculares omnino satisfacere præcepto confessionis annuæ, qui confessionem etiam absque licentia proprii Parochi, aut Episcopi deponunt apud Regulares privilegiatos, & ab Episcopo simpliciter approbatos, quales sunt mendicantes, & qui cum ipsis in hoc privilegio communicant, vel per se tale privilegium habent. Est defacto certum contra quosdam Doctores Parisienses ex pluribus constitutionibus Apostolicis. Nobis adduxisse sufficiat constitutionem Clementis X, quæ incipit, *Superna Magni Patrisfamilias*. In hac §. 4 aperte statuit, quod Regulares simpliciter ab Episcopo approbati, & privilegiati *Possint quovis etiam tempore, etiam paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia*, & *quod illi, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis confessi fuerint tempore paschali, præcepto de confessione annua satisfecisse censendi sint*, ut habetur §. 5. Ratio est, quia Papa a Christo habet jurisdictionem summam, ordinariam, & immediatam in omnes fideles: ergo hanc jurisdictionem vel per mandatum speciale, vel per privilegium generale potest delegare etiam aliis v. g. Regularibus, ita ut delegatus eam possit exercere absque licentia Episcopi, aut Parochi, imo etiam ipsis resistentibus, & contradicentibus.

DISPUTATIO III.

De contritione in genere, & in specie.

156 CONtritio, quæ prima Sacramenti pœnitentiæ pars est, a concilio Tridentino sess. 14 cap. 4 in genere definitur, quod sit animi do-

dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Dicitur 1 dolor animi, ſeu affectus quidam triſtitiæ, & amaritudinis interioris, quo animus affligitur, quin tamen hic dolor debeat eſſe ſenſibilis in corpore, aut appetitu ſenſitivo. 2. Deteſtatio, id eſt actus quidam fugæ, odii, ac diſplicentiæ, qua voluntati diſplicet, peccatum a ſe commiſſum fuiſſe. 3 Cum propoſito non peccandi de cætero, quo ſcilicet animus ſerio ſtatuit impoſterum non amplius peccare. Atque *Hic contritionis motus* (& quidem ſupernaturalis) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuit neceſſarius*, ut in eodem loco notat Tridentinum; hinc defacto certa eſt ſententia, contritionem ſupernaturalem non ſolum ad fructum, ſed etiam ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiri, ut ex dicendis uberius patebit.

Dividitur contritio in perfectam, quæ per antonomaſiam contritio vocatur, & imperfectam, quæ alio nomine appellatur attritio. 157
Perfecta eſt, quæ per ſe habet annexam remiſſionem peccati, hominemque Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu ſuſcipitur; imperfecta eſt, quæ licet ſine Sacramento peccatorem per ſe ad juſtificationem perducere nequeat, eum tamen ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. Diſcrimen hoc eſt quidem tantum extrinſecum, & ab effectu petitum; quomodo autem una contritio ab altera differat intrinſece, ex dicendis colligetur. Audiamus hac de re rurſus concilium Tridentinum ſeſſ. & cap. cit.: *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (pœnitentiæ) *actu*

ctu suscipiatur : illam tamen contritionem imperfectam , quæ attritio dicitur , quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione , vel ex gehennæ , & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat , quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat , tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.

QUÆSTIO I.

Quid requiratur ad contritionem perfectam ?

158 QUod ad contritionem validam , & fructuosam nunquam sufficiat motivum mere naturale , e. g. dedecus , infamia , damnum aliquod mere temporale , ipsaque mors subeunda , definitum est in concilio Tridentino sess. 6 can. 3, ubi ait : *Neminem sine inspiratione Spiritus sancti pœnitere posse , sicut oportet* ; hinc etiam Innocentius XI proscripsit propositionem 57 : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Quæstio igitur tantum est, an contritio perfecta debeat procedere ex charitate , seu amore Dei propter seipsum summe dilecti. Negant Mastrius , aliique Scotistæ docentes , omnem illam contritionem esse per se reconciliativam , quæ procedit ex motivo alicujus virtutis , in suo conceptu involventis certum quemdam ordinem , ac relationem ad Deum e. g. ex motivo obedientiæ , religionis , gratitudinis erga Deum. Contrarium cum S. Thoma 3 part. q. 86 a. 3 in corp. & in supplement. q. 3 ad 1 in corp. tenent Thomistæ, & nostri communissime, quamvis aliqui admittant, ad contritionem perfectam etiam sufficere charitatem virtualem , quia autem illam di-

versi-

verſimode, nec ſatis clare explicant, præcipue agam contra ſententiam Scotiſtarum.

Dicendum 1. Contritio perfecta neceſſario debet procedere ex charitate. Prob Quando concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 contritionem diſtinguit in perfectam, & imperfectam, unicum diſcrimen ponit in hoc, quod illa ſit charitate perfecta, hæc autem ex turpitudinis peccati conſideratione, vel metu pœnarum concipiatur: ergo ſola illa contritio eſt perfecta, quæ procedit ex charitate, & motivo Dei propter ſeipſum ſumme dilecti. Quippe concilium hoc loco non loquitur de charitate habituali; ſed actuali tanquam pio motu ad juſtificationem, & remiſſionem peccatorum; alias fruſtra diceret, illa hominem Deo reconciliari, ubi enim jam adeſt charitas habitualis, homo non amplius reconciliatione indiget. Imo tali ratione ipſa attritio ab homine juſto elicita eſſet charitate perfecta. Si autem contritiones etiam ex aliis motivis elicitæ juſtificarent, doctrina concilii omnino dubia, & manca foret. Conf. Contritio concepta ex motivo ſpei non eſt perfecta, & per ſe juſtificativa: ergo neque concepta ex motivo religionis, juſtitiæ &c. eoquod actus ſpei utpote virtutis theologicæ ex genere, & motivo ſuo ſit longe nobilior, quam actus religionis, vel juſtitiæ. 159

Dicendum 2. Contritio perfecta debet eſſe appretiative ſumma ita, ut vi illius voluntas tam firmiter, & efficaciter adhæreat Deo, ut ſtante hoc actu impoſſibile ſit propter ullum bonum obtinendum, aut malum evitandum affective a Deo recedere, & ad peccatum grave converti. Prob. Quando Tridentinum dicit contritionem involvere actum charitatis, debet intelligi actus virtutis theologicæ, ut 160

cum

cum Angelico conſentiunt cæteri doctores, & colligitur ex Scriptura, juxta quam pœnitentia debet eſſe ex toto corde, & tota tribulatione. Sic Deuter. 4 v. 29 legitur: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen ex toto corde quæſieris, & ex tota tribulatione animæ tuæ.* Atqui actus charitatis theologicæ eſt ille, quo Deum appretiative amamus ſuper omnia alia bona, ut iterum omnes eruunt ex verbis Chriſti, Matth. 22 v. 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima &c.*, cui præcepto tantum per charitatem appretiative ſummam ſatisfieri poteſt.

161 Confirmatur utraque concluſio. Iſai. 31 v. 6 dicit Dominus: *Convertimini, ſicut in profundum receſſeratis Filii Iſrael.* Jam ſic juxta hunc textum, ut converſio peccatoris ſit perfecta, & juſtificativa, debet peccator eo proportionaliter modo ſe convertere ad Deum, quomodo ſe prius peccando ad creaturam converterat: ergo ſicut prius peccando ſeipſum prætulit Deo, ejusque amicitiæ ſtatuendo ſeipſum pro fine cui ultimo, ita poſtea convertendo ſe ad Deum debet Deum, ejusque amicitiam præferre ſibi, & omnibus bonis creatis, ſtatuendo illum pro fine cui ultimato, & immediato; atqui hoc non fit niſi ex motivo charitatis ſuper omnia, quia hæc ſola virtus pro fine cui ultimato, & immediato habet ſolum Deum, ejusque amicitiam, reliquæ autem virtutes pro fine cui, non quidem ultimato, & adæquato, ſed ulterius referibili, habent ipſum hominem, cui volunt honeſtatem ſibi propriam.

Obje-

Objectiones.

OBj. 1. Deus in Scriptura remiſſionem peccatorum ſæpe promittit ſine mentione charitatis. Sic Ezech. 33 v. 12 dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit,* & Pſalm. 31 v. 6: *Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*: ergo contritio juſtificativa non debet neceſſario procedere ex charitate. Conf. Quando David 2 Reg. 12 v. 13 remiſſionem peccatorum ſuorum obtinuit, tantum dixit: *Peccavi Domino,* & ſimilibus verbis dolorem ſuum expoſuit filius prodigus Luc. 15 v. 21, ac Publicanus Luc. 18 v. 13 Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis Scriptura non in omnibus locis mentionem charitatis faciat, nullibi tamen ejus neceſſitatem negat, ſed in multis eandem expreſſe adſtruit; in allatis autem textibus potius efficaciam, quam naturam pœnitentiæ perfectæ explicat, alias quævis contritio etiam ex metu gehennæ per ſe extra Sacramentum juſtificaret. Ad Conf. Quod David plus in mente egerit, quam verbis expreſſerit, omnes fateri debent, & ipſa verba: *Peccavi Domino*, indicant, peccatum ipſi diſplicuiſſe, non ut malum ſibi, ſed Deo, quem toto corde dilexit. Idem dicendum de filio prodigo, & publicano 162

Dices 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 ſolum docet: *Aliquando contingere, contritionem eſſe charitate perfectam*: ergo non negat dari alias contritiones perfectas, ſed tantum explicat, quid communiter ſoleat fieri. Conf. Si contritio deberet procedere ex charitate, non tantum contingenter, ſed neceſſario eſſet charitate perfecta: ergo. Reſp. 163

Dist. Ant. docet aliquando contingere, contritionem in genere esse charitate perfectam, Conc. Ant. contritionem justificativam in specie, Neg. Ant. & Conf. Tridentinum non dicit, illam contritionem esse justificativam, quæ communiter est ex charitate perfecta, sed absolute, & indefinite docet, illam esse justificativam, quæ ex charitate perfecta est, quam vim nulli alteri tribuit, adeoque omnes reliquas sufficienter excludit, alias in re maximi momenti doctrinam mancam tradidisset. Ad Conf. Dist. Ant. tunc contritio in genere est essentialiter charitate perfecta, Neg. Ant. contritio justificativa, Conc. Ant. Neg. Conf. contritio in genere potest esse vel identificata cum actu charitatis, vel cum ipso conjuncta: in primo casu illi contingit physice, in altero logice, quod a charitate perficiatur.

164 Dices 2. Licet Scriptura, & Patres dicant, contritionem perfectam requiri ad justificationem peccatoris, ideo vim justificandi non negant actui puræ charitatis, imo nequidem attritioni, cum etiam hæc in Sacramento pœnitentiæ ad justificationem sufficiat: ergo. Conf. Ipsum Tridentinum ait, contritionem imperfectam concipi ex turpitudinis peccati consideratione, vel pœnæ metu: ergo quæ concipitur ex aliis motivis v. g. religionis, non tantum est imperfecta. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod actus puræ charitatis justificet, habemus ex auctoritate Scripturæ, & SS. Patrum, quorum plures adducit Bellarm. lib. 2 de pœnit. cap. 13, & Lug. disp. 5 sect. 3. Idem inferius ostendemus de attritione in Sacramento: at nullo sufficiente fundamento probatur, quod Deus vim justificandi extra Sacramentum dederit contritioni, quæ non pro-

procedit ex charitate. Ad Conf. Dift. Ant. Tridentinum, docet contritionem imperfectam concipi ex iftis motivis communiter, Conc. Ant. femper, Neg. Ant. & Conf. Addunt alii, omnia reliqua motiva excepto metu gehennæ ad turpitudinem peccati reduci poffe, eoquod oppofitio cujusque peccati cum quacunque virtute fit aliqua turpitudo.

Obj. 2. Aliqui Patres, & antiquiores theologi apud Suar. & Lug. docent, contritionem perfectam effe dolorem de peccato commiffo, in quantum eft offenfa Dei; fed hic dolor poteft elici etiam ex gratitudine, religione &c. ergo. Conf. Actus perfecti amoris Dei eft valde arduus, & fi femper effet neceffarius, deberent tanquam illegitimæ rejici multæ contritionis formulæ, quæ hinc inde videntur impreffæ. Refp. Dift. Maj. fi quis principaliter doleat, quia offenfa Dei eft Deo mala, Conc. Maj. fi præcipue doleat, quia eft mala homini, eumque dedecet, Neg. Maj. Qui dolet ex motivo gratitudinis, religionis &c., principaliter movetur ab honeftate morali, quæ in actibus iftarum virtutum relucet, ac proin præcipue dolet, quia offenfa Dei eft mala peccatori, eumque ejusmodi virtutis honeftate privat. Ad Conf. Tranf. Ant. Neg. Conf. Sicut præceptum charitatis non eft nimis difficile, fic nec contritio ex motivo charitatis, eftque fumma Dei benignitas, quod poft gravem offenfam plus non exigat. Porro libelli precatorii non faciunt argumentum theologicum, qui eos componunt, funt plerumque viri boni, fed non femper boni theologi; alias in re tam gravi non proponerent formulas dubias. 165

Dices 1. Juxta Scripturam ad juftificationem fufficit illa pœnitentia, per quam peccator toto corde convertitur ad Deum; atqui hoc 166

hoc fieri poteſt ex motivo religionis, vel juſtitiæ, quando propter illud deteſtamur peccatum, prout eſt offenſa Dei; nam ex tali motivo peccatum poſſumus deteſtari ſuper omnia mala, ita ut parati eſſemus potius quodcunque incommodum, & propriam annihilationem ſubire, quam Deum graviter offendere. Conf. Qui ita dolet de peccato ſuo, ut eodem modo doleret, licet nec cælum, nec infernus eſſet, juxta communem perſuaſionem eſt perfecte contritus; atqui poteſt quis ita dolere ex motivo e. g. gratitudinis: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. rationem additam Diſt. ex tali motivo poſſumus deteſtari peccata ſuper omnia mala ita, ut pro fine cui ultimato, & immediato habeamus ipſum Deum, Neg. aliter, Omitt. cum reliquæ virtutes pro fine cui habeant ipſum operantem, ex illis nemo poteſt eligere annihilationem propriam, niſi ut ſibi bonam ſaltem negative, eoquod pro ſtatu annihilationis virtutes illi nihil prodeſſent. An vero propria annihilatio eligi poſſit ex perfecta charitate videri poteſt in tractatu de gratia. Ad Conf. Neg. Ant. ſi ita dolens pro motivo tantum habeat bonitatem creatam; nam dolere perfecte, & ex toto corde eſt peccatum ita deteſtari tanquam malum Deo, ut ipſum Deum habeamus pro fine ultimo, & immediato.

167 Dices 2. In humanis poteſt quis ex toto corde diligere amicum, quin ipſum omnibus aliis rebus præferat, omniaque ad ipſum tanquam finem cui ordinet: ergo ad dolorem ex toto corde hoc non requiritur. Conf. Qui dolet ex motivo ſpeciali ipſius pœnitentiæ, proprie elicit actum pœnitentiæ: ergo juſtificatur; alias nomen pœnitentiæ potius debuiſſet tribui charitati. Reſp. Tranſ. Ant. Neg.

Conſ.

Conſ. Homo non eſt tale bonum, ut mereatur omnibus aliis præferri, ſicut Deus infinite perfectus; amicitia autem vere, & proprie talis debet eſſe juxta regulas rectæ rationis; unde ſi homo iniquum peteret, ut poſſet, nequidem ei conſentire liceret juxta illud: Amicus usque ad aras. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nomen pœnitentiæ non debet deſumi ex virtute juſtificandi, ſed ex eo, an aliquis actus proprie ad rationem pœnitentiæ pertineat, ad quam cum vel maxime ſpectet dolor ex motivo peculiari ipſius pœnitentiæ, ideo talis actus optime ſpecialis virtus pœnitentiæ vocatur.

Obj. 3. Qui ſuper omnia dolet ex hoc mo- 168
tivo, quia peccatum eſt contra Deum infinite bonum, eſt perfecte contritus; ſed hic non elicit amorem Dei: ergo. Conf. Poſſum ex motivo bonitatis divinæ elicere actum, qui tantum ſit odium, & deteſtatio peccati, quin ſit amor Dei; non enim omne id, propter quod amatur, vel odio habetur alterum, neceſſario per eundem actum amari, vel odio haberi debet. Sic poſſum amare medicinam, & odio habere vitam ſedentariam propter ſanitatem, quin eodem actu amem ipſam ſanitatem. Reſp. Diſt. Maj. eſt perfecte contritus, ſi ad deteſtandum peccatum moveatur a bonitate Dei amata, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Quando bonitas Dei ad aliquid amandum movet, ordinarie movet per convenientiam, adeoque & ipſa amatur: quando autem movet ad aliquid deteſtandum, movet per contrarietatem, adeoque rurſus ut amabilis; unde etiam in hoc caſu ordinarie amatur. Quod ſi autem ſe mere permiſſive haberet, & non re-

ſpiceretur formaliter ut amabilis , & amata, ſed tantum ut digna e. g. cultu, non foret amor formalis , nec contritio perfecta. Ad Conf. Tranſ totum. Si enim ejusmodi actus Deum non habeat pro objecto cui immediato, in cujus gratiam odio habeatur peccatum ut ipſi malum, non erit perfecta contritio: ſi vero Deum pro immediato objecto cui habeat, non erit actus meræ fugæ, nec procederet paritas cum ſanitate, quia hæc non eſt objectum cui medicina amatur, & in cujus gratiam vita ſedentaria odio habetur.

169 Dices 1. Saltem ejusmodi actus continent amorem Dei virtualem ; ſi enim velle alteri malum, quia ipſi malum, eſt illum odiſſe, etiam odiſſe malum, quia alteri malum, eſt illum amare ; atqui amor virtualis ſufficit ad contritionem: ergo. Conf. Iſti actus pertinent ad charitatem theologicam, quæ etiam debet habere ſuos actus averſivos: ergo. Reſp. Tranſ. Maj. Nam ratio addita potius probat , quod ſint amor Dei formalis, quia non videntur in peccatum præciſe tendere averſive propter oppoſitionem, quam habet cum bonitate divina, ſed etiam proſecutive in ipſam bonitatem divinam tanquam objectum cui. Neg min. Quando enim Scriptura , & concilia requirunt certum aliquem actum , eique ſoli aliquam vim tribuunt, non debet dici, quod ſufficiat alius, niſi id efficaciter probetur. Quamquam ſi etiam amor virtualis ſufficeret, ideo nihil lucrarentur Scotiſtæ , quia juxta ipſos non ſolum amor, qui pro motivo habet bonitatem divinam, ſed etiam actus inferiorum virtutum religionis , juſtitiæ &c. juſtificant. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Etiam ſimplex complacentia in bonitate divina pertinet ad charitatem theologicam, nec tamen eſt charitas formalis,

malis, aut perfecta contritio. Porro contritio ex amore Dei formali respectu peccati formaliter est actus fugæ, respectu Dei vero formaliter prosecutio. Ejus tendentia optime sic exprimitur: Doleo, quod Deum infinite bonum, quem amo, & quia ipsum amo, super omnia, tam graviter offenderim.

Dices 2. Etiam dolor ex motivo religio- 170
nis, justitiæ &c. involvit amorem Dei; qui enim dolet ex motivo religionis, vult Deum colere, qui ex motivo justitiæ, vult jus Dei illæsum. Hinc S. Thomas in 3 dist. 26 q. 2 ait: omnes virtutes aliquid participare de charitate. Conf. Qui dolet ex motivo e. g. religionis, vult honestatem illius virtutis, prout illa conducit ad ultimum finem: ergo Deum, qui est ultimus finis, amat. Resp. Neg. Ant. Virtutes morales, licet quandoque aliqua prædicata divina respiciant tanquam objectum terminativum, seu formale quo, & indirectum, directe tamen & principaliter pro motivo formali quod habent solam honestatem creatam, eamque volunt ut Deo debitam, & bonam sibi, quin ideo ipsum Deum ament præsertim amore benevolentiæ, & amicitiæ. Sic dum creditor vult præstare solutionem debitam propter jus creditoris, ideo nec istud jus, nec creditorem amat. Unde virtutes morales de charitate tantum participant in hoc sensu, quod sint medium per se ordinatum ad ultimum finem, qui est Deus super omnia dilectus. Ad Conf. Transf. Ant. Dist. Consf. ergo amat ultimum finem tanquam bonum sibi, Conc. Consf. tanquam bonum Deo, & propter se, Neg. Consf. nisi in ejusmodi actibus potius assumatur motivum charitatis, quam propriæ hone-

 sta-

ſtatis, quod aliquando fieri poſſe, non videtur negandum.

171 Obj. 4. Si contritio perfecta deberet eſſe appretiative ſumma, 1 quælibet eſſet ſumme perfecta. 2. Deberet eſſe formaliter comparativa peccati gravis cum omnibus reliquis malis, quæ peccato poſtponuntur; primum eſt falſum, ſecundum contra experientiam: ergo. Reſp. Diſt. Maj. quoad 1 partem. Quælibet contritio eſſet ſumme perfecta ex genere ſuo, Conc. Maj. in genere ſuo, Neg. Maj. Sicut peccatum mortale ex genere ſuo eſt ſummum malum, & tamen in eodem genere mali poteſt unum eſſe majus altero: ſic una contritio perfecta poteſt eſſe perfectior altera, quia v. g. eſt intenſior, diuturnior, aut ſuper omnia non ſolum deteſtatur peccatum mortale, ſed etiam veniale, vel omnino includit propoſitum vitandi omnes imperfectiones morales. Ad 2 partem Neg. Maj. Nam ſufficit comparatio implicita, & virtualis, conſiſtens in ſpeciali quodam firmitatis, & efficaciæ modo; fundatur hæc in ipſa excellentia motivi, vi cujus voluntas per ipſum actum contritionis ita affective, & firmiter Deo tanquam ſummo bono a ſe amato adhæret, & propter illum affective ita a peccato avertitur, ut quamdiu hic actus durat, impoſſibile ſit voluntatem a Deo affective averti.

172 Dices. Contritus non debet magis deteſtari peccatum, quam amare bona peccato oppoſita nempe gratiam, gloriam, & perpetuam ſui cum Deo conjunctionem; atqui iſta nec debet, nec poteſt prudenter amare ſupra omnia, cum ſint tantum bona finita Deo extrinſeca: ergo. Conf. Poteſt quis ita amare aliquod bonum Deo intrinſecum e. g. divinam ſapientiam, ut quodvis malum vellet ſubire, ne Deus hoc bono careret, quin ideo cum tanto ſuo incom-

mo-

modo deberet velle bonum Deo extrinſecum, vel malum extrinſecum a Deo avertere: ergo amor Dei ſuper omnia eſt compoſſibilis cum actuali affectu ad peccatum. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. non poteſt iſta prudenter amare ſuper omnia præciſe propter bonitatem ipſis intrinſecam, Conc. min. propter bonitatem Dei infinitam, Neg. min. Nam tali modo debent, & poſſunt amari eo proportionaliter gradu, quo amatur ipſa Dei bonitas, conſequenter ſuo modo ſuper omnia. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Amor Dei ad juſtificationem peccatoris requiſitus non debet eſſe tantum ſterilis, & inefficax, ſed amor amicitiæ & efficax, qui a S. Paulo vocatur plenitudo legis, id eſt, inducens obſervationem totius legis graviter obligantis. Cæterum quando dicimus, quod contritio debeat deteſtari peccatum ſuper omnia mala, intelligimus mala noſtra, & poſſibilia, non mala Dei, & impoſſibilia, qualia forent amiſſio divinæ ſcientiæ, deſtructio infinitæ potentiæ &c. ad quæ avertenda, forte aliquis rudis putaret ſe peccare debere.

Quæres. An contritio perfecta debeat magis deteſtari peccatum, quam pœnas inferni. 173
Reſp. Affirmative, quia peccatum præſertim mortale ſimpliciter eſt majus malum, quam pœna æterna præciſe conſiderata ſecundum ſe, & præſcindendo a blasphemiis, aliisque peccatis, quibus damnati occaſione hujus pœnæ Deum offendunt; nam pœna præciſe ſecundum ſe conſiderata eſt tantum aliquod malum creaturæ, & quidem pœna dignæ, eccontra peccatum mortale eſt malum ipſius Dei, ex intrinſeca ſua malitia oppoſitum divinæ bonitati, & voluntatem hominis a Deo ſeparans. Jam vero perfecte contritus plus debet amare Deum, quam ſeipſum, alias illum non ama-

ret ſuper omnia, & propter ſe : ergo malum majus debet plus deteſtari, quam malum minus , item plus malum Dei, quam malum proprium. Interim per ſe, & ſecluſo errore nemo tenetur ad evitandum peccatum eligere pœnam æternam , quia a Deo non eſt conſtituta, ut eligatur tanquam medium per ſe neceſſarium ad peccatum vitandum , ſed tantum ut peccatum evitetur illius metu. Dixi, peccatum eſſe ſimpliciter majus malum, quam pœnam æternam ; quod enim hæc aliquo modo poſſit dici majus malum ſecundum quid, ſine præjudicio datæ reſponſionis admitti poteſt.

QUÆSTIO II.

An contritio perfecta debeat habere certam aliquam intenſionem, vel durationem?

174 MIrum eſt, in quas opiniones hæc quæſtio auctores diſtraxerit. Adrianus contendit, contritionem ex amore Dei ſuper omnia non ſufficere ad juſtificationem extra Sacramentum, niſi ſimul ſit ſumme intenſa. Petrus Soto cum nonnullis aliis, niſi ſit intenſior, quam dolor de omni alia re habitus. Recentiores quidam præſertim Galli, & Belgæ, niſi habeat certum gradum intenſionis , qui ſoli Deo ſit cognitus. Rigoriſtæ aliqui Lovanienſes, niſi ſuperet omnes affectus tam actuales, quam habituales ad creaturas , ita ut omnem metum, & ſpem ad bona, & mala temporalia excludat. Denique Scotiſtæ quidam antiquiores ad contritionem perfectam requirebant certam durationem, ſeu notabilem moram temporis. Cæteri theologi communiſſime contenti ſunt cum quacunque contritione etiam remiſſa , ac momentanea, modo procedat ex motivo charita-

tis, & Deum ſuper omnia appretiet. Porro appretiatio eſt æſtimatio objecti, procedens ex judicio rationis, vi cujus objectum tanti, vel taliter amatur, & aliis præfertur. Intenſio vero eſt quædam teneritudo affectus, procedens ex majori conatu vel applicatione potentiæ ad actum eliciendum; unde non fundatur in æſtimatione, ſed manente eadem poteſt augeri, vel minui.

Dicendum 1. Ad contritionem perfectam 175
ex parte actus nulla intenſio eſt neceſſaria. Prob. 1, quia de neceſſitate hujus intenſionis neque ex Scriptura, neque ex conciliis, neque ex Patribus conſtat, ſed potius contrarium. Nam Scriptura charitati perfectæ, & contritioni indiſcriminatim adſcribit remiſſionem peccatorum ſine mentione intenſionis: *Ego diligentes me diligo*, Proverb. 8 v. 17; *Plenitudo legis eſt dilectio*, ad Rom. 13 v. 1. Tridentinum pariter ſeſſ. 14 cap. 4 indefinite docet, quod contritio, ſi ſit charitate perfecta, hominem Deo extra Sacramentum reconciliet. S. Chryſoſtomus Homil. 7 in 2 ad Timoth. inquit: *Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala*; S. Auguſtinus tract. 5 in epiſt. Joan. cap. 1: *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli: ſi ſolam habes, ſufficit tibi.* Conf. Quia per quamlibet contritionem ex amore Dei ſuper omnia conceptam pœnitens ex toto corde, & eodem modo ad Deum convertitur, quo per peccatum ab eo ſe averterat, foretque onus valde difficile, præſertim cum morte luctantibus, ſi contritionem valde intenſam elicere deberent, & pari ratione id poſſet requiri in actibus fidei, & ſpei.

Probatur 2 refutatione aliarum opinionum. 176
Nam 1 intenſio abſolute ſumma eſt impoſſibilis; ſi autem ſaltem deberet eſſe ſumma reſpe-

ctive ad præsens auxilium gratiæ, sequeretur, quod habens minus auxilium gratiæ justificaretur per contritionem minus intensam, quam alius, qui haberet quidem majus auxilium gratiæ, attamen longe pauciora peccata gravia. 2. Si requireretur dolor major, quam quivis de alia re habitus, vel saltem, ut alii dicunt, major quam voluptas peccati, multi vix possent tam acerbe quoad intensionem dolere, quam doluerunt in casibus acerbissimis mortuorum parentum, vastatorum bonorum &c., præterea quidam in peccatis minoribus e. g. delectatione turpi habent longe intensiorem voluptatem, quam in aliis longe gravioribus, dum vero conteruntur, non cogitant, quosnam actus de suis peccatis habuerint. 3. Si gradus intensionis deberet esse soli Deo cognitus, nemo vel probabiliter posset judicare, se satis esse contritum, unde semper deberet elicere novos, & novos actus doloris, neque ullum vivorum Sacramentum posset recipere, nisi prius fuisset confessus. 4. Quod charitas non debeat excludere omnem spem, & timorem honestum, inferius patebit.

177 Dicendum 2. Ad contritionem perfectam non est necessaria certa duratio, aut temporis notabilis mora. Prob. ut supra, quia neque Scriptura, neque Concilia, neque Patres de necessitate talis durationis mentionem faciunt. Imo Ezech. 33 v. 12 expresse dicitur: *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis*; S. Augustinus in Enchir. cap. 65: *Non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris*; S. Leo epist. 91: *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio.* Similia habent alii Patres apud Bellarm. lib. 2 de pœnit. cap. 12, & Tournel. quæst. 1 art. 1. Ratio est, quia suppositis iis, quæ ex parte intellectus, & voluntatis prærequirun-

runtur, dolor ex amore Dei ſumme appretiativus poteſt elici in unico inſtanti, cum ſit ſimplex, & indiviſibilis actus. Quod ſi ulterius certa doloris duratio requireretur, inde innumeræ deberent oriri anxietates, & quia hanc temporis moram nemo poſſet determinare, orirentur omnia illa incommoda, quæ numero ſuperiore contra gradum intenſionis ſoli Deo notum adduxi.

Objectiones.

OBj. 1. S. Scriptura ſæpe ad contritionem requirit dolorem valde intenſum: ergo ad contritionem perfectam ex parte actus requiritur aliqua intenſio. Ant. Prob. Mich. 4 v. 10 dicitur: *Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens*; Pſalm. 35 v. 9: *Rugiebam a gemitu cordis mei*; Deuteron. 4 v. 29: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen quæſieris ex toto corde tuo, & tota tribulatione animæ tuæ*. Conf. Quamvis multi textus Scripturæ nihil dicant de fide, & ſpe, tamen ad juſtificationem requiruntur: ergo a pari. Reſp. Neg. Ant. In ejusmodi textibus Scriptura ſolum indicat, quod dolor debeat eſſe ſumme intenſus objective, id eſt, ſumme appretiativus: quandoque etiam refert, quid ſancti viri fecerint, ut ſuadeat intenſionem doloris tanquam utilem ad tollendam, vel ex parte, vel ex toto pœnam temporalem, quin ideo intenſio ſit neceſſaria ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod ad juſtificationem requiratur fides, & ſpes, habetur ex claris textibus Scripturæ, a qua intenſio contritionis nullibi tanquam neceſſaria requiritur. 178

Dices 1. Ipſum præceptum charitatis jubet, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, 179

ma, & ex omnibus viribus: ergo ad contritionem perfectam debent intendi omnes vires, ne in nos cadat illud Apocal. 3 v. 16: *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Conf. S. Auguſtinus Enchir. cap. 65 docet, in contritione conſiderandam eſſe menſuram doloris. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Verba ex toto corde, ex tota anima &c. unum idemque, nempe ſummam appretiationem ſignificant, & tantum adhibentur ad exprimendam majorem energiam, ut advertunt Bellarm. lib. 2 de membris eccleſ. cap. 13, & Cornelius a Lapide in cap. 6 Deuter. Neque per tepiditatem intelligitur actus charitatis carens intenſione, ſed juxta S. Thomam quæſt. 3 de malo art. 13 tepiditas eſt permixtio bonorum operum cum malis, & fides ſine charitate, alias pari jure dici poſſet, quod omnes actus virtutum debeant eſſe intenſi. Ad Conf. S. Auguſtinus per menſuram doloris vel intelligit appretiationem, vel ſolum vult, ad illam menſurari debere opera ſatisfactoria, quæ in pœnitentia publica, ut Eccleſiæ ſatisfiat, etiam contritis injungebantur.

180 Dices 2. S. Cyprianus ſerm. de lapſis ait: *Quam magna deliquimus, tam grandia defleamus; alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit.* Similia habent S. Auguſtinus ſerm. 14 de diverſ. S. Bernardus cap. 27 de modo vivendi, S. Ambroſius lib. ad Virg. lapſam, Hugo de S. Vict. &c. Reſp. S. Cyprianus loquitur de pœnitentia publica, quam ait ab illis, qui metu tyrannorum idola coluere, agi oportere, etiamſi a confeſſoribus recepti fuerint in communionem. Pariter reliqui Patres non agunt de ipſa contritione, & remiſſione culpæ, ſed de pœnitentia publica, & remiſſione pœnæ; aut intenſionem con-

contritionis ſolum ſuadent tanquam utilem, & decentem ; requirunt enim ingentes rugitus, gemitus, vigilias, cilicia &c., quæ certe non ſunt de neceſſitate pœnitentiæ. Porro liber ad Virg. Lapſ. non eſt S. Ambroſii, continet enim errorem Novatianorum, quod videlicet ſolus Deus aliqua peccata poſſit remittere.

Obj. 2. Ex una parte concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 tantum docet, contritionem 181
charitate perfectam hominem aliquando Deo reconciliare : ex altera parte cap. 2 ejusdem ſeſſionis expreſſe negat ad plenam, & integram peccatorum remiſſionem ſine magnis fletibus, & laboribus perveniri poſſe : ergo. Conf. Catechiſmus Romanus de Sacrament. pœnit. tit. contritionis propria vis, expreſſe ait : *Summum, & maximum dolorem ex peccatis ſuſcipiendum eſſe, ita ut nullus major excogitari poſſit.* Reſp. Neg. Ant. quoad 1mum membrum, nam cap. 4 concilium contritionem perfectam ab imperfecta diſtinguit in eo, quod perfecta charitate hominem ſemper Deo reconciliet, ut conſtat ex quæſt. præced. In capite 2 loquitur de pœnitentia integra, qua non ſolum culpa, ſed etiam omnis pœna temporalis remittitur, ſicut in Baptiſmo, cum quo ibi pœnitentiam quoad fructum comparat. Ad Conf. Diſt. Ant. ait dolorem debere eſſe ſummum, & maximum appretiative, Conc. Ant. intenſive, Neg. Ant. catechiſmus Romanus aſſertum ſuum probat ex præcepto charitatis, quod non obligat ad amorem intenſive perfectiſſimum.

Dices 1. Catechiſmus Romanus tit. cit. de 182
contrit. pergit : *Si præterea non ſolum maxima* (appretiative) *ſed vehementiſſima* (intenſive) *atque adeo perfecta, omnemque ignorantiam, & ſocordiam excludat ;* Titulo autem de confeſſ.

feff. ait : *Ut enim concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? At quoniam pauci ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet.* Reſp. Catechiſmum in primo textu non loqui de contritione ad delendam culpam neceſſaria, ſed exhortari ad perfectionem; nam paulo poſt ſubjungit: *Si id minus nobis conſequi liceat, ut perfecta ſit, vera tamen, & efficax contritio eſſe poteſt.* Quid autem ad veram contritionem ſit neceſſarium, explicavit titulo præcedente, ubi nullius intenſionis meminit. Ad 2 textum dico, modo contritio procedat ex amore Dei ſuper omnia, illam jam eſſe vehementem, acrem, & incenſam, cum de peccato appretiative magis doleat, quam de quocunque alio objecto, per quod peccato jam æquiparatur in hoc, quod ſicut per illud Deus poſtponitur creaturis, ſic per contritionem omni bono creato præfertur, ad quem gradum utique reſpective pauci perveniunt, facta comparatione cum illis, qui tantum per attritionem in Sacramento juſtificantur.

183 Dices 2. Teſte Cajetano antiqui communiter ſenſerunt, contritionem, & attritionem differre ſecundum magis, & minus. Sic S. Thomas ſupplement. q. 3 a. 1 in corp. ait: *Dolor in contritione excedit omnes alios dolores*, & q. 5 art. 3 in corp.: *Amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficiat ad rationem charitatis.* Similia habent S. Bonavent. in 4 diſt. 16 & Scot. diſt. 27. Conf. Angelicus 1 2 q. 113 a. 10 in corp. ait: *Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus juſtificationis, ut Deo movente interius animam*

mam homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, & postmodum ad perfectam perveniat. Ergo contritio ex charitate inchoata, seu remissa non est perfecta. Resp. Antiquos per magis, & minus non intellexisse intensionem accidentalem teneritudinis, sed essentialem, ortam ex motivo formali, & consistentem in majore appretiatione, ac firmitate voluntatis, ut testatur Suarez, & innuit ipse Cajetanus. Certe S. Thomas in supplem. q. 5 a. 3 clare ait: *Quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ad Conf. dico, S. Doctorem ibi per conversionem perfectam non intelligere tantum justificantem, sed miraculosam, qualis, ut ibidem dicit, fuit conversio S. Pauli.

Obj. 3. Deus non minus meretur amari in- 184
tensive, quam appretiative super omnia: ergo contritio etiam intensive debet esse summa; quod enim movet ad appretiationem, etiam movet ad intensionem, nempe bonitas Dei infinita. Conf. Si amor Dei tantum est remissus, non est amor super omnia effectu, sed tantum affectu, unde occurrente postea tentatione facile deficit. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Contritio non solum ideo debet esse appretiative summa, quia est commensurata objecto, sed quia a Deo præcipitur; tale præceptum non habemus de intensione, licet Deus illam mereretur, sicut & continuum amoris exercitium. Neque idem objectum semper eodem modo movet ad intensionem sicut ad appretiationem; hæc enim ex merito motivi, illa ex vario conatu, & ipsa hominis dispositione proficiscitur. Ad Conf. Neg. Ant. Ad contritionis perfectionem non requiritur, ut excludat omnia peccata in futurum, sed modo illa excludat de præsenti, est amor tam affecti-

ve, quam effective super omnia, cum in hac vita nullus videatur esse amor tam firmus, & constans, a quo per se loquendo voluntas propter mutabilitatem, & inconstantiam suam non possit subin deficere.

185 Dices 1. Homo non potest condigne satisfacere pro peccato mortali: ergo illud saltem debet detestari, quantum potest; atqui hoc non fit per contritionem tantum remissam: ergo. Conf. Ad curandos morbos corporis non sufficit quælibet medicina debilis: ergo nec quælibet contritio ad delenda peccata; hinc charitas remissa a Patribus vocatur debilis, parva, & imperfecta. Resp. Neg. min. Subsumpt. alias homo per totam vitam semper deberet elicere actus intensissimos amoris, & rigorosissimam pœnitentiam agere. Sufficit itaque, si peccatum detestetur eo modo, quo Deus exigit, & divina bonitas contenta est. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Medicinæ a Deo tantum habent virtutem curandi morbos corporales restrictam, & limitatam, econtra contritio virtutem delendi peccata universalem, & illimitatam: neque contritio illa, quæ ex sincero, & efficaci amore Dei super omnia elicitur, congrue debilis vocari potest, multo minus potest dici parva, & imperfecta, nisi secundum quid, & comparative ad alias perfectiores.

186 Dices 2. Est indecens, si homo intensius doleat de malis temporalibus e. g. amissione bonorum, quam de peccato, & offensa Dei, quæ est malum omnium maximum: ergo contritio saltem debet esse intensior, quam quivis dolor de alia re habitus. Conf. Videtur vix fieri posse, ut voluntas non intensius doleat de amissione illius rei, quam magis appretiat: ergo. Resp. Dist. Ant. est indecens negative, hoc est mi-

minus decens quam oppositum, Conc. Ant. indecens positive, & contrarium rectæ rationi, aut præcepto divino; Neg. Ant. & Conf. SS. Patres sæpius quidem reprehendunt intensiorem amorem erga creaturas, quam erga Deum, quia talis amor potest esse occasio multorum peccatorum venialium, & a cognitione, & majore Dei amore avertere solet; at hæc non sunt opposita contritioni perfectæ, ut ex dicendis patebit. Ad Conf. Neg. Ant. Nam quemadmodum catechismus Romanus num. 27 de Sacrament. pœnit. ait: Sæpe usuvenit, ut, quæ sensibus subjecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant, ita tamen, ut si unum eligendum esset, nihilominus id eligeremus, quod pluris æstimamus.

Obj. 4. Contritio momentanea non est pro- 187
portionata magnis, & diuturnis criminibus, neque operatur fructus dignos pœnitentiæ, qui tamen a Scriptura requiruntur: *Convertimini, sicut in profundum recesseratis*, Isai. 31 v. 6; hinc multi Sancti pro unico peccato longissimam pœnitentiam egerunt. Conf. quia sacri canones olim pro unico peccato decreverunt multorum annorum pœnitentiam. Resp. Neg. Ant. Sicut animus per momentaneum peccatum grave a Deo averti, & gratia habituali privari potest, ita per momentaneam contritionem potest iterum ad Deum reverti, & remissionem peccatorum, ac gratiam justificantem acquirere. Fructus reliqui pœnitentiæ a S. Scriptura requiruntur ad plenam deletionem etiam pœnæ temporalis, & augenda merita, ob quem finem Sancti utique omnino laudabiliter diuturnas pœnitentias egerunt, quin eorum exempla absolutam probent necessitatem. Ad Conf. Quæ a sacris canonibus statuta fuerunt, spectabant ad pœnitentiam publicam præsertim il-

lorum, qui publicum ſcandalum præbuerunt, licet poſtea Eccleſia hunc rigorem ſapienter temperaverit.

188 Dices. Deus pro peccatis exigit pœnas longe diuturniores, quam fuerat delectatio ex illis percepta: ergo pariter exigit pœnitentiam longiorem. Conf. Perfecta contritio eſt diſpoſitio prævia ad recipiendam gratiam ſanctificantem, & debet ſucceſſive perfici, donec appretiative ſit ſumma: ergo indiget aliqua mora temporis: *Nunquid mox ut naſcitur*, inquit S. Auguſtinus tract. in epiſt. Joannis cap. 3: *Jam prorſus perfecta eſt? ut perficiatur, naſcitur, cum fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita, roboratur, cum fuerit roborata, perficitur.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ut pœna ſit diuturnior, quam culpa, poſtulat divina juſtitia, tum ut inter utramque ſit aliqua proportio, tum quia alias homines per pœnam non ſatis a culpa abſterrerentur: ut vero contritio etiam non diuturna juſtificet, magis convenit divinæ miſericordiæ, quæ omnes homines vult ſalvos fieri, ideoque pœnitentiam potius facilem, quam difficillimam, aut omnino impoſſibilem exigit, eſto, quod abſolute potuerit requirere digniorem. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Contritio non tantum eſt diſpoſitio remota, ſed proxima, quæ proin gratiam ſolum debet præcedere natura, non tempore, licet longiore mora opus ſit, ut contritio etiam perficiatur accidentaliter ea magnitudine, intenſione, ardore &c., quo homines perfecti Deum diligere ſolent, de qua perfectione loquitur S. Auguſtinus.

QUÆSTIO III.

An, & qualis ad contritionem perfectam necessaria sit extensio?

STatus quæstionis est, An, qui vult elicere contritionem perfectam, necessario debeat dolere de omnibus peccatis gravibus, vel etiam levibus sibi nondum remissis, idque explicite, & formaliter, aut saltem implicite, & virtualiter? Dolorem formalem, & explicitum requirebant quidam antiqui, contendentes, ad contritionem perfectam requiri distinctam recogitationem omnium peccatorum, imo ut alii volebant, tot actus doloris, & detestationis distinctos, ut in quodlibet peccatum grave cadat distincta contritio. Econtra communissima aliorum, sicut potius jam supponit, quam probat, quod contritio perfecta non debeat necessario excludere omnia peccata venialia, ita docet sufficere, si se extendat ad omnia mortalia saltem implicite, & virtualiter, in quantum dolor elicitur ex tali motivo, cui omne peccatum mortale essentialiter opponitur, quale motivum est infinita Dei bonitas super omnia amata; necessarium enim est, ut, qui Deum super omnia appretiat, & amore amicitiæ diligit, omnes ejus offensas graves saltem virtualiter, & implicite ex toto animo detestetur. 189

Dicendum 1. Ad perfectam contritionem non est necessaria recogitatio distincta peccatorum, neque pro quolibet peccato distincta contritio. Prob. negative; nam Scriptura, concilia, & Patres tantum requirunt contritionem ex motivo charitatis summe appretiativam; hæc autem unico actu elici potest, modo de commissis peccatis detur aliqua cogitatio in genere, alias magni peccatores non pos- 190

 sent

ſent elicere contritionem niſi poſt multum temporis, etiam plurium dierum, quibus opus eſſet ad peccata in memoriam revocanda, & tot contritiones eliciendas, ut illa moribundis præſertim omnino impoſſibilis fieret. Sane non eſt credibile, quod latro pœnitens, vel S. Magdalena diſtinctam peccatorum ſuorum memoriam cum ſuo dolore habuerint, aut tot diſtinctos actus elicuerint, quot prius peccata commiſerunt, & tamen illorum contritio a SS. Patribus nobis in exemplum proponitur; hinc neque ante Sacramentum pœnitentiæ de ſingulis peccatis diſtincta contritio debet elici, ſed ſufficit unica, ratione ſui motivi ad omnia ſe extendens.

191 Dicendum 2. Contritio perfecta ſaltem virtualiter, & implicite debet ſe extendere ad omnia peccata mortalia, non tamen ad venialia. Pars 1 prob. ex Scriptura, quæ paſſim ad juſtificationem impii requirit, ut agat pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus eſt: *Projicite omnes iniquitates veſtras*, Ezech. 18 v. 31, & v. 21: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet.* Hinc juxta concilium Tridentinum & communem Patrum auctoritatem requiritur ad contritionem, ut ſit ex amore Dei ſuper omnia, & ſumme appretiativa, qualis utique non foret, niſi ſuper omnia illa peccata ſe extenderet, quæ hominem ab amicitia Dei ſeparant, & inimicum conſtituunt, ob quam rationem num. 18 dixi, unum peccatum grave ſine altero in hac providentia non remitti. Conf. Ut quis fide divina formaliter, & explicite credat unum articulum fidei, Divinam auctoritatem ita debet tanquam motivum amplecti, ut implicite, & virtualiter credat omnia a Deo revelata; ergo

go idem dicendum de dolore ex motivo charitatis concepto.

Probatur 2 pars. Tum quia peccata venia- 192
lia non ita opponuntur legibus amicitiæ inter Deum, & hominem, ut illam excludant, tum quia juxta auctoritatem Scripturæ, & conciliorum ad contritionem perfectam non plus requiritur, quam ut contritus ex motivo charitatis se toto corde convertat ad Deum; atqui hoc fieri potest, quin contritio se extendat ad peccata venialia; alias communis hominum pars non facile eliceret contritionem justificativam, eoquod homines communi virtute contenti non ita facile excludant omnes affectus venialiter malos, & quamvis parati sint ad observanda mandata gravia, non ideo sunt positive parati ad implendas etiam quascunque res sub levi præceptas. Aliud est, quod ipse actus contritionis nequeat in se includere affectum venialiter peccaminosum; nam sic foret intrinsece malus, adeoque non amplius esset actus theologicus, imo modo cum actuali affectu ad peccatum veniale conjunctus esset, non sufficeret ad lucrandas indulgentias plenarias, quia juxta dicta num. 28 peccatum veniale non remittitur, nisi fuerit retractatum.

Objectiones.

OBj. 1. Ezechias Isa. 38 v. 11 dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; & David Psalm. 76 v. 6 & 7: *Cogitavi dies antiquos; & scopebam spiritum meum*: ergo ad contritionem requiritur distincta recogitatio peccatorum. Conf. Lev. 4 describuntur varia sacrificia pro peccatis instituta; atqui ad ista adhibenda requirebatur distincta peccatorum recogitatio: ergo. Resp. Conc. Ant. 193

 Neg.

Neg. Conf. Scriptura in his locis indicat quidem, quid Sancti illi fecerint, sed non dicit, quod ad illud fuerint obligati, sicut quando Psalm. 101 v. 10 David ait: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Ad Conf. Nego suppositum, quod per illa sacrificia intelligatur contritio; habebant enim se potius sicut in lege nova confessio; unde distincta recogitatio peccatorum non erat necessaria praecise ratione contritionis, sed ratione offerendi sacrificii.

194 Dices 1. David Psalm. 18 v. 13 petiit: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*; atqui non esset ratio haec tam solicite petendi, nisi peccata distincte recogitari deberent; hinc Isa. 43 v. 26 dicitur: *Narra, si quid habes, ut justificeris.* Conf. ex illo Ezech. 18 v. 21: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet.* Resp. Conc. Maj. Neg. min. Cum juxta omnes peccata occulta nec possint, nec debeant distincte recognosci, David poenitens plus praestitit, quam necessarium fuit. Porro textum Isaiae S. Gregorius, Cyrillus aliique Patres apud Cornelium interpretantur de examine conscientiae, & confessione; ipse autem Cornelius observat, quod Deus illis verbis velit ostendere, justificationem non provenire ex operibus legis, sed ex sua misericordia, & gratia; hinc velut irrisorie dicit: Narra, si quae habes, merita propria, tuis viribus elicita, propter quae justificeris. Ad Conf. Ezechiel per facere judicium non denotat distinctam recogitationem peccatorum, sed vel legis observationem, & conversionem ad Deum, ita, ut peccator conversus non operetur ut brutum, vel justum judicium in cau-

ſis proximi, de quo in textibus præcedentibus ſit mentio.

Dices 2. S. Ambroſius Præfat. in Pſalm. 195
37 definit pœnitentiam, quod ſit *Commemoratio omnium delictorum, ut ea unusquisque in ſe caſtiget*; S. Chryſoſtomus Homil. 9 in epiſt. ad Hebr. ſcribit: *Si autem dicit, ſum peccator, ea autem per ſpecies non cogitat, & non dicit, hoc & illud peccatum admiſi, nunquam ceſſabit*; S. Auguſtinus lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 9 ait: *Verſum puto, qui dolet de crimine; converſum, qui dolet de omni illius varietate*: ergo. Reſp. Cum recordatio peccatorum ſit actus intellectus, adeoque pœnitentiam ſtricte ſumptam non conſtituat, S. Ambroſius ſolum definivit pœnitentiam late ſumptam, prout etiam integraliter, & extenſive perfecta eſt. S. Chryſoſtomus in cit. Homil. loquitur de confeſſione, ut patet ex verbis ſubjunctis: *Semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.* Præterea multa ibi addit, quæ ad veram pœnitentiam non ſunt neceſſaria, ut de dandis eleemoſynis, de lacrymis &c. Denique non dicit, talem non eſſe juſtificandum, ſed ordinarie loquendo a peccatis non ceſſaturum. Cæterum liber de ver. & falſ. pœnit. non eſt S. Auguſtini, & ſolum indicat, quod recogitatio ſic diſtincta ſit valde utilis pro converſione perfecta, & ſtabili.

Obj. 2. Peccator, dum agit pœnitentiam, 196
habet ſe reſpectu ſui ut judex, & medicus, ſed ad utrumque hoc officium requiritur diſtincta peccatorum cognitio: ergo. Conf. Confeſſario debent peccata diſtincte exponi, quia eſt judex, & medicus: ergo a pari. Reſp. Tranſ. Maj. Neg. min. Pœnitens reſpectu ſui ad ſummum eſt judex, & medicus in hoc ſenſu, quod debeat agnoſcere ſe eſſe reum, & dolendo peccata ſua con-

demnare, ut ſic animæ ſuæ vulneribus medeatur, quod ſine diſtincta peccatorum cognitione fieri poteſt. Quod ſi forte per peccata ſua contraxiſſet alias quasdam obligationes e. g. reſtituendi, ſufficit, quod interea habeat propoſitum in genere illis ſatisfaciendi. Interim ſi etiam ſatisfacere non poſſet, aut invincibiliter obligationem neſciret, nihilominus veram contritionem poſſet elicere, ut adeo diſtincta recogitatio peccatorum præciſe ratione contritionis nunquam ſit neceſſaria. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Confeſſarius longe alio modo eſt judex, & medicus, quam pœnitens; debet enim imponere pœnitentiam peccatis proportionatam, & aſſignare media opportuna, & neceſſaria, ſi in pœnitente eorum ignorantiam advertat.

197 Dices. Contritio eſt præcepta in hunc finem, ut a peccatis ita avertamur, ne in illa relabamur, & præſtemus pro illis debitam ſatisfactionem; atqui neutrum haberi poteſt ſine diſtincta recogitatione peccatorum: ergo. Conf. Niſi præcedat diſtincta peccatorum cognitio, peccator ſemper debet eſſe dubius, utrum dolor, & propoſitum ipſius fuerit univerſale. Reſp. Tranſ. Maj. quia finis præcipuus hujus præcepti eſt juſtificatio. Neg. min. Voluntas a peccatis commiſſis ſufficienter evertitur per ipſam contritionem, & ſerium emendationis propoſitum, cujus efficacia non dependet ab eventu futuro. Per hanc ipſam contritionem pro pœna, & culpa æterna ſatisfit Deo, ſi autem inſuper ſatisfaciendum eſt proximo, ad hoc ſufficit recogitatio peccatorum conſequens. Ad Conf. Dummodo peccator ſciat ſe propter Deum ſuper omnia dilectum doluiſſe de omnibus peccatis gravibus in genere, quæ commiſit, & propoſuiſſe vitare in genere omnia committenda,

da, habet eum certitudinis gradum, cujus capax est, aut certe simile dubium ipsi postea oriri posset, etsi prius distinctam peccatorum suorum cognitionem habuisset.

Obj. 3. Quoties homo peccavit graviter, 198
toties se avertit a Deo, & convertit ad creaturas: ergo quando vult elicere contritionem justificativam, toties se a creaturis debet convertere ad Deum, quoties peccavit. Conf. Catechismus Romanus de Sacrament. pœnit. tit. Singula peccata ait: *Maxime autem hortandi, & admonendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. alias, qui per plures annos continuasset inimicitiam cum Deo, deberet etiam per plures annos continuare contritionem, & qui sæpius sacrilege confessus fuisset, deberet sæpius rite confiteri. Ad Conf. Catechismus Romanus hortatur quidem fideles ad distinctas contritiones, sed non dicit illas ad justificationem esse necessarias, imo inferius subjungit; *Deus peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, & universa peccata sua detestatus, quæ dein alio tempore, si facultas erit in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit.*

Dices 1. Qui tantum detestatur peccata in 199
genere, ideo non detestatur omnia. Sic potest quis ex motivo temperantiæ velle abstinere a vino, quin velit abstinere a cerevisia. Item potest ex motivo justitiæ detestari furtum, quin detestetur detractionem; imo etiam ex amore sanctitatis divinæ moveri ad detestandum specialiter peccatum, quod eidem opponitur, quin moveatur ad detestandum omne aliud. Conf. Licet motivum de se sufficiat, ut voluntas propter

pter illud possit detestari omnia peccata, tamen voluntatem ad hoc non necessitat: ergo. Resp. Dist. Ant. Si motivum detestationis sit tantum particulare, vel non essentialiter exigat detestationem omnium, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Quod amor Dei super omnia essentialiter exigat detestationem omnium peccatorum, jam notavi num. 189. At non ita necessario omni peccato opponitur motivum temperantiæ, & justitiæ, quia honestas talium virtutum non semper movet secundum suam totam latitudinem, sed sæpe ut restricta ad determinatam materiam, ut fit in adductis exemplis. Quin ipse Deus potest aliquo modo amari propter se aut sanctitatem suam, quin ametur super omnia, hinc de sola charitate perfecta, & theologica dicimus, quod voluntatem necessitet ad detestanda peccata gravia omnia, ex quibus jam patet responsio ad confirmationem.

200 Dices 2. Etiam charitas Dei perfecta se non necessario extendit super omnia peccata gravia; nam 1 se non extendit ad venialia, 2 non ad omnes actus virtutum; potest enim quis ex amore Dei super omnia velle unum opus bonum e. g. jejunium, quin velit alterum e. g. dare eleemosynam. 3. potest quis ex amore amicitiæ erga proximum esse paratus pro hac amicitia conservanda amittere bona fortunæ, non item vitam, & honorem. Resp. Neg. Ant. Ad instantiam 1 disparitas patet ex dictis, quia videlicet peccata venialia non dissolvunt amicitiam cum Deo, ad 2dam quia alterum opus bonum ad conservandam cum Deo amicitiam etiam non est necessarium; nam ut ponitur a Deo non est præceptum saltem sub gravi, alias utique perfecta charitas se necessario ad illud extenderet. Ad 3tiam jam alibi respondi, amicitiam inter homines tantum nec exigere,

gere, nec mereri, quantum amicitia hominis cum Deo.

Quæres. An, & quomodo perfecta contritio debeat unum peccatum magis deteſtari, quam alterum? Reſp. Cum peccatum gravius ſit gravior offenſa Dei, magisque opponatur bonitati divinæ, quam peccatum proprium minus grave, utique pœnitens implicite, & virtualiter debet magis deteſtari peccatum gravius. Neque tamen ideo debet ita eſſe conſtitutus, ut ſi alterutrum deberet committere, mallet committere minus, quam magis grave; nam etiam Deus magis odit peccatum gravius, quin ideo potius vellet eligere minus. Hinc quando contritus Deum appretiat ſuper omnia mala, debet quidem potius velle ſuſtinere mala phyſica, quam Deum offendere; nequit tamen habere has, vel ſimles tendentias: Volo potius furari, vel homicidium committere, quam blasphemare; quippe ejusmodi tendentiæ ſunt intrinſece malæ, & amor Dei exigit, ut omnino nullum peccatum grave committere velimus. Imo etiam comparationes explicitæ cum malis phyſicis ſæpe ſunt periculoſæ, nec facile ſuadendæ. 201

Dixi, quod pœnitens magis debeat deteſtari peccatum gravius, quam minus grave proprium; ſi enim peccata propria comparentur cum alienis, tunc ſaltem practice debet magis deteſtari peccatum minus grave proprium, quam gravius alienum, in quantum potius vellet permittere peccatum alienum gravius, quod hic, & nunc impedire non tenetur, quam committere proprium minus grave. Ratio eſt, tum quia peccatum proprium ſemper magis opponitur conjunctioni cum Deo, ad quam perfectus amor ex natura ſua tendit: tum quia committere peccatum ſemper eſt malum, & nullum 202

ſe-

ſecundum rectam rationem poteſt eligi. Hinc S. Paulus ad Rom. 3 v. 8 docet, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona. Aliud foret, ſi tales eſſent circumſtantiæ, ut in illis actio aliqua, alias prohibita, foret licita; tunc enim utique potius ponenda eſſet hæc actio, quam peccatum alienum præſertim grave permittendum; ſicut etiam in caſu perplexitatis tenemur illud præ altero eligere, quod hic, & nunc judicamus eſſe minus malum.

QUÆSTIO IV.

An omnis contritio perfecta ſtatim juſtificet?

203 Controverſiam hanc, quæ jam præcedentibus quæſtionibus deciſa videri poſſet, ſuſcitarunt, vel ſaltem plurimum promoverunt Guil. Eſtius; & Franc. Sylvius Doctores Belgæ, qui licet admittant, quod contritio perfecta infallibiliter juſtificet in articulo mortis, vel alio neceſſitatis caſu, ubi copia Sacerdotis haberi nequit; negant tamen illam de lege ordinaria juſtificare ſtatim, & ſemper extra Sacramentum, niſi ſit vehementiſſima; tunc enim Deum ex gratuita miſericordia defectum Sacramenti ſupplere, hominique contrito ante ſuſceptionem Sacramenti peccata condonare. Addunt nihilominus contritionem perfectam certo diſponere ad juſtificationem futuram, quatenus contritus, ſi de novo non peccet, intuitu illius contritionis præcedentis ſit juſtificandus ante mortem. Ab hac ſententia non multum recedunt illi Lovanienſes, qui vim infallibilem ſtatim juſtificandi ſoli contritioni valde intenſæ adſcribunt, & ideo dicunt contritionem remiſſam ſolum eſſe contritionem imperfectam. Sed cum communi aliorum

Di-

Dicendum. Quælibet contritio perfecta 204
ſemper, & ſtatim extra Sacramentum juſtificat. Prob. 1. Scriptura, Patres, & concilium Tridentinum cuilibet contritioni charitate perfectæ juſtificationem adſcribunt indefinite, & quidem pro tempore præſenti, ut probatum num. 175, & 176: ergo quælibet contritio perfecta ſtatim ante actualem ſuſceptionem Sacramenti juſtificat; cum enim illius vis juſtificandi tota dependeat a voluntate Dei, melius quam ex auctoritate ſacra probari nequit. Conf. Tridentinum ſeſſ. 13 cap. 7 permitttt Sacerdoti conſcio peccati mortalis urgente neceſſitate conſecrare Evchariſtiam, modo prius eliciat contritionem: idem permittitur ab Eccleſia in adminiſtratione, & perceptione Sacramentorum vivorum, imo Pontifices ſæpe concedunt indulgentias tantum contritis; atqui neque illa permitti, neque iſtæ concedi poſſent, ſi cum contritione perfecta adhuc ſtaret culpa gravis, quæ homines ad ejusmodi effectus indiſpoſitos, ac incapaces redderet, ob quam ipſam incapacitatem tollendam Pontifices contritionem perfectam requirunt.

Probatur 2 auctoritate Pii V, Gregorii 205
XIII, & Urbani VIII, qui damnarunt has propoſitiones Baji, 31: *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta tam in catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* 32: *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* 71: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Ubi nota 1, propoſitiones has loqui

1 de charitate extra Sacramentum, quod enim una cum Sacramento justificet, non negavit Bajus, ut ex propositione 71 colligitur. 2. De charitate non solum intensa, sed etiam remissa, ita enim teste Francolino lib. 2 de dolor. ad pœnit. requis. cap. 1 seipsum explicavit Bajus in sua apologia, asserens, se perfectæ charitatis nomine præcise intellexisse eam, quæ est super omnia, & extensive perfecta, non vero eam, quæ etiam intensive perfecta est. 3. De charitate actuali; hæc enim est illa, quæ procedit ex corde puro, ac conscientia bona, & quæ juxta Apostolum est plenitudo legis conjunctum habens votum suscipiendi Sacramentum.

206 Replicant Adversarii 1, Bajum per plenitudinem legis intellexisse charitatem habitualem tanquam finem legis extrinsecum; unde juxta illos cor purum idem est, ac cor, in quo Spiritus sanctus per gratiam sanctificantem jam inhabitat, idque patere ex aliis Baji propositionibus e. g. 43: *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante Baptismum est vera justificatio sine remissione peccatorum.* Contra est 1, Quando Bajus loquitur de illa charitate, quæ est plenitudo legis, alludit ad verba Apostoli ad Rom. 13 v. 10: *Plenitudo ergo legis est dilectio*; atqui ut ex contextu manifestum est, Apostolus ibi per plenitudinem legis non intelligit finem tantum extrinsecum, sed intrinsecum legis, qui consistit in observatione, vel saltem proposito observandi omnia mandata graviter obligantia 2. Si Bajus per cor purum intellexisset cor gratia sanctificante jam ornatum, manifeste sibi contradixisset, asserendo, charitatem ex corde per Spiritum

san-

ſanctum juſtificato procedentem poſſe in eodem corde ſtare cum peccato, adeoque gratia juſtificans juſtificationem jam præſupponeret, quod Bajus nunquam cogitavit. Porro in propoſitione 43 non intelligit juſtitiam conſiſtentem in gratia animæ infuſa, ſed in obedientia mandatorum, ut colligitur ex propoſitione immediate præcedente: *Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia; non autem in gratia aliqua animæ infuſa.*

Replicant 2. Bajum tantum ideo damnatum eſſe, quod docuerit, per contritionem perfectam nunquam remitti peccata extra caſum neceſſitatis, vel martyrii ſine actuali perceptione Sacramenti: Item quia ejus propoſitiones etiam poterant accipi de charitate intenſa. Contra eſt 1, quia tali modo ſaltem damnata eſſet ſententia illorum, qui volunt, contritionem perfectam ſed non intenſam tantum juſtificare in neceſſitate, vel articulo mortis. 2. Propoſitio 32 nihil de intenſione charitatis meminit, ſed ſimpliciter ait: charitas perfecta poteſt ſtare cum peccato: ergo dum Pontifices hanc propoſitionem damnarunt, non tantum voluerunt docere, quod charitas valde intenſa cum peccato ſtare nequeat, alias per ejusmodi reſtrictiones, & limitationes pleræque damnationes poſſent eludi. 3. Fuit itaque Bajus non ſolum damnatus, quod docuerit, charitatem perfectam non ſemper eſſe conjunctam cum remiſſione peccatorum, ſed etiam quia docuit, aliquando non eſſe conjunctam, cui propoſitioni contradictorie opponitur iſta: charitas perfecta ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum, & nunquam cum peccato gravi ſtare poteſt. 207

Objectiones.

208 OBj. 1. Licet Deus remiſſionem peccatorum promittat Joan. 6 v. 27 fidei, & Luc. 11 v. 41 eleemoſynæ, ideo ejusmodi actus non juſtificant, niſi accedat pœnitentia: ergo etiam contritio de lege ordinaria non juſtificat, niſi accedat Sacramentum, quia ejusmodi promiſſiones ſolent tantum eſſe conditionatæ: Si etiam cætera adſint. Conf. Etſi juſtificatio promittatur charitati perfectæ, tamen etiam requiritur dolor: ergo a pari. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod ſola fides aut eleemoſyna non juſtificet, aliunde efficaciter probatur, & conſtat ex diſp. 1 q 3; at nunquam probabunt Adverſarii, quod ſola contritio de lege Dei ordinaria non juſtificet extra Sacramentum. Unde nulla eſt ratio fingendi, promiſſionem Dei tantum eſſe conditionatam, alias nequidem amplius poſſet probari, quod ſola contritio juſtificet in caſu neceſſitatis, & articulo mortis, & vix ulla Dei promiſſio maneret firma, ſi pro libitu aliquas conditiones ſubintelligere liceret. Ad Conf. Quamvis de lege ordinaria ad juſtificationem requiratur dolor, & pœnitentia formalis, nihilominus ſaltem per accidens poteſt juſtificare dolor virtualis, ut notavi num. 19; unde hæc paritas potius eſt contra Adverſarios, & ſolum probat, quod non obſtante contritione per ſe juſtificativa adhuc maneat obligatio Sacramentum ſuſcipiendi.

209 Dices 1. Ex una parte pœnitentia ſemper habet incertitudinem de obtenta venia: ex altera parte Chriſtus Joan. 14 v. 23 ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus:* ergo diligentibus Deum remiſſio peccatorum tantum promittitur in futurum. Conf. Si textus Scri-

pturæ

pturæ deberent illimitate accipi, etiam justificaret amor concupiſcentiæ Dei, & charitas proximi juxta illud 1 Petr. 4 v. 8: *Charitas operit multitudinem peccatorum*; & Joan. 4 v. 7: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Reſp. Diſt. Ant. quoad 1mum membrum. Habet incertitudinem de obtenta venia plena, & perfecta tam quoad culpam, quam quoad pœnam temporalem, Conc. Ant. quoad culpam, & pœnam æternam, Neg. Ant. ſiquidem pœnitentia ex toto corde fiat. Porro Chriſtus loc. object. non explicat ordinem juſtificationis, vi cujus homo tantum ponitur in ſtatu gratiæ, ſed ordinem glorificationis, vi cujus ponitur in ſtatu gloriæ, ut exponit S. Auguſt. in tract. 75 in Joan., & indicat ipſe contextus. De juſtificatione in præſenti autem Deus loquitur Proverbiorum 8 v. 17: *Ego diligentes me diligo.* Ad Conf. Neg. 1 ſequelam, quia vox diligere, & dilectio ſimpliciter, ac ſine addito poſita juxta communem acceptionem ſignificat amorem Dei propter ſe. Alteram multi concedunt, ſi proximus diligatur propter Deum. Interim pro hac opinione non ita ſtat Tridentinum, tantaque Patrum auctoritas, quanta pro noſtra concluſione

Dices 2. Concilium Tridentinum circa 210
hanc quæſtionem nihil voluit decidere, cum enim Patres pararent canonem, quo damnaretur, quisquis negaret peccata remitti per contritionem, qua pœnitens divina gratia per Chriſtum cooperante dolet de peccatis propter Deum cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, ad inſtantiam Epiſcopi Callaritani monentis hanc eſſe ſententiam Cajetani, & Adriani, canon ille fuit ſuppreſſus, ut teſtatur Pallav. in Hiſt. concil. lib. 12 cap. 10. Conf. Tridentinum ſeſſ. 14 c. 4. docet, remiſſionem peccatorum

adſcribi debere contritioni, ut includenti votum Sacramenti: ergo vis juſtificativa non convenit contritioni, ſed Sacramento. Reſp. Quamquam concilium Tridentinum noſtram ſententiam non voluerit definire expreſſe, & oppoſitam tanquam hæreticam damnare, nihilominus mentem ſuam circa hanc quæſtionem ita manifeſtavit, ut validum ex illo argumentum theologicum deduci poſſit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam aliud eſt votum Sacramenti, aliud ipſum Sacramentum, illud in contritione includitur, non vero iſtud; hinc omnes dicunt vi contritionis conferri gratiam ex opere operantis, at non ex opere operato, ut ipſi Adverſarii fateri debent in caſu neceſſitatis, & articulo mortis.

211 Obj. 2. Peccatrix Evangelica fuit perfecte contrita, antequam ad Chriſtum accederet, & tamen primum poſtea remiſſionem peccatorum obtinuit, quando Luc. 7 v. 47 Chriſtus ad illam dixit: *Remittuntur tibi peccata:* ergo non omnis contritio ſtatim juſtificat. Conf. Etſi peccatrix illa jam ante confeſſionem fuiſſet juſtificata, id ſolum factum eſſet, quoniam dilexit multum; hanc enim cauſam ipſe Chriſtus v. 47 allegat. Reſp. Tranſ. Ant. quoad 1mum membrum, Diſt. quoad 2dum. Primum poſtea obtinuit remiſſionem primam, & inviſibilem, Neg. Ant. ſecundam, & ſolemnem, Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quando peccatrix Evangelica perfectam contritionem elicuerit, & remiſſionem peccatorum obtinuerit, non ſatis conſtat, quia tamen Chriſtus jam verſu 47 dixerat: *Remittuntur*, ſeu ut textus Græcus habet, *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, probabilius videtur, quod verſ. 48 remiſſio prius jam facta a Chriſto tantum ſolemniter declarata, & confirmata

ta fuerit, ficut quando Marci 5 v. 34 mulieri a fluxu fanguinis jam fanatæ dixit: *Efto fana a plaga tua.* Ad Conf. Neg. Ant. Chriftus hanc caufam non addidit tanquam neceffariam ad remiffionem peccatorum qualemcunque, fed ad veniam tam liberalem, ut remitteretur etiam omnis pœna, ipfique habitus pravi auferrentur, ut explicat S. Gregorius Homil. 33 in Evang.

Dices 1. S. Gregorius Homil. cit. de hac peccatrice ait: *Nondum lota, fed lavanda ad fontem mifericordiæ cucurrit: quæ ad medicum venerat ægra, fanata eft*: & S. Auguftinus Homil. 23 inter 50 cap. 2: *Acceffit ad Dominum immunda, ut rediret munda: acceffit ægra, ut rediret fana, & tum demum delictorum veniam obtinuit, cum ad præfentiam divini illius ignis fortius amando arfit.* Refp. S. Gregorium, & Auguftinum vel hic loqui per quamdam ampliationem ad tempus, quo paulo ante peccatrix ægra, & immunda fuerat, vel debere intelligi non de immunditia, & ægritudine coram Deo, fed coram oculis hominum, & præcipue Pharifæi, qui, ut v. 39 habetur, intra fe cogitavit; *Quia mulier hæc peccatrix eft.* Imo S. Auguftinus non videtur loqui de acceffu corporali, fed fpirituali per fidem, aliosque pios motus, quibus peccatrix illa ad perfectam contritionem fe difpofuit. Neque obftat, quod in eodem contextu ftatim litteraliter loquatur de reditu; nam ejusmodi regreffus ab uno fenfu ad alterum S. Doctori valde familiaris eft, ut patebit legenti hanc ipfam Homiliam cap. 3. 212

Dices 2. Filius prodigus jam elicuit contritionem perfectam, quando ftatuit redire ad patrem, fed primum poftea ftolam gratiæ obtinuit. 2. S. Paulus in fua converfione fue- 213

rat perfecte contritus, & tamen Act. 22 v. 16 ei dixit Ananias: *Exſurge, & baptizare, & ablue peccata tua*; hinc S. Auguſtinus ſerm. 1 de Sanctis ait: *Ananias baptizavit Paulum, & fecit ex lupo agnum.* Reſp. ad 1. Neg. Ant. Filius prodigus initio ſolum decreverat redire ad patrem, & contritionem elicere, hanc dein elicuit in via, ideo pater ſtatim accurrit, & oſculatus eſt eum; cum autem filius iterum veniam precaretur, adhuc majori gratia, & pluribus donis a patre exornatus eſt, nempe ſtola nova, annulo, calceamentis &c. Ad 2. Quod S. Paulus jam ante Baptiſmum fuerit juſtificatus, expreſſe docet S. Gregorius lib. 11 Moral. & S. Bernardus apud Lorinum in cap. 9 Act. Unde Ananias illum tantum eſt hortatus, ut abluat peccata quoad reliquias pœnæ, & pravorum habituum, ut ſic acciperet augmentum gratiæ, & etiam ablutionem exteriorem a Chriſto præceptam, ac fieret agnus etiam coram hominibus per verum fidei colorem, ut advertit S. Auguſtinus lib. 4 contra Donat. cap. 21.

214 Obj. 3 SS. Patres nominatim Ambroſius de initiand. cap. 4, Cyrillus Hieroſolym. Cacheſ. 1, Bernardus epiſt. 77, Greg. Naz. orat. 40, Fulgentius epiſt. ad Ferrand. docent, contritionem non juſtificare catechumenos extra Sacramentum Baptiſmi: ergo neque juſtificat baptizatos ante Sacramentum pœnitentiæ. Conf. Concilium Milevitanum II cap. 4 anathema dicit aſſerenti, gratiam dilectionis non eſſe neceſſariam ad non peccandum: ergo dilectio etiam eſt neceſſaria peccatoribus ante remiſſionem peccatorum. Reſp. Neg. Ant. S. Ambroſius ſolum docet, quod ad remiſſionem peccatorum in catechumenis non ſufficiat ſola fides. S. Cyrillus, quod ordinarie

ante

ante Baptiſmum non habeant charitatem perfectam. S. Bernardus refutat eos, qui contendebant, Baptiſmum flaminis nec in morte ſufficere, addit, inſuper Baptiſmum actu debere recipi, niſi mors, aut alia vis invincibilis obſtet. Si S. Gregorius, & Fulgentius plus vellent, ab illis recedendum foret, ſicut & ipſi ab aliis receſſiſſe videntur, ut ait Tournelyus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Concilium Milevitanum canone illo per verbum dilectionis non denotat actum, aut habitum charitatis, ſed auxilium gratiæ actualis ad ſervanda omnia præcepta, eaque facilius adimplenda.

Dices 1. S. Auguſtinus tract. 13 in Joan. 215
ait: *Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat: non ei dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum*; Lib. de Unit. Eccleſ. cap. 22: *Utrumque neceſſarium eſt ad Regnum Dei adipiſcendum & Baptiſmus, & juſtitia*; Lib. 2 de peccat. merit. cap. 76: *Sanctificatio catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, ei non valet ad intrandum regnum cœlorum*: ergo. Reſp. S. Auguſtinus in textu 1 non loquitur de profectu in amore Dei, ſed in aliis virtutibus moralibus, in quibus nonnulli catechumeni ſe præ baptizatis jam profeciſſe gloriabantur, & ideo Baptiſmum ſuſcipere detrectabant, aut certe nimis diu differebant. In 2. Per juſtitiam non intelligit illam, quæ Sacramentum præcedit, ſed quæ per ipſum Sacramentum confertur, quia ad ſalutem non ſufficit ritum externum Sacramenti percipere, ſed inſuper neceſſaria eſt interior juſtitia, quam Sacramentum operatur. In 3. Per ſanctificationem denotat ſignum crucis, manuum impoſitionem, aliasque ceremonias externas, quibus catechumeni ſanctificabantur,

& ad Baptiſmum præparabantur, quæ utique ſe ſolis ad regnum Dei non perducunt, imo neque id præſtaret gratia interna, ſi poſtea catechumenus ex contemptu, vel gravi negligentia Baptiſmum omitteret.

216 Dices 2. Sanctus Auguſtinus vim juſtificativam contritionis expreſſe limitat ad caſum neceſſitatis; nam lib. 4 de Bapt. cap. 22 ait: *Invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporis ſuccurri non poteſt.* Hinc licet S. Doctor lib. 9 confeſſ. cap. 2 de ſeipſo teſtetur, quod ante Baptiſmum flagraverit charitate, cap. 4 ſubjungit: *Ea fides me ſecurum eſſe non ſinebat de peccatis præteritis, quæ mihi per Baptiſmum nondum remiſſa erant.* Reſp. Neg. Ant. S. Auguſtinus contritionem, & martyrium comparat quidem in hoc, quod in caſu neceſſitatis ambo ſufficiant ad ſalutem, quia ipſe articulus neceſſitatis tollit obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum: at ideo non affirmat, quod contritio in ſolo caſu neceſſitatis juſtificet. Imo lib. 4 de Baptiſ. & lib. 2 contra Donat. expreſſe docet, Cornelium centurionem ante Baptiſmum juſtificatum fuiſſe. Interim S. Doctor de ſuis peccatis ante Baptiſmum ſuſceptum merito adhuc fuit ſollicitus, tum quia ipſi nondum fuerant remiſſa ſacramentaliter, & præcepto Baptiſmum ſuſcipiendi adhuc obligabatur, tum quia non potuit eſſe certus, quod elicuerit contritionem perfectam, multo minus, quod acceperit remiſſionem peccatorum plenam, etiam quoad pœnas temporales.

217 Obj. 4. Si quælibet contritio juſtificaret ſine ſpeciali revelatione fide divina poſſemus eſſe

cer-

certi, quod simus in statu gratiæ; hoc falsum: ergo. Conf. Potest dari actus fidei, & spei, quin detur habitus harum virtutum: ergo etiam actus charitatis sine habitu charitatis; hinc S. Thomas 3 p. q. 84 art. 5 ad 2 ait: *charitas, fides, & misericordia non liberant hominem a peccato sine pœnitentia.* Resp. Dist. Maj. Possumus esse certi certitudine fidei, & stricte tali, Neg. Maj. certitudine morali latius dicta, Transf. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Homo nunquam est stricte moraliter certus, quod sua contritio fuerit supernaturalis, efficax, & super omnia; si tamen frequenter ejusmodi actus conetur elicere, vel diu nunquam graviter peccet, sed in virtute proficiat, non est cur de negotio salutis suæ multum sit inquietus, aut anxius dubitet. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Disparitas petitur ex libera voluntate Dei, quæ, ut probavimus, infundit habitum charitatis, quoties datur actus charitatis, non item habitum fidei, & spei ad præsentiam istorum actuum, licet essent intensissimi; unde hoc argumentum, sicut pleraque jam allata; debent solvere ipsi Adversarii. S. Thomas ibi agit de Sacramento pœnitentiæ, ad cujus valorem necessario requiritur, & ipsa contritio, quæ non tantum est actus charitatis, sed etiam pœnitentiæ.

Dices 1. Si contritio perfecta infallibiliter 218 justificat, non est ratio, cur nihilominus postea teneamur confiteri peccata, & post elicitam contritionem non liceat statim accedere ad sacram Synaxim. Conf. Contritio perfecta non elicitur ex motivo compensationis: ergo non tollit debitum peccati, sicut debitum aliquot florenorum non tollitur, si creditori tot floreni gratis donantur. Resp. Neg. Ant. Ratio primi est præceptum divinum, nobis declaratum a Tri-

dentino sess. 14 cap. 5, vi cujus omnibus post Baptismum graviter lapsis integra peccatorum confessio est necessaria; hinc contritio semper includit votum, seu propositum Sacramentum pœnitentiæ suscipiendi, quod votum utique debet esse serium, adeoque postea impleri, si potest. Præterea per Sacramentum pœnitentiæ accipitur nova gratia sanctificans, tribuens jus ad gratiæ actualis auxilia, remittitur saltem pars pœnæ residuæ, & homo de remissione culpæ redditur securior. Ratio secundi est rursus speciale præceptum Ecclesiæ, vel ipsius Christi, quo ob specialem dignitatem, & reverentiam S. Evcharistiæ debitam cavetur, ut ad illam per se loquendo nemo accedat nisi prius omnia peccata mortalia fuerit confessus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quia Deus liberaliter promisit, quod velit peccati debitum remittere, modo homo ex titulo amoris dolorem ipsi offerat, quale promissum non habetur in humanis.

219 Dices 2. Saltem juxta nos apud contritum non amplius verificaretur forma absolutionis. 2. Sententia cæli præcederet sententiam Petri. 3. Neque sacer judex illum amplius posset solvere, & ligare. Omnes istæ sequelæ sunt contra doctrinam a nobis traditam. Ergo. Resp. Neg. Maj. Nam 1, quod peccata jam aliunde remissa possint vere iterum remitti, alibi ostendemus, & patet in casu, quo quis duntaxat talia confitetur, a quibus jam aliunde absolutus fuit. 2. Dum Patres dicunt, sententiam Petri præcedere sententiam cæli, loquuntur de ipso Sacramento, in quo pœnitens prius quodammodo absolvitur a Sacerdote quam a Deo, in quantum Deus ideo pœnitentem absolvit, quia illum absolvit Sacerdos, & non

vi-

viciſſim. 3. Imprimis Sacerdos poteſt retinere peccata per ſolam attritionem retractata, dein poteſt etiam ligare hominem perfecte contritum, ſi illi neget abſolutionem, licet injuſte; talis enim maneret obligatus ſua peccata iterum confiteri. Taceo, quod etiam perfecte contriti poſſint ligari quoad cenſuras, & adſtringi ad ſubeundam pœnitentiam etiam gravem, ſi delicta gravia commiſerit.

QUÆSTIO V.

An contritio perfecta ſit neceſſaria ad Sacramentum pœnitentiæ?

220 QUod ante concilium Tridentinum complures Doctores catholici cum magiſtro ſententiarum exiſtimaverint ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, jam notavi num. 101, ſententiam hanc, quam poſt concilii Tridentini doctrinam graves quidam Theologi erroneam appellant, ex parte ſequuntur illi Galli, & Belgæ, qui contendunt attritionem ad effectum Sacramenti non niſi mediate diſponere, eoquod pœnitens virtute Sacramenti debeat interius mutari, & de attrito fieri contritus, ut accedente contritione ad recipiendam gratiam ſacramentalem proxime, & immediate capax reddatur. Nonnihil aliter loquuntur, qui ad contritionem perfectam certam intenſionem, aut durationem requirunt. Verum quia hanc opinionem jam ſatis refutavi, hic utroſque pari ferme ratione poterimus impugnare.

221 Dicendum. Contritio perfecta non eſt diſpoſitio neceſſaria ad Sacramentum pœnitentiæ. Prob. 1. Sacramentum pœnitentiæ eſt Sacramentum mortuorum, per ſe inſtitutum ad con-

fe-

ferendam primam gratiam ; atqui si ad illud semper requireretur perfecta contritio, non esset Sacramentum mortuorum collativum primæ gratiæ : ergo. Major patet tum ex ipsa institutione hujus Sacramenti, & constanti traditione, tum ex concilio Tridentino sess. 14 cap. 1, ubi docet, *Potestatem, quæ exercetur in hoc Sacramento, esse ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos* ; & cap. 3 : *Rem, & effectum hujus Sacramenti esse reconciliationem cum Deo*, æque videtur patere minor. Si enim ad hoc Sacramentum per se necessaria esset perfecta contritio, homo jam deberet esse justificatus ante absolutionem, in qua juxta Tridentinum præcipua vis hujus Sacramenti posita est. Conf. ex communi persuasione fidelium, qui sibi, aliisque in mortis articulo maxima solicitudine procurant Sacerdotem, a quo absolvantur. Imo Julius Papa can, si presbyter 26 quæst. 6, & Cælestinus can. agnovimus eadem, Sacerdotem, qui in articulo mortis pœnitentes non absolvit, vocat crudelem, & animarum pereuntium reum. Ergo supponunt ad effectum hujus Sacramenti non semper requiri contritionem per se extra Sacramentum justificativam.

221 Probatur 2. Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 4 de attritione docet, quod, *Quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponat* : ergo ad hoc Sacramentum, ejusque effectum non requiritur necessario contritio perfecta, sed sufficit attritio, & quidem non solum tanquam dispositio remota, verum ut proxima, & immediata. Nam 1 juxta concilium attritio aliter disponit intra Sacramentum

tum

tum, quam extra illud, ut clare colligitur ex illis particulis *Quamvis, tamen*; atqui remote etiam extra Sacramentum diſponit ad gratiam, ſicut omnis alius actus ſupernaturalis. 2. Concilium vocem *diſponere* opponit verbo *perducere ad gratiam*: ergo ſicut negat, quod attritio extra Sacramentum ad gratiam immediate perducat, ſic aſſerit, quod id præſtet in Sacramento; nam ad contritionem perfectam æque extra Sacramentum diſponere poſſet, & confitentes ſæpe in attritione ſiſtere ſolent. 3. Sicut concilium ait contritionem perfectam juſtificare extra Sacramentum, ſic ait attritionem in Sacramento ad gratiam diſponere; ſed illa extra Sacramentum juſtificat proxime: ergo hæc in Sacramento diſponit proxime; alias plane concilium Tridentinum de Sacramento pœnitentiæ non tradidiſſet *Doctrinam planam, & exactam, in qua catholica veritas convulſis erroribus perſpicua, & illuſtris fieret*, quam tamen in proœmio dictæ ſeſſionis promittit.

Objectiones.

OBj. 1. S. Scriptura ad juſtificationem ſemper requirit charitatem perfectam: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris*, Deuter. 4 v. 19; *Si tradidero corpus ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, 1 ad Cor. 13 v. 3, *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt pœnitentiam ſtabilem operatur*, 2 ad Cor. 7 v. 10: ergo contritio perfecta eſt neceſſaria ad effectum Sacramenti pœnitentiæ. Conf. Quia in lege antiqua ad delenda peccata ſemper fuit neceſſaria perfecta contritio, & amor Dei præceptum confeſſionis facilitat. Reſp. Diſt. Ant. 223

Re-

Requirit charitatem perfectam ad justificationem extra Sacramentum, Conc. Ant. in Sacramento, Neg. Ant. textus 1mus ex antiquo testamento non est ad rem, quia ibi nullum adhuc erat Sacramentum pœnitentiæ. 2dus loquitur de charitate habituali, sine qua nulla opera vitam æternam merentur. 3tius per tristitiam secundum Deum non denotat pœnitentiam necessario elicitam ex charitate, sed quamcunque supernaturalem directam ad conversionem sui erga Deum. Ad Conf. Cum lex nova sit lex gratiæ, non est mirum, quod Deus se magis amabilem, & facilem præstet, quam in lege antiqua; at foret longe difficilior, si ad præceptum grave confessionis accederet necessitas perfectæ contritionis, neque enim confessio facilitatur per amorem, qui ex præcepto primum elici debet.

224 Dices. S. Paulus 1 ad Cor. 16 v. 22 anathema dicit: *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum*; & 1 Joan. 3 v. 14 dicitur: *Qui non diligit, manet in morte*: ergo charitas etiam requiritur ad justificationem in Sacramento. Conf. Habitus fidei, & spei non infunduntur, nisi præcesserint eorum actus: ergo neque habitus charitatis, nisi præcesserit actus charitatis. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. In textu S. Pauli particula *Non* debet accipi contrarie, quasi diceret, si quis odit Christum, seu si quis non est christianus; nam Apostolus ibi amantem opponit infidelibus, quos solos anathematizat, non vero quoslibet peccatores. Eodem modo in textu S. Joannis particula Non contrarie accipienda est; nam statim additur: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Præterea textus hic loquitur de charitate proximi. Quia tamen ab aliquibus etiam de dilectione Dei intelligitur, poteris illum expo-

exponere de dilectione habituali, seu habitu charitatis. Ad Conf. Transf. Ant. quod falsum est in parvulis, Neg. Conf. Non procedere argumentum a pari in iis, quæ dependent a libera Dei voluntate, jam notavi num. 117.

Obj. 2. Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 225
7 ait: *Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Deo, neque corporis ejus vivum membrum efficit:* ergo non datur justificatio sine charitate. Conf. Idem concilium sess. 14 cap. 4 cum Florentino decret. ad Armen. inter partes pœnitentiæ numerat contritionem, aitque: *Hunc motum contritionis quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse.* Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Non datur justificatio sine charitate actuali, Neg. Conf. sine charitate habituali, Conc. Conf. concilium immediate præmittit hæc verba: *Hæc omnia simul infusa accipit homo;* actus autem non dicuntur infundi, nec simul in eodem justificationis instanti elici solent. Eodem sensu Tridentinum ibi ait: quod *Justificatio sit renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum,* in quantum nempe homo libere atteritur, ut accedente confessione gratiam Dei recipiat. Ad Conf. dico, in his locis utrumque concilium loqui de contritione in genere, aitque in nova lege quovis tempore necessariam fuisse vel perfectam, vel imperfectam cum Sacramento, in lege veteri autem determinate perfectam.

Dices 1. Ut attritio disponat ad gratiam, 226
debet accedere confessio: ergo attritio solum disponit remote, ferme sicut actus fidei, & spei. Conf. Confessio juxta Tridentinum est dispositio ad gratiam, licet non disponat se sola;

la : ergo attritio poteſt dici diſpoſitio, licet tantum diſponat cum contritione. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ex antecedenti tantum ſequitur, quod attritio ad gratiam non diſponat proxime extra Sacramentum, quamvis autem Tridentinum non dicat expreſſis verbis, quod in Sacramento diſponat proxime, id tamen ſatis affirmat implicite, ut patet ex noſtris probationibus, & confirmatur ex eo, quia ſeſſ. 14 cap. 3 contritionem, quam dein primum cap. 4 diſtinguit in perfectam, & imperfectam, dicit eſſe partem Sacramenti, unde non eſt paritas cum fide, & ſpe, quæ Sacramentum intrinſece non conſtituunt. Ad Conf. Diſt. Ant. Licet non diſponat ſe ſola in omni genere, Conc. Ant. in ſua linea, Neg. Ant. & Conſ. tam attritio, quam confeſſio ad gratiam in Sacramento impetrandam aliquo modo, & in ſua linea ſe ſolis diſponunt, attritio nempe in linea doloris, confeſſio in linea accuſationis.

227 Dices 2. Si attritio eſt pars Sacramenti, cauſat gratiam : ergo ad illam non diſponit, ſed potius ad confeſſionem, & abſolutionem; hinc Tridentinum non dicit, quod gratiam cauſet. Conf. Attritio juxta Tridentinum tantum diſponit ad gratiam in Sacramento impetrandam : ergo tantum ad ejus impetrationem videlicet mediante contritione. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Attritio non diſponit ad gratiam quomodocunque, ſed tanquam pars Sacramenti cauſantis ex opere operato : neque obſtat, quod ſimul ſit diſpoſitio ad alias compartes ; nam ſæpe contingit, ut aliquid ſit pars totius, & ſimul diſpoſitio ad alias compartes. Sic una pars itineris eſt diſpoſitio ad reliquum iter, & ſimul pars totius. Quod igitur concilium potius uti voluerit ter-

mino disponere, quam causare, ideo factum videtur, quia attritio potest esse sine reliquis concausis, & tunc non causare. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Impetrare idem significat ac obtinere; hinc vulgo dicimus: Hic supplex meretur impetrare gratiam: ergo dispositio ad gratiam impetrandam, est etiam dispositio proxima ad ipsam gratiam, seu ejus obtentionem.

Obj. 3. S. Augustinus serm. 61 de Verb. 228
Dom. S. Gregorius Homil. 6 in Evang. & S. Thomas opusc. 22 cap. 2 docent, hominem, antequam confitetur, debere esse vivificatum: ergo ad pœnitentiam requirunt amorem Dei. Conf. Juxta commune axioma: Pœnitens ex attrito fit contritus; hinc S. Gregorius in 1 Reg. lib. 6 cap. 2 ait: *Salubriter confiteri volentes, debent corde credere ad justitiam*; & addit: *Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Intellectam de amore perfecto, & pœnitentia in Sacramento; nam S. Augustinus & Gregorius solum volunt, quod homo ante confessionem debeat esse vivificatus imperfecte per gratias actuales, ut dixi num. 62. S. Thomas vero non loquitur ex propria sententia, sed solum ostendit, ex argumento Adversarii, contra quem ibi agit, non sequi, quod Sacerdos non vere absolvat, licet confessio aliquando charitatem perfectam præsupponat. Ad Conf. Axioma hoc non significat, quod attritio fiat contritio formaliter, aut quod contritionem in Sacramento semper post se trahat, sed quod causet gratiam, & remissionem peccatorum in Sacramento, sicut contritio perfecta extra Sacramentum. S. Gregorius agit contra illos, qui ad exemplum Sau-

lis exterius peccata confitendo aperiunt, sed ea interius non detestantur, unde tantum requirit dolorem efficacem, quo quis voluntatem dirigat ad fidem, quæ per dilectionem operatur, non autem exigit, ut confitens jam doleat ex amore charitatis.

229 Dices 1. S. Augustinus satis clare favet adversæ sententiæ. Nam 1 de catechiz. rudib. cap. 20 ait. : *Legem non implet nisi charitas*; 2. de ver. & fals. pœnit. cap. 9 : *Sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nunquam invenit gratiam*; 3, lib. 2 contra Crescomium cap. 12 : *Quæ* (charitas) *si adsit, omnia illa recte fiunt, si autem desit, omnia illa frustra fiunt* ; 4. serm. 7 de temp. : *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Resp. Neg. Ant. Textus 1mus non agit de confessione, sed de præceptis, quæ sicut omnia simul sine charitate impleri nequeunt, ita ad singula implenda charitas non requiritur. 2dus probabilius non est S. Augustini, nec loquitur de amore, quo nos Deum amamus, sed quo Deus amat nos, ut colligitur ex contextu. 3tius est de charitate habituali, quæ ibi dicitur diffusa in cordibus nostris. 4tus non dicit, sine amore Dei pœnitentiam non esse validam, & fructuosam, sed certam, quia pœnitentia ex amore Dei longe majorem affert certitudinem, quam quæ a solo timore extorquetur. Taceo, quod sermo hic non tam sit de amore charitatis, quam de amore excludente affectum peccandi, quod etiam fieri potest per amorem quemdam virtualem, aut amorem spei, ut inferius dicetur.

230 Dices 2. Ad gratiam in Baptismo impetrandam requiritur perfecta charitas : ergo etiam in Sacramento pœnitent. Ant. Prob. ex can. ult. concilii Arausicani II, ubi docet, quod

Deus

Deus nullis præcedentibus meritis fidem, & amorem ſuum prius inſpiret, ut Sacramentum Baptiſmi feliciter acquiramus. Hinc etiam S. Auguſtinus lib. de catechizand. rudib. ait: *Deum eſſe gratis diligendum, quia totum præmium noſtrum ipſe erit, ut ſic catechumenus reconcilietur Deo.* Conf. auctoritate S. Thomæ, qui variis in locis ad Sacramentum pœnitentiæ charitatem requirere videtur. Reſp. Neg. Ant. Concilium Arauſicanum ſolum intendit contra Pelagium definire, hominem gratis juſtificari, & gratiam Dei non ſolum ad cognoſcendam, ſed etiam ad implendam legem neceſſariam eſſe: unde ad Baptiſmum ſolum requirit amorem quemdam, quo Deum diligere incipimus, ſive dein ſit amor benevolus, ſive amor ſpei, de quo loquitur S. Auguſtinus, ut patet ex iis verbis: *Quia totum præmium noſtrum ipſe erit,* quem amorem vocat gratuitum, in quantum nullum reſpicit præmium temporale, ſed tantum æternum conſiſtens in ipſo Deo. Ad Conf. Cum S. Thomas noſtram ſententiam apertiſſime doceat tum in 4 diſtinct. 6 q. 1 a. 3 quæſtiunc. 1 ad 5, tum diſt. 22 q. 2 art. 1 quæſtiunc. 3 in corp. in aliis locis ita explicari debet, ut ſibi non contradicat, nimirum vel de charitate habituali, ſine qua confeſſio non valet ex opere operantis, vel de pœnitentia perfecta, & per ſe reconciliativa.

Obj. 4. Malitia peccati ſtat in eo, quod 231
peccans magis amaverit creaturas, quam Deum: ergo debet tolli per actum, quo magis amatur Deus, quam creaturæ: ergo per amorem Dei ſuper omnia. Conf. Ad magiſterium divinum, & effectum divinarum promiſſionum non eſt bene diſpoſitus, qui non credit Deo, nec ab ipſo quidquam ſperat: ergo neque ad a-

 mici-

micitiam Dei est dispositus, qui Deum non amat amore amicitiæ. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ad tollendum peccatum sufficit ille actus, illaque conversio, quam Deus exigit, & cui justificationem promisit; talis est attritio cum Sacramento, per quam cum homo peccatum suum efficaciter detestetur, & imposterum totam legem servare proponat, utique ad Deum, ejusque misericordiam convertitur, & beneplacitum divinum, ac amicitiam omnibus rebus creatis aliquo modo præfert. Ad Conf. iterum Neg. Conf. Qui enim ponit dispositionem, quam Deus requirit, ad illius amicitiam sufficienter est dispositus; atqui Deus non semper requirit actum charitatis, nisi aliquis justificari velit extra Sacramentum, de quo casu loquitur Zachar. 1 v. 3 dicens: *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

232 Dices 1. Dedecet Deum, ut hominem incipiat amare amore amicitiæ; antequam ita ametur ab homine, ferme sicut dedeceret Regem, si in suam amicitiam reciperet rebellem subditum, qui tantum ex metu pœnarum sine ullo amore benevolentiæ ad ipsum rediret. Conf. Quia alias posset contingere, ut aliquis post plura peccata gravia salvaretur, quin unquam elicuisset actum charitatis, si nempe in fine vitæ susciperet Sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione, & statim post absolutionem moreretur. Resp. Neg. Ant. Sed per hoc potius summopere commendatur infinita Dei clementia, quod creaturam vilissimam non solum admittat ad intimam amicitiam, sed etiam amore amicabili præveniat. Idem dicendum esset de Rege, præsertim si veniam, & pristinam amicitiam promisisset, modo subditus rebellis saltem ex metu, prout sæpe fit, se ipsi ite-

iterum submittat. Ad Conf. Quamvis præceptum charitatis per se sæpius in vita obliget, si tamen homo per accidens ad illud non adverteret, aut hic, & nunc illud non amplius implere valeret, utique per accidens cum sola attritione in Sacramento salvaretur; aliud est, quod attritionem efficacem sine actu amoris non posset elicere, si sciret præceptum charitatis hic, & nunc urgere, eoquod attritio efficax includat propositum implendi omnia præcepta gravia, hic, & nunc obligantia.

Dices 2. Quando homo elicit contritionem perfectam, ipsa absolutio suo tempore exstitura, & nunc existens in voto justificat, ferme sicut merita Christi causarunt gratias progenitoribus collatas, antequam physice exstiterunt: ergo. Conf. Potest cum Lovaniensibus dici, per actum perfectæ contritionis tantum tolli aversionem a Deo, relicto interim reatu pœnæ æternæ auferendo per absolutionem. Resp. Neg. Ant. tum quia contritio perfecta justificat, etsi absolutio e. g. apud morientem ex defectu Sacerdotis non sequatur, & nunquam amplius in actum secundum exire valeat: tum quia Tridentinum ipsi contritioni ut includenti votum Sacramenti justificationem adscribit. Sane nemo dicit, quod restitutio in voto existens causet primam gratiam, licet votum restituendi in contritione includatur. Ad Conf. Neg. Ant. Nam Scriptura rite pœnitenti promittit veniam, in quacunque die conversus fuerit, & Tridentinum sess. 6 cap. 14 clare docet, pœnam æternam tam in Sacramento, quam extra Sacramentum cum culpa remitti. 233

QUÆSTIO VI.

An attritio ex metu gehennæ concepta possit esse actus honestus, bonus, & supernaturalis?

234 AD intelligendum statum quæstionis varii timores distinguendi sunt. Primus est timor filialis, quia proprius filiorum Dei, qui Deum amantissimum Patrem, & Dominum offendere pertimescunt, non timore pœnæ, sed timore ipsius culpæ, & offensæ. Hic timor juxta omnes bonus, & honestus est, uti etiam ille, quo quis peccatum fugit simul propter timorem culpæ, & pœnæ, quem S. Thomas 2 2 q. 19 a. 2 in corp. initialem vocat. Secundus timor est mundanus, quo quis ita timet mala temporalia, quæ a creaturis ipsi inferri possent, ut malit Deum offendere, quam tale malum subire. Hunc timorem positive inhonestum, & malum esse, per se patet. Tertius est timor servilis, isque duplex; nam si quis ex timore pœnæ peccatum quidem non committit e. g. exterius, nihilominus actu saltem implicite, & conditionate ita affectus est, ut, si impune posset, illud committeret, timor hic vocatur serviliter servilis, eumque malum esse rursus ultro concedimus. Si vero aliquis pœnam peccati ita timeat, ut ex hoc timore tanquam motivo proximo peccatum serio, & efficaciter fugiat, de cætero autem abstrahat, quid acturus esset, si pœna peccato non foret statuta, timor iste vocatur simpliciter tantum, & materialiter servilis, & de hoc præsens movetur quæstio.

235 Quippe Lutherus, sicut contendit omnem humanam actionem, quæ non provenit ex charitate habituali, verum peccatum esse, ita dixit, attritionem ex timore simpliciter servili conceptam non esse liberam, sed extortam, violen-

lentam, & coactam, hominemque magis peccatorem, & hypocritam facere. Ex eodem motivo illam tanquam vitiosam, & verum peccatum omissionis rejiciunt Bajus, Jansenius, Quesnellus aliique Jansenistæ, qui inter vitiosam cupiditatem, & laudabilem charitatem nullum medium agnoscunt, sed quidquid sine hoc fit, vitiosæ cupiditati tribuunt. Denique Auctores quidam catholici, licet ipsum timorem pœnæ æternæ non sint ausi reprobare, docuere tamen, operationem ex timore tanquam fine proximo procedentem malam esse, quasi vero motivum ex se bonum, & honestum in operationem aliquam malitiam refundere valeat, aut immerito ab Alexandro VIII damnatæ fuerint propositiones 14: *Timor gehennæ non est supernaturalis*; & 15: *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis.*

Dicendum 1. Attritio ex metu gehennæ concepta est actus positive bonus, & honestus. 236
Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ istum timorem, tanquam honestum, & ad cavenda peccata perutilem sæpe commendat. Sic Matth. 10 v. 28 legitur: *Timete eum, qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam*; Psalm. 118 v. 120 David postulat: *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* Idem frequenter faciunt SS. Patres præsertim Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius &c., quorum testimonia recitat Bellarm. lib. 2 de pœnit. cap. 17. Nobis sufficiat Augustinus, cujus auctoritate potissimum gloriantur Jansenistæ; at serm. 13 de verb. Apost. ait: *Fac vel timore pœnæ, si non potes amore justitiæ*; & in Psalm. 127 de pœnis inferni ita disserit: *Audiunt hæc homines, & quia vere futura sunt impiis, timent,*

ment, & continent se a peccato: bonus est ille timor, utilis est. Conf. Licitum, & honestum est operari bonum ex desiderio mercedis ac beatitudinis: ergo etiam fugere, ac detestari peccatum ex metu gehennæ, & sic amoliri maximum malum. Ant. patet tum ex Tridentino sess. 6 Can. 6, tum ex propositionibus 10, & 13 damnatis ab Alexandro VIII, tum ex eo, quia talis actus pertinet ad spem theologicam, cujus proprium est desiderare æternam beatitudinem. Certe nemo inhonestatis arguet Davidem, quando Psalm. 118 v. 112 dixit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

237 Probatur 2 auctoritate Ecclesiæ. Nam concilium Tridentinum, postquam sess. 14 cap. 4 declaravit, illam contritionem, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, *Non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, & ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponere*; dein can. 5 anathema dicit asserenti, contritionem illam *Non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum.* Similia damnavit Clemens XI in pluribus propositionibus Quesnelli, quarum 60 ita habet: *Si solius supplicii timore amat pœnitentiam, quo hæc magis est violenta, eo magis ducit ad desperationem.* Ratio conclusionis est, quia quodlibet objectum per se honestum potest intendi per medium pariter honestum; sed evitatio pœnæ æternæ est objectum per se honestum, non minus quam consecutio beatitudinis æternæ: pariter fuga, & detestatio peccati est medium per se honestum, & pro-

proportionatum ad evitationem pœnæ æternæ: ergo evitatio pœnæ æternæ licite, ac honeſte per fugam, & deteſtationem peccati intenditur.

Dicendum 2. Attritio ex metu gehennæ concepta, ſi per lumen fidei dirigitur, eſt actus ſupernaturalis. Prob. 1. Quia Scriptura locis ſupra citatis potiſſimum hortatur ad actus ſalutares, qui ad vitam æternam diſponere poſſunt. Hinc Eccleſ. 25 v. 16 dicitur: *Timor Dei initium dilectionis ejus*; S. Baſilius in Pſalm. 32 timorem hunc vocat *Salutarem*, *& ſanctitatis operativum*; S. Gregorius lib. 28 Moral. cap. 8 docet eundem a Deo infundi. 2. Quia Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 attritionem iſtam vocat *Donum Dei*, *& Spiritus ſancti impulſum*, additque, eam *Ad gratiam in Sacramento diſponere.* Alexander VIII autem opinionem oppoſitam confixit. 3. Si dolor ex metu gehennæ dirigitur per lumen fidei, adeoque a gratiis ſupernaturalibus, quæ nunquam deſunt in ordine ad hoc, ut ſalutariter operari poſſimus: ſi inſuper principium aliquod ſupernaturale in illum influat; omnia habet, quæ ad actum ſupernaturalem entitative, & ſubſtantialiter talem requiruntur: ergo non minus eſt ſupernaturalis, quam deſiderium æternæ beatitudinis, præſertim quia metus inferni per actum fidei propoſitus, ut conducens ad finem ſupernaturalem, nempe gratiam, aut beatitudinem obtinendam, pro objecto jam habet aliquid ſupernaturale ſaltem quoad obliquum. 238

Objectiones.

OBj. 1. Quando Scriptura, & Patres timorem commendant, ſolum loquuntur de timore filiali, nullibi enim dicunt, quod at- 239

tritio ex metu gehennæ concepta ſit actus honeſtus, licet non accedat aliud motivum perfectius. Conf. Tridentinum loco citato non dicit, quod attritio propter metum, ſed ex metu concepta ſit actus honeſtus, neque quod ad Deum confugiamus propter metum, ſed per metum: ergo ſolum loquitur de illa attritione, quæ oritur ex metu gehennæ tanquam occaſione, non vero tanquam motivo proximo. Reſp. Quia Scriptura, & Patres locis a nobis allegatis nullam faciunt mentionem alterius motivi, quam timoris pœnarum, de hoc ſolo debent intelligi, non autem de timore filiali, qui vel eſt ipſe actus charitatis, vel ſaltem cum illo inſeparabiliter conjunctus. Imo Tridentinum expreſſe diſtinguit dolorem ex metu a dolore ex charitate, & damnat Lutherum, qui de dolore ex ſolo metu gehennæ locutus eſt. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Particulæ ex, & per æque ſunt aptæ ad denotandum motivum, quam particula propter: & ſi metus eſt honeſtus tanquam occaſio, nulla eſt ratio, cur non ſit honeſtus tanquam motivum.

240 Dices 1. *Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet*, 1 Joan. 4 v. 18; atqui nulla virtus opponitur alteri: ergo. Conf. S. Gregorius lib. 9 Moral. cap. 21 ait: *vera obſequia Deo non reddimus, ſi ex timore mandatis illius, & non potius ex amore ſervimus*; & S. Chryſoſtomus Homil. 2 in 2 ad Cor.: *Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnam daturus ſis (nihil enim hoc eſt) ſed quod Dominum tuum offenderis.* Reſp. Diſt. Maj. Charitas patriæ foras mittit timorem, Conc. Maj. charitas viæ, Subdiſt. timorem mundanum, & ſerviliter ſervilem, Conc. Maj. materialiter tantum ſervilem, Neg. Maj. vel ſi

eti-

etiam de isto textum Scripturæ intelligere velis, dic sermonem esse de timore minus perfecto, & nimis anxio, quem indicare videntur ultima verba: *Quoniam timor pœnam habet*, id est anxietatem, & cruciatum animi. Sane etiam visio beatifica excludit fidem, & spem, licet de se sint actus boni, & honesti. Ad Conf. S. Gregorius loquitur de obsequiis perfectis, & stabilibus, & timore inefficaci; nam ipsemet Homil. 6 in Evang. & lib. 2 in 1 Reg. docet: *timore defleri culpas præteritas, & declinari imminentes.* S. Chrysostomus agit exhortatorie, & solum vult, pœnitentiam ex timore conceptam nihil esse comparative ad pœnitentiam conceptam ex charitate; hanc enim ibi in Davide extollit.

Dices 2. SS. Patres nominatim Augustinus sæpe reprobant timorem pœnæ tanquam inhonestum. Sic Conc. 17 in Psalm. 118 ait: *Timor iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est*; Lib. 1 contra 2 epist. Pelag. cap. 9: *In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat*, Tract. 9 in 1 epist. Joan. timorem pœnæ comparat mulieri, quæ vellet facere adulterium, nisi timeret maritum. Item lupo, qui licet recedat tremens, tamen manet lupus fremens. Conf. S. Thomas variis in locis videtur dicere, quod timor servilis non sit numerandus inter dona Spiritus sancti, neque voluntatem peccandi simpliciter excludat. Resp. Dist. Ant. reprobant timorem mundanum, serviliter servilem, aut saltem inefficacem, quia voluntatem peccandi non excludit, Conc. Ant. timorem simpliciter servilem, serium, & efficacem, Neg. Ant. Ratio ita distinguendi est, ne SS. Patres, vel sibi ipsis, vel saltem aliis 241

Pa-

Patribus contradixiſſe videantur. Certe S. Auguſtinus pluribus in locis docet, timorem pœnæ eſſe a Spiritu ſancto, & miſericordia Dei. Præterea notari hic poteſt propoſitio 30 damnata ab Alexandro VIII: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere non reſpiciendo ad ullam Pontificis bullam.* Ad Conf. redit data diſtinctio; S. Thomas pluribus in locis clare defendit ſententiam catholicam. Sic 2 2 q. 19 a. 2 ait: *Quandoque homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur*, & a. 9: *Timor ſervilis non eſt numerandus inter ſeptem dona Spiritus ſancti, licet ſit a Spiritu ſancto.*

242 Obj. 2. Attritio ex ſolo metu gehennæ concepta tantum eſt dolor extortus, qui non procedit ex corde ſincero, ſed tantum ex amore proprio: ergo non eſt honeſtus, ſed ſimulatur. Conf. Quia eliciens attritionem ex ſolo metu ſe habet ſicut ſubditus, qui ad Principem graviter offenſum diceret: Quia meo delicto gravem pœnam ſum meritus, quam valde timeo, & vitare volo, ideo de illo doleo, quin tamen te amem, aut bonum tuum curem. Reſp. Neg. Ant. Quamvis talis dolor non ſit ita liber, & voluntarius, ſicut dolor ex amore Dei, & fundetur in amore proprio; nihilominus ſimpliciter eſt liber, & voluntarius, utpote elicitus ex propria, & ſincera voluntate cum cognitione finis. Neque hic amor proprius eſt vitioſus, cum ex ipſa lege divina teneamur nosmetipſos diligere, præſertim quoad comparanda nobis bona, & avertenda a nobis mala ſpiritualia, & æterna, juxta illud: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, Matth. 5 v. 43. Ad Conf. Vere attritus poteſt, & debet vi ſui doloris excludere omnem voluntatem peccandi, ſimulque eſſe paratus ad exſe-

ſequendam omnem Dei voluntatem graviter præceptam, ipſumque Dei amorem eliciendum, quando præceptum urgebit, quæ comparatio voluntatis ſtare nequit cum poſita tendentia ſubditi in ſuum Principem.

Dices 1. Qui peccatum præciſe deteſtatur, 243
propter gehennam, revera non odit peccatum, ſed gehennam, ferme ſicut non odit ſylvam, qui illam fugit propter lupos: ergo. Conf. Attritio ex metu gehennæ ad nullam virtutem pertinet, alias non conciperetur ex ſolo metu gehennæ, ſed potius ex fœditate peccati, quam illud habet propter oppoſitionem cum aliqua virtute. Reſp. Neg. Ant. Nam in omni philoſophia, & theologia certum eſt, non ſolum amari, & odio haberi objectum formale, ſed etiam materiale. Sic vere amat proximum, qui ipſum amat propter Deum, & viciſſim vere odiſſet Deum, qui illum odiſſet propter infernum. Ad inſtantiam additam dico, aliud eſſe fugere, aliud odiſſe, quamvis utique etiam fieri poſſit, ut aliquis propter lupos ipſam ſylvam odio habeat. Ad Conf. dico, attritionem hanc pertinere ad habitum ſpei, præſertim quatenus elicitur ex metu pœnæ damni, quia ad eandem virtutem pertinet beatitudinem deſiderare, & fugere malum oppoſitum; jam vero virtus ſpei non debet habere pro motivo oppoſitionem cum virtute morali. Quod ſi attritionem, in quantum elicitur ex timore pœnæ ſenſus, malis reducere ad habitum ordinati amoris ſui ipſius, rurſus poteſt elici ex ſolo motivo mali noxii, ſicut poſſunt peti bona præciſe ex hoc motivo, quia nobis congruunt.

Dices 2. Attritus ex metu gehennæ non 244
odit peccatum ſecundum ſe, ſed tantum, ut inductivum gehennæ: ergo revera non odit pec-

peccatum, ficut proprie non amat proximum, qui illum tantum amat propter fuum commodum. Conf. Attritus ex metu gehennæ vellet non eſſe gehennam, & ita eſt conſtitutus, ut nollet deteſtari peccatum, fi gehenna non eſſet: ergo. Reſp. Diſt. Ant. non odit peccatum ſecundum ſe ſub omni conſideratione, ſub qua eſt odibile, Conc. Ant. ſub aliqua, Neg. Ant. & Conſ. Licet attritus ex metu peccatum non habeat odio formaliter, prout e. g. opponitur divinæ bonitati, revera tamen illud odit, prout eſt odibile propter pœnam æternam, ficut amore concupiſcentiæ vere amat proximum, qui illum amat propter ſuum commodum, quamvis illum tali modo non amet amore benevolentiæ, & amicitiæ. Ad Conf. Neg. Ant. Homines honeſti abſterrentur a furtis etiam per infamiam patibuli, quin ideo velint pœnam hanc a republica tolli, aut furari, fi hæc pœna non foret; ab hoc enim abſtrahunt. Imo quia vere attritus vult fugere omne peccatum, hoc ipſo etiam fugit hanc volitionem inordinatam, & peccaminoſam.

245 Obj. 3. Attritus ex metu gehennæ magis deteſtatur pœnam, quam culpam; atqui hoc eſt inhoneſtum, quia ſic majus malum ordinat ad evitandum minus. Conf. Ex axiomate philoſophico, propter quod unumquodque tale, illud magis tale. Reſp. Diſt. Maj. magis deteſtatur pœnam appretiative, & poſitive, ita, ut pœnam æſtimet majus malum, aut actu paratus ſit potius eligere culpam, quam pœnam, Neg. Maj. magis deteſtatur pœnam negative, & prius, in quantum ab odio pœnæ determinatur ad deteſtationem culpæ, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Qui majus bonum ad obtinendum minus, aut majus malum ad evitandum minus præciſe ordinat, in

quan-

quantum unum intendit propter alterum, ut ſimul obtineat, vel evitet utrumque, nihil inordinationis admittit, alias non liceret ſacrum facere ad obtinendas v. g. pluvias, & ab ipſo Deo Incarnatio verbi non potuiſſet ordinari ad noſtram ſalutem. Ad Conf. Hoc axioma ſæpiſſime fallit, & tantum videtur habere locum in puris mediis, quæ nullam habent bonitatem, niſi medii in ordine ad finem, quale medium non eſt deteſtatio peccati reſpectu pœnæ tanquam finis, quia hæc deteſtatio propter multos alios fines poteſt intendi, & ratione ſui ipſius bona eſſet.

Dices. Saltem attritus ex metu gehennæ 246
non magis deteſtatur culpam, quam pœnam; ſed etiam hoc eſt inordinatum, quia ſic non deteſtatur peccatum ſuper omnia, & quantum eſt deteſtabile. Conf. Ita attritus tantum vult ſibi carentiam pœnæ: ergo ſtatuit ſeipſum pro fine cui ultimato, & pro motivo ultimo habet evitationem pœnæ, cum tamen ratio ultimi finis, & motivi ſoli Deo competat. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. hoc eſt inordinatum negative, Conc. min. poſitive, Neg. min. Non tenemur ſemper elicere actus perfectiſſimos, adeoque nec deteſtari peccatum, quantum deteſtabile eſt; ſed ſufficit, ſi deteſtatio ſit talis, ut omnem voluntatem peccandi excludat, ut quæſt. ſeq. magis declarabitur. Ad Conf. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ſe ipſum ſtatuit pro fine cui ultimo excellentiæ, & dignitatis, Neg. Conſ. pro fine cui ultimo indigentiæ, & utilitatis, Subdiſt. poſitive excludendo finem ulteriorem, Neg. Conſ. præciſe negative non referendo ſe, & operationem ſuam ad Deum tanquam finem cui poſitive ultimum, Conc. Conſ. Licet Deo ſoli ratio finis, & motivi poſitive ultimi conve-

veniat, ideo homo non tenetur quamlibet operationem ſuam formaliter, & in actu ſignato ad Deum referre, ſed ſufficit, ſi actio per ſe ad Deum ſit referibilis, & quodammodo exercite ad illum diſponat.

247 Obj. 4. Attritio ex metu gehennæ non habet motivum ſupernaturale, ſed etiam potuiſſet dari in ſtatu puræ naturæ: ergo non eſt ſupernaturalis. Conf. Etiam ſuppoſita fide, & cognitione ſupernaturali, eſt homini quam maxime naturale, ut ex timore pœnæ æternæ peccata ſua deteſtetur: ergo hæc deteſtatio ad ſummum eſt ſupernaturalis præſuppoſitive, ſicut actiones Lazari miraculoſe a morte reſuſcitati. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ad actum ſupernaturalem ſufficere, quod procedat a gratia, & principio ſupernaturali, docui in tractatu de gratia; talis autem actus in ſtatu puræ naturæ nunquam potuiſſet elici. Hinc ad Conf. Diſt. Ant. naturale eſt homini deteſtari ſua peccata ex timore actu præciſe naturali, ad ſalutem nihil poſitive conducente, Conc. Ant. actu ſupernaturali, & prout oportet ad ſalutem, Neg. Ant. Actiones Lazari non immediate, & phyſice, ſed tantum per accidens a miraculoſa ſuſcitatione dependerunt, ut autem amor ſui ipſius ad ſalutem aliquid conferat, neceſſario præſupponit gratias, & principium ſupernaturale. Certe ſuppoſita fide de bonitate Dei etiam connaturale, ſeu conſentaneum eſt homini Deum amare, & tamen actus charitatis eſt ſupernaturalis.

248 Dices. S. Auguſtinus lib. de natur. & grat. cap. 1 timorem pœnæ a lege terrente incuſſum diſtinguit a gratia per hoc, quod *Timor ille foris naſcatur a tabulis lapideis; gratia vero intus in corde habitet, & ad amorem juſtitiæ alliciat*; & cap. 7 docet: *Juſtitiam legis terrentis eſſe*

rentis eſſe juſtitiam propriam homini, hoc eſt, ſuis viribus comparatam Denique lib. 3 contra Julian. cap. 1 expreſſe negat, *Dari gratiam iis, qui ex timore operantur*. Reſp. S. Doctor vel tantum loquitur de timore ſerviliter ſervili, vel gratiam accipit, prout eſt propria novæ legis, in quantum in lege nova potius ad juſtitiam pertinet, in antiqua vero imperfectiore ad timorem pœnæ ſpectavit. Dum vero legem terrentem diſtinguit a gratia, nomine legis intelligit ſolam externam propoſitionem legis, conjunctam cum cognitione, & affectione ſolum naturali, in quo Pelagiani totam rationem gratiæ conſtituebant. Unde ſolum docet, juſtitiam legis, quæ ex ſola propoſitione legis externa, & cognitione oritur, non eſſe juſtitiam Dei, ſed propriam hominis, neque dari gratiam legis novæ propriam iis, qui ex timore operantur, imo nullam gratiam ſupernaturalem, ſi tantum operentur ex timore ſerviliter ſervili, quo modo etiam textus ſimiles exponendi ſunt.

QUÆSTIO VII.

An attritio ex metu pœnæ concepta poſſit eſſe abſolute efficax, & poſitive excludere omnem voluntatem graviter peccandi?

QUemadmodum facile concedo, dari poſſe me- 249
tum gehennæ tam debilem, ut quamvis conjunctam habeat ſimplicem diſplicentiam peccati, neutiquam tamen ſufficiat ad excludendam voluntatem peccandi, præſertim in iis, qui longa conſuetudine ſceleribus ſuis nimium affixi ſunt, quorum ideo pœnitentiam primum in mortis periculo ſuſceptam merito ſuſpectam habuere SS. Patres: ita ex dictis patet, quod

 attri-

attritio ex metu gehennæ possit excludere voluntatem peccandi mere negative per solam cessationem ab actualibus peccatis, cum hoc etiam fieri possit per somnum, aut vehementem distractionem. Quæstio igitur est de exclusione positiva, quæ fit per affectum contrarium de se cum actuali voluntate peccandi inconjungibilem. Talem affectum ex metu gehennæ dari posse affirmant Bellarm., Suarez, Platel. aliique communissime. Negant autem quidam Galli, & Belgæ cum auctore rei Sacrament.

250 Dicendum. Attritio ex metu gehennæ concepta potest esse absolute efficax, & positive excludere voluntatem graviter peccandi. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ multis in locis vel expresse asserit, vel manifeste supponit, posse hominem ad fugienda, & detestanda peccata moveri ex solo timore malorum, quæ Deus propter illa infligit, vel minatur. Sic Psalm. 111 v. 1 dicitur: *Qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*; Eccles. 1 v. 23: *Timor Domini expellit peccatum*; & cap. 7 v. 40: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Idem docent SS. Patres Gregorius M. lib. 2 in cap. 1 lib. 1 Reg.: *Tunc peccare desinimus, cum superna gratia molliti cordibus futura tormenta formidamus*; Laurentius Justin. tract. de timor. cap. 2: *Qui timor divini judicii noxias cogitationes repellit clava terribili, videlicet memoria æternæ pœnæ*; S. Augustinus lib. 2 de Genes. cap. 28: *Nihil sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio*; & tract. 9 in Joan.: *Cœpit ergo timere diem judicii, timendo corrigit se, vigilat adversus peccata sua.* Conf. Attritio ex metu gehennæ juxta SS. Patres efficaciter potest excludere peccata externa, ut faten-

tentur ipſi Adverſarii : ergo etiam interna, cum voluntas interna peccandi non minus mereatur pœnam æternam, quam peccatum externum.

Probatur 2 auctoritate concilii Tridenti- 251
ni, quod ſeſſ. 14 cap. 4, poſteaquam de contritione in genere dixit : illam *Non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Dein de contritione imperfecta in ſpecie declarat, *Illam attritionem, quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, atque hominem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponere.* Ex quibus verbis patet 1, quod concilium manifeſte ſupponat, attritionem ex metu gehennæ conceptam poſſe voluntatem peccandi excludere, alias aſſignaſſet ſpeciem aliquam contritionis, cui ratio contritionis in genere non convenit, & declaraſſet figmentum aliquod chimæricum eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum. 2. Quod attritio ex metu gehennæ voluntatem peccandi non tantum poſſit excludere ab actu attritionis, ſed etiam ab animo attriti, quia ait, illam eſſe non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, ſed etiam veteris odium, ita ut hominem ad Dei gratiam in Sacramento diſponat. 3. Quod voluntatem peccandi poſſit excludere immediate, & formaliter, alias non eſſet diſpoſitio proxima ad gratiam, neque ulla eſt ratio, quare voluntatem non valeat immediate, & per ſe ipſam determinare ad fugiendum, & deteſtandum peccatum, ſi aliquando admittatur, quod illam valeat determinare ad alium actum diſtinctum formaliter excluſivum voluntatis peccandi.

252 Probatur 3 ratione. Attritio ex metu gehennæ poteſt eſſe tam efficax, ut voluntatem abſolute determinet ad omnia illa media adhibenda, quæ ad evitandam pœnam æternam ſunt neceſſaria; ſicut metus temporalis ſæpe abſolute determinat ad omnia illa adhibenda, quæ ad evitandum tale malum neceſſario requiruntur; atqui inter media ad evitandam pœnam æternam neceſſaria eſt fuga, & deteſtatio cujuslibet peccati gravis: ergo attritio ex metu gehennæ poteſt eſſe tam efficax, ut voluntatem ad fugam, & deteſtationem cujuslibet peccati mortalis abſolute determinet; qui enim efficaciter vult finem, etiam efficaciter vult media, ad illum finem neceſſaria. Conf. ab experientia, qua experimur, etiam ſceleratiſſimos peccatores tunc vel maxime ad tribunal pœnitentiæ concurrere, vitæque prioris deteſtationem, ac melioris propoſitum concipere, quando ferventem de divino judicio audiunt concionem, vel repentinum vident contingere caſum, ex quo ira Dei vindicis eluceſcit.

Objectiones.

253 OBj. 1. Quando concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 videtur docere, quod attritio ex metu gehennæ excludat voluntatem peccandi, tantum loquitur conditionate: *Si voluntatem peccandi excludat:* ergo nihil abſolute declarat. Conf. Concilium de excluſione voluntatis peccandi non aliter loquitur, quam de ſpe veniæ: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ:* ergo ſicut ſpes veniæ non habetur ex metu gehennæ, & ipſa attritione, ſic excluſio voluntatis peccandi tantum aliunde habetur. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. nihil

hil absolute declarat verbis explicitis, Transf. Conf. non ex ipso modo loquendi supponit voluntatem peccandi per attritionem excludi, Neg. Conf. concilium loquitur conditionate solum, ut indicet ad gratiam in Sacramento impetrandam non sufficere quamlibet attritionem imperfectam, & inefficacem, sed requiri omnino seriam, & efficacem. Ad Conf. Neg. Ant. tum quia concilium de ipsa attritione dicit: *Si voluntatem peccandi excludat*, & dein tantum per modum alicujus concomitantis addit: *cum spe veniæ*: tum quia in ipso peccato mortali, quatenus est inductivum pœnæ æternæ, datur motivum proxime, & immediate sufficiens ad illud fugiendum, & detestandum, non item sperandi veniam. Vid. etiam num. 239.

Dices 1. S. Augustinus passim docet, quod illi, qui ex solo timore non peccant, adhuc peccent intus in voluntate, quod velint fieri, quod vetatur, quod non agant ex corde, sed mallent non esse, quod præcipitur. 2. Sæpius asserit, legem non posse perfecte servari sine dilectione justitiæ. 3. Desiderium peccandi non extingui, nisi per dilectionem, quæ ex fide operatur; ergo. Resp. ad 1, S. Doctorem in ejusmodi textibus tantum loqui de timore mundano hominum, aut serviliter servili, vel de simpliciter quidem servili, at remisso, & inefficaci; de efficaci autem plus non vult, quam quod non excludat omnem affectum etiam indeliberatum ad peccatum, ac pro omni casu, etiam quo pœna æterna non esset; alias dolor ex metu gehennæ, secum identificatos, aut conjunctos haberet pravos effectus, adeoque non esset bonus, & utilis, quod damnatum fuisse, ostendi quæst. præced. Ad 2 per amorem justitiæ denotat justitiam cre- 254

atam, qua ſerio attritus vult obſervare totam legem, de qua epiſt. 140 cap. 3 exponit illud: *Juſtitia tua ſicut montes.* Ad 3, per dilectionem Dei non ſolum intelligit charitatem theologicam, ſed etiam amorem concupiſcentiæ. *Hoc eſt*, inquit ſerm. 334, *Deum gratis amare, de Deo Deum ſperare.*

255 Dices 2. S. Ambroſius lib. 7 in Luc. ait; *Qui metu reprimitur, non emendatur*; S. Grego- lib. 1 Moral. cap. 11: *Qui adhuc timore agit, penitus a peccato non receſſit*; S. Bernardus epiſt. 11: *Nec timor, nec amor privatus convertit animam.* Similia habet variis in locis S. Thomas. Reſp. Patres iſtos rurſus intelligendos eſſe de timore mundano, vel ſerviliter ſervili, aut certe plus non velle, quam quod timor ordinarie non excludat peccatum tam perfecte, & conſummate, ut inde converſio ſtabilis ſequatur. Nonnunquam charitatem etiam accipiunt latius pro efficaci propoſito ſervandi legem, vel pro quocunque amore virtutis, quo ſenſu S. Auguſtinus ad Bonif. lib. 2 cap. 9 ait; *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas?* Quodſi verba Patrum in ſenſu ab Adverſariis intento intelligi deberent, omnino probarent, quod attritio ex metu gehennæ nequidem ſit actus honeſtus, & ſupernaturalis. S. Thomas 3 p. q. 85 a. 5 in corp. ipſemet inter alios actus, quibus homo Deo in pœnitentiam cooperatur, numerat *Motum timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur.* Vid. etiam num. 241.

256 Obj. 2. Quod ſit ex ſolo timore, ſit ab invito, & eſt involuntarium ſecundum quid: ergo de peccato dolens ex ſolo metu retinet adhuc affectum conditionatum ad oppoſitum, non minus, ac mercator retinet affectum ad mer-

merces, quas ex metu naufragii in mare projicit. Conf. Attritus ex metu gehennæ eſt ita comparatus, ut non doleret, ſi infernus non eſſet: ergo. Reſp. Diſt. Ant. fit ab invito, & eſt involuntarium ſecundum quid in ſenſu latiore, Tranſ. Ant. in ſenſu ſtricto, Subdiſt. quando actio illa, quæ fit ex metu, apprehenditur ut ſimpliciter damnoſa, neque per ipſum involuntarium incurritur malum, quod timetur, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. In ſenſu proprio illud ſolum fit ab invito, & eſt involuntarium ſecundum quid, quod ſecum habet conjunctum affectum deliberatum ad oppoſitum, ut projectio mercium affectum ad illas retinendas: quod autem ſecum habet affectum ad oppoſitum tantum indeliberatum, proprie non fit ab invito, & tantum eſt involuntarium in ſenſu latiore, neque efficaciæ attritionis ita obſtat, ſicut obſtaret involuntarium ſtricte tale; cum enim per illud gehenna, quæ timetur, potius incurreretur, utique poteſt, & debet ab attritione excludi; at mercator per affectum ad merces non incurrit naufragium, & ideo hic affectus cum projectione conjungi poteſt. Ad Conf. Diſt. Ant. Attritus eſt ita conſtitutus actu, & poſitive, Neg. Ant. mere negative, in quantum ſi infernus non eſſet, non doleret ſaltem ex hoc motivo, Conc. Ant. & Neg. Conſ.

Dices 1. Quandocunque aliquid ſecundum 257
ſe amatum ex ſolo timore mali extrinſeci abjicitur, ſemper retinetur amor ille erga rem ſecundum ſe, ita ut quis vellet tale malum ſibi non eſſe metuendum: ergo attritus ex ſolo metu ſemper retinet amorem erga peccatum, & vellet infernum abeſſe, ferme ſicut, qui abſtinet a vino, ut vitet febrim, adhuc retinet affectum ad vinum, & vellet febrim abeſſe. Conf.

Qui aſſentitur alicui concluſioni propter præmiſſas, eſt ita conſtitutus, ut nollet aſſentiri, ſi præmiſſæ non eſſent: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. niſi abjectio illius amoris ſit neceſſaria ad evitandum malum extrinſecum, quod timetur, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo attritus ad peccatum retinet amorem inefficacem, & indeliberatum, Tranſ. Conſ. efficacem, & deliberatum, Neg. Conſ. Senſus diſtinctionis, & diſparitas ad inſtantiam additam patet ex numero ſuperiore, nempe abjectio amoris ad vinum, non eſt medium neceſſarium ad vitandam febrim, neque febris per hoc incurritur, quod aliquis vellet illam abeſſe. Ad Conf. Diſt. Ant. eſt ita conſtitutus, ut nollet aſſentiri concluſioni per hunc actum, & vi hujus motivi ſcilicet ob has præmiſſas, Conc. Ant. per alium actum, & propter aliud motivum, Subdiſt. eſt ita conſtitutus habitu, & negative, Tranſ. Ant. actu, & poſitive, Neg. Ant. & eodem modo Conſ.

658 Dices 2. Affectus ad peccatum ſecundum ſe, & deteſtatio illius, quatenus eſt inductivum pœnæ æternæ non verſantur circa idem objectum eodem modo conſideratum: ergo non ſunt contrarii, nec ſe invicem excludunt. Conf. Saltem attritus mallet peccare, quam gehennam ſubire, ſicut mallet perdere Sempronium, quam Cajum, qui propter ſolum Cajum Sempronium amat. Reſp. Neg. Ant. cum peccatum ſecundum ſe ſit inductivum pœnæ æternæ, non poteſt voluntas deteſtari peccatum, ut inductivum pœnæ æternæ, niſi illud aliquo modo etiam deteſtetur ſecundum ſe. Unde licet attritio circa peccatum ſecundum ſe, ut eſt offenſa Dei, non verſetur principaliter tanquam circa objectum formale motivum, verſatur tamen circa illud tanquam objectum materiale terminativum deteſta-

teſtationis ; alias nequidem poſſet excludere peccatum externum. Ad Conf. Neg. Ant. Quia etiam excluſio hujus affectus eſt neceſſaria ad evitationem gehennæ ; unde attritus saltem debet abſtrahere, quid in tali hypotheſi facturus eſſet. Porro quamvis affectus perdendi Sempronium non adeo videatur eſſe contrarius illius dilectioni , ſed tantum indicare exceſſum majoris amoris erga Cajum : nihilominus voluntas potius offendendi Deum, quam infernum ſubeundi , eſt abſolute inhoneſtus, & reconciliationi cum Deo ſimpliciter oppoſitus.

Obj. 3. Attritio ex metu pœnæ æternæ pertinet ad virtutem ſpei : ergo non excludit poſitive omnem voluntatem peccandi ; nam ſpes theologica cum peccato mortali conjungi poteſt. Conf. Quia ſpes eſt tantum virtus particularis, ſoli deſperationi oppoſita, ferme ſicut actus fidei, qui ideo non omnem voluntatem graviter peccandi excludit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. rationem additam Diſt. ſpes theologica habitualis poteſt conjungi cum peccato mortali, Conc. ſpes actualis, Subdiſt. cum peccato mortali habituali, Conc. cum actuali, Neg. ſiquidem actus ſpei theologicæ fit perfectus, prout dicit, aut involvit deſiderium abſolute efficax conſequendi beatitudinem. Ad Conf Inter ſpem, & fidem non eſt paritas, cum enim ſpes, prout attritionem perfectam involvit, neceſſario debeat eſſe deſiderium abſolute efficax conſequendi beatitudinem, & evitandi pœnam æternam, neceſſario etiam debet excludere omne peccatum, quod de ſe pœnam æternam induceret : nullam ſimilem oppoſitionem cum quolibet peccato mortali habet actus fidei. 259

260 Dices. Poteſt aliquis ſperare, & efficaciter velle pœnitentiam de peccato, quod nunc committit, ſuo tempore agendam: ergo poteſt efficaciter velle vitare gehennam, quin efficaciter velit vitare omnia peccata mortalia; nam efficax intentio finis non neceſſario determinat ad arripienda media, niſi dum periculum eſt finem amittendi. Conf. Quando finis obtineri poteſt duplici medio, ejus intentio non neceſſario determinat ad eligendum potius hoc, quam illud; atqui pœna inferni poteſt evitari duplici medio nempe vel omiſſione peccati, vel poſtea agendo pœnitentiam: ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo poteſt efficaciter velle evitare gehennam &c. volitione qualicunque, & reſtricta, Conc. Conſ. efficaci, & abſoluta, Neg. Conſ. Fideles vere attriti communiter habent talem voluntatem vitandi infernum, ut efficaciter velint vitare omne id, quod novum periculum incurrendi infernum inducere poteſt, quia ſe volunt ponere in eo ſtatu, in quo ſi repente morerentur, reipſa pœnam æternam evitarent, ad quod determinate neceſſarium eſt, ut omnia peccata mortalia ſtatim vitare velint; hinc ratio addita ſolum probat, quod non quævis attritio ex metu gehennæ neceſſario omnia peccata mortalia excludere debeat. Ad Conf. Diſt. Maj. Intentio finis non neceſſario determinat ad eligendum potius unum medium, quam alterum, niſi unum ſit certius, atque ſecurius, Conc. Maj. ſecus, Subdiſt. ſi finis intendatur tantum quomodocunque, Conc. Maj. ſi intendatur ut obtinendus modo certiore, & ſecuriore, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ.

261 Obj. 4. Ut attritio ſit abſolute efficax, debet excludere voluntatem peccandi omni tempo-

pore, in omni casu, & in quavis hypothesi possibili, sed hoc non facit attritio ex metu gehennæ. 1. In casu, quo non daretur infernus. 2. Si alicui a Deo esset revelata sua prædestinatio, vel peccatum suum non fore puniendum pœna æterna. 3. Si quis habuisset hanc voluntatem: cum infernus sit tam horrendus, ita illum timeo, ut mallem peccare mortaliter quam pati illius pœnas. Resp. Dist. Maj. pro omni casu, & tempore &c. quo attritio efficax existere potest, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. Ut attritio sit absolute efficax: non requiritur, ut pro omni casu, & tempore possit existere, multo minus, ut ejusmodi hypotheses, & comparationes instituantur, sed sufficit, si non possit conjungi cum voluntate peccandi. Jam vero licet in primo, & secundo casu attritio ex metu gehennæ ob defectum motivi elici nequeat, nunquam tamen potest conjungi cum hac, vel simili voluntate: Si infernus non esset, vel si mihi esset revelata mea prædestinatio, aut impunitas, peccarem. Voluntas posita in tertio casu retractari potest, siquis postea de illa sincere doleat ex metu gehennæ, velletque illam non habuisse, nunc vero de eo præscindat, quid faceret, si pœnas inferni pati deberet.

Dices. Si Deus homini ob peccatum præ- 262
cedens graviter præciperet, ut acceptet pœnam æternam, ex metu illius non posset eligere gehennam, alias vellet contradictoria; neque posset elicere attritionem: ergo. Conf. Si quis in statu peccati mortalis constitutus invincibiliter putaret, se ex defectu confessarii non posse effugere infernum, nisi coram tyranno neget fidem, electio peccati esset unicum medium ad evitandum infernum: ergo ab ipso metu inferni ad peccandum deter-

terminaretur. Resp. Transf. Ant. quoad 1mum membrum, Nego quoad 2dum; cur enim talis non posset serio detestari præcedens peccatum, eoquod propter illud nunc infernum pati debeat. Ad Conf. Neg. Ant. Peccatum grave non potest esse medium necessarium ad vitandam gehennam, neque metus inferni, propter quem Deus offenderetur, esset honestus; hinc quod aliquis ex metu inferni possit determinari ad media licita, non sequitur, quod ex eodem motivo etiam possit determinari ad illicita, sed in casu posito homo deberet manere suspensus, donec deposito errore peccatum commissum posset detestari. Imo Gormaz putat, quod talis homo posset eligere infernum, non quidem ex puro metu gehennæ, sed ex metu incurrendi infernum ex novo reatu.

QUÆSTIO VIII.

An attritio ex metu gehennæ sufficiat ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ sine amore Dei benevolo?

263 QUod ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ non sit necessarius amor Dei benevolus super omnia, satis constat ex quæstione 4, & 5, unde hic solum indagandum restat, an saltem necessarius sit amor Dei benevolus imperfectus de se non sufficiens ad justificationem extra Sacramentum. Sicut enim inquit Cardin. Pallavicinus, qui efficaciter amat gemmam, pro ea comparanda dat omnia, quæ hic, & nunc videt esse necessaria ad recuperandam amicitiam Dei, habet quidem amorem Dei benevolum, sed adhuc imperfectum, quia ex hoc nondum sequitur, quod Deum amet prorsus super omnia. Verum hæc sententia ferme singu-

ſingularis eſt, & pauciſſimos habet ſectatores, dum pro ſola attritione ex metu gehennæ ſine amore benevolo etiam imperfecto ſtant auctores innumeri tam antiqui, quam recentiores, adeo, ut Pater Sporer dicat, hanc ſententiam eſſe ferme omnium, Platelius illam eſſe plerorumque præſertim poſt Tridentinum. Longam eorum ſeriem videre potes apud P. Gormaz, qui ſolus plures, quam 160 enumerat.

Dicendum. Attritio concepta ex ſolo me- 264
tu gehennæ, ſi ſpem veniæ adjunctam habeat, ſine omni amore benevolo ſufficit ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ. Prob. hæc concluſio maxima auctoritate nixa 1, argumento negativo, quia neceſſitas doloris perfectioris nullo ſufficienti fundamento probatur. Sane vix capi poteſt, quomodo ex amore Dei benevolo poſſit elici dolor efficax, & incompoſſibilis cum affectu deliberato ad quodcunque peccatum grave, niſi Deus ſimpliciter appretietur ſuper omnia; hinc juxta ipſum Pallavicinum amori benevolo imperfecto debet adjungi metus inferni, ut omnis voluntas peccandi efficaciter excludatur. Conf. Ex communi perſuaſione, & praxi fidelium, qui communiter exiſtimant, ſe rite eſſe diſpoſitos ad abſolutionem ſacramentalem, eamque ſine ſcrupulo petunt, & a confeſſariis accipiunt, ſi vere doleant ex motivo religionis, turpitudinis peccati, gratitudinis erga Deum &c. Si autem ſine amore benevolo ſufficiunt iſtæ attritiones, non eſt, cur non etiam ſufficiat attritio ex metu gehennæ, cum hæc non minus poſſit eſſe actus honeſtus, bonus, ſupernaturalis, efficax, & poſitive excludens voluntatem peccandi.

Pro-

265 Probatur 2. Quando concilium Tridentinum seff. 14 cap. 4 docet, quod attritio sit dispositio proxima ad Sacramentum pœnitentiæ valide, & fructuose suscipiendum, ut num. 222 probavi, expresse nominat attritionem conceptam ex metu gehennæ, quin de amore benevolo ullam faciat mentionem: ergo talis amor non est necessarius; alias concilium de necessitate hujus amoris populum christianum debuisset expresse edocere, cum agatur de materia, Sacramenti summopere necessarii, & ipsum concilium initio ejusdem sessionis promiserit, quod velit tradere exactam, & plenam doctrinam de Sacramento pœnitentiæ, in qua convulsis erroribus veritas catholica perspicua fieret. Neque ex his verbis inferas, concilium tantum voluisse agere contra hæreticos, non vero decidere controversias Catholicorum; nam licet directe, & primario solum intenderit convellere errores hæreticorum, nihilominus secundario multas controversias Catholicorum attigit, præsertim in rebus majoris momenti e. g. de justificatione, sacramentis &c.; hinc post Tridentinum nemo ausus est defendere, ad Sacramentum pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, per se etiam extra Sacramentum justificativam, quamvis hæc sententia ante concilium non paucos patronos habuerit.

266 Dixi. Attritionem ex metu gehennæ sufficere sine amore benevolo; quod enim debeat esse conjuncta cum amore initiali, & virtuali, aut concupiscentiæ non negant patroni nostræ sententiæ; nam 1 ipsa attritio ex metu gehennæ est quædam virtualis, & initialis dilectio Dei, in quantum per se saltem remote disponit ad dilectionem formalem etiam benevolam juxta illud Ecclesiastici 25 v. 16: *Timor Domi-*

ni

ni initium dilectionis ejus. Præterea includit propositum saltem virtuale servandi omnia præcepta, inter quæ præcipuum & finis cæterorum est præceptum diligendi Deum, ad quem omnes virtutes universalem ordinem, & relationem habent. 2. Amor concupiscentiæ est ille, quo desideramus, & amamus Deum, non quidem ut bonum in se, sed ut bonum nobis scilicet ut auxiliatorem, largitorem gratiæ, Redemptorem &c.; jam vero hic amor in omni actu spei theologicæ includitur, spes vero theologica vel ex natura rei, vel ex ordinatione divina debet præcedere omnem justificationem; hinc Tridentinum signate ait: *Attritionem ex metu gehennæ sufficere ad gratiam in Sacramento impetrandam, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ.* Neque facile quis ex metu inferni doleret de peccatis suis, nisi eorum remissionem speraret.

Objectiones.

OBj. 1. Concilium Tridentinum passim docet, sine contritione neminem justificari, & sess. 14 cap. 4 contritionem definit, quod sit dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; atqui nemo dolet nisi ex amore rei amissæ, & propositum non peccandi de cætero necessario includit voluntatem observandi totam legem, præsertim mandatum primum: Diliges Deum tuum; jam vero nemo potest habere firmam voluntatem amandi Deum, nisi actu illum diligat. Conf. Velle esse castum, sobrium est revera esse talem: ergo velle efficaciter Deum diligere, est actu Deum diligere, cum voluntas ad amandum non egeat alia potentia, quam seipsa. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Quando 267

con-

concilium contritionem in genere definit, quod ſit dolor, & deteſtatio cum propoſito, pro elicienda contritione plura aſſignat motiva, & inter hæc etiam metum gehennæ, & pœnarum, ex quo utique homo poteſt firmiter velle ſervare totam legem, & ſuo tempore elicere perfectum Dei amorem, quin ideo jam actu formali, & exercito Deum ſuper omnia diligat. Ad Conſ. Diſt. Ant. Velle eſſe caſtum, ſobrium &c. jam hic, & nunc, eſt eſſe talem, Tranſ. Ant. velle eſſe caſtum, ſobrium ſuo tempore, Neg. Ant. & Conſ. alias qui proponeret Deum amare ſuper omnia in articulo mortis, jam actu formaliter ipſum amaret. Certe licet quis vellet eſſe ſobrius ex motivo obedientiæ, ideo necdum formaliter eliceret actum ex virtute ſobrietatis.

268 Dices 1. Quando Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 docet, quod attritio ex metu gehennæ hominem in Sacramento ad gratiam diſponat, id probat exemplo Ninivitarum, qui ad prædicationem Jonæ timore utiliter percuſſi pœnitentiam egerunt, & miſericordiam Dei conſecuti ſunt: atqui Ninivitæ elicuerunt contritionem ex amore Dei ſuper omnia; alias miſericordiam non fuiſſent conſecuti. Conf. Catechiſmus Tridentini de Sacr. pœnit. tit. contritionis propria vis, de Davide, muliere peccatrice, & Ninivitis expreſſe ait, quod omnes peccatorum veniam impetraverint. Reſp. Neg. Maj. Cum Tridentinum contritionem juſtificativam extra Sacramentum expreſſe diſtinguat a juſtificativa in Sacramento, iſtius vim non probat exemplo Ninivitarum, ſed illud ſolum adducit, ut oſtendat attritionem ex metu eſſe actum utilem, & ſupernaturalem, quia extra Sacramentum remote diſponit ad contritionem perfectam,

vel

vel Ninivitis impetravit remissionem pœnarum temporalium, quas Deus per Jonam fuerat minitatus, cujusmodi mala etiam a peccatoribus per bona opera averti possunt. Neque credibile est, neque Tridentinum affirmat, omnes Ninivitas fuisse justificatos, sed veniam consecutos. Hinc ad Conf. dici potest a catechismo Tridentini per veniam intelligi aliquam remissionem pœnæ, vel to omnes accipi in sensu accomodo pro pluribus.

Dices 2. Decretum Tridentini de attritione teste Pallav. in Hist. hujus concil. lib. 12 cap. 269
12 prius a theologis ad id deputatis ita fuerat formatum: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit hæc sancta synodus, & declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, & per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Cum vero Joannes Æmilianus episcopus Tudetanus opponeret, falsum esse, quod ejusmodi attritio vix aliquando concipi possit sine aliquo dilectionis motu: an vero talis attritio ad constituendum Sacramentum sufficiat, variare Doctorum sententias, hoc decretum a Patribus fuit reformatum, & in eam formam redactum, qua illud exhibui num. 157, & in Tridentino refertur; atqui si concilium

voluiſſet docere noſtram ſententiam, nullam habuiſſet cauſam decretum reformandi, ac multa omittendi, quæ noſtræ ſententiæ favere videbantur.

270 Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Sicut verbum *veriſſimum*, & illa parentheſis: *ut quidam blasphemare non verentur*, in ſecundo decreto non ideo fuerunt omiſſa, quod Patres putaverint illa eſſe falſa; ita etiam propter alias cauſas cætera expuncta fuere. Et 1 quidem omiſſa eſt particula *Solum*, eique ſubſtituta particula *Communiter*, quia inter Theologos dubium fuit, an attritio perfecta ex ſolis illis duobus motivis concipi poſſit, an etiam ex aliis a charitate diſtinctis e. g. ex motivo religionis, gratitudinis &c. 2. verba: *Qui ſervilis timor dicitur*, merito fuere deleta, quia ita ſimpliciter prolata poterant accipi pro timore ſerviliter ſervili, habente annexum interiorem affectum ad peccatum; unde omiſſis reliquis retenta ſunt iſta: *Si voluntatem peccandi excludat*; 3 ob eandem rationem rejecta ſunt hæc: *& dolorem qualemcunque de commiſſis delictis exprimat*, utpote nimis generalia, & convenientia etiam dolori inefficaci. 4. Verba: *Verum etiam ſufficere ad Sacramenti conſtitutionem* mutata ſunt, tum quia non ſatis proprie dicitur partem ſufficere ad conſtituendum totum, tum quia ſynodus noluit explicite præjudicare ſententiæ Scoti, quod eſſentia Sacramenti pœnitentiæ conſiſtat in ſola abſolutione, de qua ſententia teſte ipſo Pallavicino multis fuit diſputatum, ne perſtringeretur.

271 Præterea multa in hac reformatione decreti nobis favent; nam 1 in poſteriore decreto omiſſa ſunt verba: *Cum ſine aliquo dilectionis motu eſſe vix poſſit*, quæ omitti non debuiſ-ſent,

ſent, ſi ſemper adeſſe deberet aliquis amor Dei benevolus. 2. Omiſſa particula *Facilius* nunc ſimpliciter dicitur: *Attritionem ad gratiam diſponere*, & quidem *in Sacramento*, ut indicaretur attritionem efficacem, & ſinceram in Sacramento ſemper, & infallibiliter ad gratiam diſponere. 3. In ſecundo decreto addita eſt illa antitheſis: *Quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad gratiam Dei in Sacramento impetrandam diſponit*, quæ aperte noſtræ ſententiæ patrocinantur. Ex quibus ulterius patet, hac de re in Tridentino ſollicite actum fuiſſe, & antea neutiquam ſenſiſſe omnes Doctores, ad Sacramentum pœnitentiæ ſemper requiri amorem Dei propter ſe, cum primum decretum factum ſit a multis, iisque doctiſſimis viris poſt accuratam diſcuſſionem; quod ſi concilium ſolum voluiſſet docere, dolorem ex metu non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, tot verbis opus non fuiſſet, ſed ſuffeciſſet dicere, quod talis dolor ſit donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus.

Obj. 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 272
7 docet: juſtificationem fieri per charitatem, dum vero cap. 6 deſcribit diſpoſitiones ad juſtificationem in Sacramento requiſitas ad Baptiſmum fructuoſum requirit amorem, quo juſtificandi *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod ac deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Conf. Vox diligere ſimpliciter poſita ſemper denotat amorem Dei ſuper omnia, & in hoc ſenſu conſtanter accipitur a S. Auguſtino: ergo. Reſp. Diſt. Ant. juſtificationem fieri per charitatem habitualem, Conc. Ant. per actualem, Neg. Ant quoad hoc membrum.

In altero Tridentinum ſolum requirit aliquem amorem initialem, vel concupiſcentiæ, quo Deum diligere incipimus tanquam fontem juſtitiæ noſtræ, de qua ſemper in illa ſeſſione loquitur; hinc doctrinam ſuam confirmat iſtis Scripturæ textibus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit*, ad Hebr. 11 v. 6; *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9 v. 2. Imo ibi etiam meminit timoris juſtitiæ, qui utique ad juſtificationem non ſemper eſt neceſſarius, & propoſitis variis motivis tandem concludit: *Propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod.* Vid. num. 225. Ad Conf. Neg. ſuppoſitum, quod vox diligere ponatur ſimpliciter, additur enim: incipiunt. Dein illud 1 Joan. 2 v. 15: *Nolite diligere mundum*, paſſim intelligitur de amore concupiſcentiæ, quam ſæpe per charitatem etiam intelligit S. Auguſtinus, ut oſtendi num. 254.

273 Dices 1. Tridentinum cap. 6 cit. amorem expreſſe diſtinguit a ſpe; ſic enim habet: *Dum ad miſericordiam Dei ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi per Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*: ergo per dilectionem non intelligit amorem concupiſcentiæ. Conf. Patres concilii, ut ex actis conſtat, voluerunt, ut in decreto cap. 6 etiam fiat mentio dilectionis, ne pœnitentia foret infructuoſa, ſi tota eſſet in timore ſine amore juſtitiæ, & dolor tantum propter pœnam &c. Reſp. Diſt. Ant. Amorem diſtinguit a ſpe tanquam actum ab actu, Neg. Ant. tanquam formalitatem a formalitate, Conc. Ant. Neg. Conſ. Cum ſpes ſit deſiderium fiduciale, quo tendimus in Deum tanquam beatitudinem noſtram, duas habet formalitates, nem-

pe fiduciam, & desiderium, seu amorem concupiscentiæ Dei, prima a concilio indicatur per verba: *In spem eriguntur fidentes*; altera per subsequentia: *Eumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Unde Tridentinum hoc modo loquendi solum declarat, utramque hanc formalitatem requiri. Ad Conf. Etsi forte aliqui ex Patribus putaverint requiri amorem benevolentiæ, plerique tamen amore concupiscentiæ contenti erant, ut colligitur ex ratione ab ipsis allegata, neque plus requisivit ipsum concilium in suo decreto, quidquid dicat Pallavicinus, qui licet hoc loco nimis avide, & ferme solum ea refert, quæ suæ sententiæ favent, tamen pro illa vix unum, aut alterum citare potuit.

Dices 2. SS. Patres ad veram pœnitentiam, & remissionem peccatorum passim requirunt amorem Dei, & charitatem, ut videri potest præsertim in S. Augustino, qui lib. de fide, & operibus expresse docet, ad Baptismum requiri charitatem, ideoque rudes de illius necessitate esse catechizandos. Conf. quia omne peccatum grave est contra charitatem, & ideo actus charitatis extra Sacramentum ad remissionem peccati mortalis requiritur. Resp. Dist. Ant. Requirunt amorem Dei, & charitatem ad veram pœnitentiam, & remissionem peccatorum extrasacramentalem, Conc. Ant. ad pœnitentiam, & remissionem in Sacramento, Subdist. amorem Dei, & charitatem aliquam in genere, Conc. Ant. semper perfectam, & consummatam, Neg. Ant. Quod Patres, & præsertim S. Augustinus charitatem sæpe accipiant in sensu latiore, jam ostendi quæst. 7. In lib. de fide & oper. solum docet, quod quilibet homo etiam non baptizatus teneatur sæpius diligere Deum, ideoque etiam hoc præ- 274

ceptum catechumenis proponendum esse Epist. 104 vero ait: pœnitentiæ dolorem per considerationem, & formidinem divini judicii *Christianis confitentibus, atque deprecantibus esse fructuosum, eisque ad correctionem sufficere impetrare veniam &c.* Ad Conf. Ratio cur charitas requiratur ad remissionem extrasacramentalem peccati gravis est, quia extra Sacramentum nulla datur causa, quæ divinam misericordiam moveat ad gratiam sanctificantem gratis concedendam, sed solus actus charitatis illam de congruo meretur.

275 Obj. 3. Ad veram pœnitentiam requiritur, ut quis detestetur peccatum, quatenus est offensa Dei, uti colligitur ex Tridentino sess. 14 cap. 1; atqui qui præcise dolet ex metu gehennæ, & spe beatitudinis, peccatum non detestatur, quatenus est offensa Dei: ergo. Conf. Vera pœnitentia debet esse conversio ad Deum; sed timor non convertit hominem ad Deum, sed potius a Deo avertit: ergo. Resp. Dist. Maj. ut quis detestetur peccatum necessario quatenus est offensa Dei ut boni in se, Neg. Maj. saltem ut boni nobis, & ut vindicis nostrorum criminum, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Qui dolet, quod per peccatum sibi offensum reddiderit Deum vindicem, & remuneratorem, jam detestatur offensam Dei qua talem, secus ac ille, qui de peccato e. g. intemperantiæ præcise dolet propter podagram. Ad Conf. rursus Dist. Maj. Debet esse conversio ad Deum habitualis, Conc. Maj. actualis, Subdist. conversio saltem imperfecta ad Deum tanquam vindicem, & remuneratorem, Conc. Maj. semper perfecta, Neg. Maj. Pœnitens habitualiter ad Deum convertitur per habitum charitatis infusum; conver-

versio autem actualis in Sacramento non debet necessario esse perfecta, alias Sacramentum non haberet illam virtutem specialem, quæ in ipso actu pœnitentis non datur. Neque tamen pœnitens tendit in Deum tanquam in objectum fugæ aut malum in se, sed solum timet Deum tanquam causam mali per accidens, & ex hypotesi peccati commissi, qui timor conversioni ad Deum neutiquam obstat.

Dices. Per attritionem ex metu pœnitens 276
non tendit in Deum tanquam objectum amabile, sed amat potius seipsum, quam Deum: ergo non convertitur ad Deum. Conf. Quando homo graviter peccat, virtualiter contemnit Deum, eumque postponit creaturæ; atqui hic contemptus non retractatur, nisi per amorem Dei super omnia rursus convertatur ad Deum tanquam finem suum ultimum. Resp. Neg. Ant. & Conf. Attritus ex metu gehennæ tendit in Deum, ut amabilem, & bonum saltem sibi ipsi, unde licet aliquo modo ad seipsum convertatur, neutiquam tamen se præfert Deo, sed ad illum virtualiter, & in actu exercito magis convertitur, in quantum offensam Dei efficaciter detestatur, & imposterum vitare proponit. Ad Conf. Trans. Maj. Neg. min. Quia huic contemptui virtuali non solum opponitur voluntas Deum positive præferendi, sed etiam voluntas eundem non postponendi creaturis. Hinc ad aversionem a creaturis imperfectam quidem, attamen veram, & sinceram sufficit, quod fruitioni omnis creaturæ præferat fruitionem Dei, quem hic, & nunc desiderat ut finem ultimum Qui.

QUÆSTIO IX.

An sit licitum, & tutum ad Sacramentum pœnitentiæ accedere cum sola attritione cognita qua tali?

277 ILlustrissimus Petrus Lambertus de Ledrou ex ordine Eremitarum S. Augustini Episcopus Porphyriensis, postquam integro libro probare conatus est, quod ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ requiratur charitas Dei super omnia, tandem ex principiis reflexis sufficientiam attritionis præsertim ex metu gehennæ impugnat, contendens nostram sententiam saltem non posse licite deduci in praxim maxime ab iis, qui agnoscunt, se non nisi attritionem elicuisse, quod hodie plurimum urgent rigidioris sententiæ patroni. Econtra auctores, qui in præcedentibus quæstionibus nobiscum sentiunt, communissime docent, attritionem rite conceptam etiam cognitam ut talem non solum ad valorem, sed etiam ad licitam Sacramenti pœnitentiæ susceptionem in praxi sufficere, quod Gormaz de pœnit. num. 472 dicit esse certum, Cardenas in crisi ad prop. 1, ab Innocentio XI prohibitam indubitabile, Viva in prop. 1, practice certum, Suarez in 3 p. disp. 20 sect. 1 adeo certum, ut non possit absque errore negari.

278 Dicendum. Practice licitum, ac tutum est ad Sacramentum pœnitentiæ accedere cum attritione etiam cognita ut tali. Prob. 1. Ex una parte valor Sacramenti ab existimatione vera vel falsa conferentis vel suscipientis non pendet, sed solum ex voluntate, & institutione Christi, alias etiam extra Sacramentum sufficeret contritio existimata, vel in Sacramento attritio mere naturalis, quam aliquis bona fide exi-

sti-

ſtimaret eſſe ſupernaturalem ; ex altera parte Chriſtus ad valorem Sacramenti tantum requiſivit attritionem, ut hactenus abunde probatum eſt, quæ ſententia in Hiſpania, Germania, Italia, aliisque regionibus paſſim a pœnitentibus, & confeſſariis practicatur, & ſecundum illam juvenes æque, & adulti inſtruuntur, idque ſcientibus Epiſcopis, ac ſummis Pontificibus, qui eandem ſententiam ſæpius ad ſe delatam, non modo non reprobarunt, ſed etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi apoſtolicæ reſervatæ, aliisque pœnis præceperunt, ne quis illam alicujus cenſuræ theologicæ, alteriusve contumeliæ nota taxare audeat : ergo hæc ſententia eſt licita, & tuta in praxi, ut colligitur ex propoſitione 18 damnata ab Alexandro VIII : *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu.*

Probatur 2. Eſt prorſus incredibile, imo 279
impoſſibile, quod ſententia aſſerens, attritionem ex metu gehennæ (idem eſt de attritione ex aliis motivis concepta) ſufficere ad valorem, fructum, & licentiam Sacramenti, ſit falſa ; ergo practice tutum eſt illam ſequi, quia tali modo circa licitum illius uſum non datur prudens dubium, & juxta omnes in uſu, perceptione, & adminiſtratione Sacramentorum ſententiam moraliter certam ſequi licet. Ant. Prob. Hæc ſententia ab innumeris auctoribus præſertim a concilio Tridentino usque ad noſtra tempora in facie Eccleſiæ docetur non tantum tanquam ſpeculative probabilior, ſed etiam ut tuta, ac licita in praxi ; eſt inſuper omnino conformis doctrinæ

concilii Tridentini, prout illam exponunt tam Doctores privati, quam concilia particularia, & catechismi jussu Episcoporum, Cardinalium, ac Gregorii XV antea Cardinalis editi, ut videre est apud P. Gormaz de pœnit. num. 446, quin ab Adversariis quidquam in contrarium afferatur, quod non facile solvi valeat; atqui est prorsus incredibile, imo impossibile, quod aliqua sententia, ex qua sequerentur plurimæ confessiones invalidæ, & jactura plurimarum animarum, tanto tempore ab Ecclesia in praxi permittatur, & quidem tanquam probata ab ipso concilio generali, cum utique Christus, qui Ecclesiæ suæ infallibilem Spiritus sancti assistentiam promisit, eandem illuminasset, ne in re tam gravi perniciosum permitteret errorem.

Objectiones.

280 OBj. 1. Sententia afferens sufficientiam attritionis ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ non est certa: ergo non licet illam sequi in praxi, ut patet ex propositione 1 damnata ab Innocentio XI: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore &c.* Conf. Quia alias Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, & pœnitens æternæ damnationis. Resp. Dist. Ant. sententia afferens ad valorem &c. non est certa certitudine authentica, & publica, Conc. Ant. certitudine practica, & privata, Neg. Ant. Licet nostra sententia non sit ab Ecclesia definita, itaque certa, ut oppositum nequeat sine censura defendi, nititur nihilominus talibus fundamentis, quæ ab Adversariis nunquam satis solvuntur, ut adeo accedente praxi, & tacita

appro-

approbatione Ecclesiæ de ipsius veritate nullum remaneat prudens dubium; jam vero hanc certitudinem privatam sufficere ad praxim colligitur ex eo, quia propositio damnata tantum loquitur de opinione probabili. Ad Conf. nego suppositum, quod hoc periculum sit satis probabile, & propinquum, periculum autem remotum, de quo prudenter non possumus timere, non tenemur vitare, præsertim si exponeremur plurimis scrupulis, & gravibus difficultatibus.

Dices 1. Sententia ad valorem, & fru- 281
ctum Sacramenti requirens amorem benevolum non est improbabilis; nititur enim fundamentis non statim contemnendis, neque respondet ad nostra fundamenta omnino incongrue: ergo nostra sententia neque practice est moraliter certa. Conf. Quia sententia nobis opposita saltem est tutior, & ab Ecclesia non damnata. Resp. Dist. Ant. sententia requirens amorem benevolum non est improbabilis omnino, ut nequidem habeat rationes quasdam apparentes, ob quas ab aliis bona fide defendi possit, Conc. Ant. non est improbabilis in se, & ita, ut certitudinem practicam nostræ sententiæ excludat, Neg. Ant, & Conf. præsertim si rationes nostræ spectentur ut firmatæ communi fidelium praxi, & tacita Ecclesiæ approbatione. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Alias neque liceret sequi sententiam Adversariorum, cum non desint Auctores, qui ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ plus requirunt. Sic Ludolphus, & Raymundus petunt dolorem ex motivo omnium virtutum, quibus peccata commissa opponuntur. Canus, & Richardus tot detestationes, quot sunt patrata peccata. Henriquez, & Ruardus dolorem ex moti-

motivo virtutis ſpecialis pœnitentiæ, quæ omnes ſententiæ eſſent tutiores, & ab Eccleſia nondum ſunt authentice proſcriptæ.

282 Dices 2. Eccleſia multas tolerat ſententias, quin ideo illas approbet: ergo ex auctoritate Eccleſiæ noſtræ ſententiæ nulla accedit certitudo. Conf. Dicere, quod Eccleſia noſtram ſententiam, ſi eſſet falſa, debuiſſet reprobare, eſt eidem velle præſcribere leges. Reſp. Diſt. Ant. Eccleſia tolerat multas ſententias, quæ vel non ſunt ita pernicioſæ, ſicut eſſet noſtra, niſi eſſet vera, vel ſaltem non ita in praxi receptæ, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ. cum ſententia noſtra immediate verſetur circa valorem Sacramenti, & quidem neceſſitate medii, ad ſalutem neceſſarii, utique Eccleſiæ cura, & vigilantia in avertendis animarum periculis, & legitima Sacramentorum adminiſtratione procuranda exigeret, ut illam, niſi ſufficienter eſſet certa, reprobaret. At licet apud Cenſores propoſitionum ab Innocentio XI damnatarum in terminis propriis actum fuerit de ſufficientia attritionis, ſententia noſtra ex conſenſu omnium manſit immunis, ut Martinus Eſparza, qui propoſitionum examini interfuit, in quadam epiſtola, Roma in Belgium anno 1680 data teſtatur. Ad Conf. Neg. Ant. ſed hoc dicendo vel maxime commendatur cura, & vigilantia Eccleſiæ, ipſiusque Dei eidem aſſiſtentis charitas, ac providentia.

283 Obj. 2. Quod amor Dei benevolus ſit neceſſarius ad Sacramentum pœnitentiæ, docent plurimi ac graviſſimi Auctores tam ante, quam poſt concilium Tridentinum, ut oſtendit Ledrou in ſuo opere de contritione, & attritione: ergo non poteſt dici, quod hæc ſenten-

tia

tia tantum ſit tenuiter probabilis. Reſp. Neg. Ant. Præter aliquos Gallos, & Belgas pauciſſimi ex iis, quos Ledrou enumerat, clare illius ſententiam defendunt. Ex cæteris aliqui 1 potius favent noſtræ ſententiæ, uti S. Carolus Borromæus, Suarez, & Scotiſtæ. 2. Alii ſolum loquuntur de juſtificatione extra Sacramentum, aut de eo, quod eſt conſultius, atque perfectius. 3. Alii ſolum requirunt amorem quemdam initialem, aut concupiſcentiæ. 4. Plurimi plus non volunt, quam quod pœnitens peccata debeat deteſtari prout ſunt offenſa Dei. 5. Qui ante Tridentinum ſcripſerunt, nituntur falſo ſuppoſito, quod peccata a Sacerdote proprie non remittantur, ſed tantum remiſſa declarentur. 6. Ex Belgis, & Gallis, qui poſt Tridentinum ſcripſere, non pauci nimium favent Bajo, & Janſenio, & ideo timorem omnem damnant, vel certe divini amoris neceſſitatem nimis attollunt. Meliorem, ac prælongum catalogum Doctorum nobiſcum ſentientium videre eſt apud Gormaz in tract. de pœnit. Romæ edito, in quo, ut plurimum affert formalia verba non Doctorum duntaxat ſingularium, ſed etiam conciliorum particularium, catechiſmorum &c.

Dices. Ipſe Benedictus XIV videtur dubitare de ſufficientia attritionis, & potius inclinare in ſententiam requirentem aliquem amorem benevolum, addit, quod doctiores & ſapientiores noſtræ ſententiæ patroni fuerint meticuloſi, & aliqui vix auſi dicere, noſtram ſententiam eſſe practice tutam. Conf. Fideles ante confeſſionem ordinarie eliciunt amorem Dei, nec praxis noſtræ ſententiæ viget in Gallia, ut colligitur ex decreto cleri Gallicani anno 1700 edito, ubi dicitur: *Neque pu-* 284

putet in utroque Sacramento (baptiſmi, & pœnitentiæ) *ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei, & ſpei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Reſp. Licet Papa adducat varias opiniones Auctorum, & ſententiam eorum, qui in praxi commendant aliquem amorem Dei, laudare videatur, reipſa tamen nullam ſententiam poſitive amplectitur, nec obligat confeſſarios, ut in praxi a pœnitentibus amorem Dei benevolum exigant. Quando autem ait, quosdam fuiſſe meticuloſos, loquitur de illis, qui ſtatim poſt Tridentinum ſcripſerunt; cæteros ipſemet fatetur ob ſibi conſentientium auctoritatem factos eſſe animoſiores. Ad Conf. Neg. Ant. quod maxime de amore Dei ſuper omnia gratis aſſeritur, neque a pœnitentibus, neque a confeſſariis creditur eſſe neceſſarium. Quodſi praxis noſtræ ſententiæ in Gallia non itá univerſaliter vigeat, ad illius certitudinem ſufficit praxis Hiſpaniæ, Italiæ, pluriumque aliarum regionum. Imo Tournelius, Iſambertus, aliique Galli ab ipſis citati aperte nobiscum neceſſitatem amoris negant.

285 Obj. 3. Innocentius XI decreto anno 1679 edito in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ne ſententiis, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, cenſura, nota, vel convicium inferatur. Idipſum Alexander VII anno 1667 nominatim ſtatuit circa ſententiam neceſſitatem amoris benevoli in attritione ex metu gehennæ ſive negantem, ſive aſſerentem: ergo ſententiam aſſerentem non licet vocare improbabilem, vel tantum tenuiter probabilem. Conf. Alexander VII in eodem decreto dicit: *Donec ab hac ſede aliquid fuerit definitum:* ergo pro nobis nihil definitum eſt in Tridentino. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Impri-

primis in decreto Alexandri tantum ſermo eſt de dilectione aliquali: dein ſententiam aliquam dicere improbabilem, ſeu tenuiter probabilem non eſt cenſura, ut notant Cardenas, & Viva loc. cit., atque Lugo diſp. 20 de Fide. Denique Pontifex per hoc ſuum decretum ſententiæ affirmanti neceſſitatem dilectionis nullum voluit addere robur, ſed tantum compeſcere Scholaſticorum diſſidia, & convicia. Quamquam autem hanc ſententiam in ſuo valore reliquerit, cum illius uſus nemini ſit noxius, tamen ipſemet ſententiam negantem vocat communiorem. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. In Tridentino nihil eſt definitum per expreſſum canonem, Conc. Conſ. neque per diſcurſum theologicum noſtra ſententia ex illo poteſt inferri, Neg. Conſ.

Dices. Si noſtra ſententia eſſet tuta in praxi, liceret eam ſequi in articulo mortis; hoc 286
non poteſt admitti, quia quivis lege charitatis erga ſeipſum tenetur procurare ſalutem ſuam modo meliore. Conf. Suarius in 3 part. diſp. 15 ſect. 4 cum quibusdam antiquis expreſſe docet, in articulo mortis debere elici actum charitatis: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. cum ratione addita. Nam charitas erga ſeipſum etiam in articulo mortis ſolum obligat, ut adhibeantur media ſalutis moraliter certa, alias teneretur homo tunc elicere contritionem ſumme intenſam, diu durantem, ſe formaliter, & explicite extendentem ad omnia, & ſingula peccata mortalia diſtincte cognita &c. Ad Conf. Diſt. Ant. in articulo mortis debere elici actum charitatis ex præcepto pœnitentiæ, Neg. Ant. ex præcepto dilectionis, Conc. Ant. Suarius a Ledrou, aliisque Adverſariis male citatur, quaſi ex mente propria aſſerat, quæ affert per mo-

modum objectionis, quam dein solvit dicendo, etiam moribundum propter sententiam practice certam non teneri ad eliciendam contritionem perfectam ratione Sacramenti, sed ex præcepto dilectionis Dei, quod præceptum si invincibiliter ignoret, & bona fide cum sola attritione confiteatur, sacramentum erit validum, & fructuosum; Si autem huic præcepto scienter non satisfaciat, eoipso non habebit attritionem requisitam.

287 Quæres 1. An ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiat attritio concepta ex solo metu pœnarum æternarum, vel etiam temporalium, ut a Deo infligendarum? Resp. cum Suario, Lessio, Lugone &c. affirmative; nam quia Deus inspector cordis est, etiam attritio ex metu solius pœnæ sensus potest excludere voluntatem peccandi cum aliqua relatione ad Deum, quem attritus tanquam vindicem metuit, ideoque peccata sua detestatur, quatenus sunt offensa Dei. Hinc Tridentinum sess. 14 cap. 4 ait: attritionem ex gehennæ, & pœnarum metu concipi, ubi per gehennam probabiliter intelligit pœnam damni, per pœnas autem afflictiones temporales a Deo vindice irrogandas, quod confirmatur exemplo Ninivitarum, quod ibidem concilium adducit. Interim ejusmodi attritio debet esse conjuncta cum spe veniæ, & aliquo amore Dei initiali, aut concupiscentiæ, ut ex dictis colligitur. Neque hæc sententia videtur adeo certa, ut illam tuto sequi liceat in praxi quapropter catechistæ communiter docent, dolorem imperfectum esse, quia Deum perdidimus, & infernum meruimus.

288 Quæres 2. An ad Sacramentum pœnitentiæ etiam sufficiat attritio existimata, vel concepta ex metu pœnarum temporalium ab homine

mine infligendarum? Resp. cum communi ad utrumque membrum negative. Nam 1 attritio præcise existimata non est vera attritio, qualis a concilio Tridentino tanquam pars essentialis ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur. Neque existimatio falsa illi veræ contritionis vim tribuere potest, alias pari jure posset dici, quod extra Sacramentum justificet existimata contritio, quod ad valorem Baptismi sufficiat aqua existimata, ad remissionem peccatorum absolutio existimata &c. 2. Dolor ex metu pœnarum ab homine infligendarum non excludit voluntatem peccandi peccatis saltem internis, quæ humanis judiciis sunt incognita. Præterea regulariter est tantum naturalis; atqui attritio ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiens debet esse supernaturalis, ut jam probavi num. 158, & ratio ulterior est, quia attritio, ut sit pars Sacramenti, debet pœnitentem ad remissionem peccatorum disponere; actus vero mere naturales peccatorem ad justificationem, & gratiam supernaturalem non disponunt.

QUÆSTIO X.

An ad validam, & fructuosam confessionem peccatorum mortalium requiratur dolor universalis?

QUæstionem hanc aliqui ita proponere solent: 289
An Sacramentum pœnitentiæ ratione doloris possit esse validum, & informe, seu infructuosum, ferme sicut alia Sacramenta, quando valide quidem, sed cum obice gratiæ sanctificantis recipiuntur? Negant id de Sacramento pœnitentiæ Scotistæ cum Doctore subtili, Gabriel, Joan. Medina, Vasquez, Layman. &c. Affirmant Thomistæ, Suarez, Va-

lentia, Lugo, Tanner pro caſu per accidens, quo aliquis poſt commiſſum peccatum e. g. furti, & perjurii confiteretur, ac doleret de ſolo furto ex ſpeciali motivo injuſtitiæ, eoquod de perjurio inculpabiliter non cogitaret, vel neſciret, illud eſſe peccatum grave. Item ſi adultus poſt commiſſa peccata gravia ſine dolore ſuſcepiſſet Baptiſmum, & poſtea inculpabiliter exiſtimaret, de illis peccatis nullum amplius dolorem requiri, adeoque confiteretur peccatum poſt Baptiſmum commiſſum dolens ex ſola ſpeciali turpitudine, quæ reperitur in peccato hominis chriſtiani. Utraque ſententia eſt valde probabilis, & pro ſe allegat S. Thomam, cujus tamen auctoritatem utpote dubiam in medio relinquo.

290 Dicendum 1. Non ſolum ad fructuoſam, ſed etiam ad validam confeſſionem peccatorum mortalium per ſe loquendo requiritur dolor univerſalis, ſaltem implicite, & virtualiter ſe extendens ad omnia peccata mortalia aliquando commiſſa, & necdum expiata. Ita defacto communiſſima. Prob. 1 pars, quia in Sacramento pœnitentiæ nullum peccatum remittitur ſine efficaci dolore, neque in hac providentia unum mortale ſine altero. Hinc Tridentinum, poſtquam ſeſſ. 13 cap. 3 dixit: contritionem eſſe quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, cap. 4 addit, hunc motum contritionis ad impetrandam veniam peccatorum ſemper fuiſſe neceſſarium, & veteris vitæ odium continere juxta illud Ezech. 18 v. 31: *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis.* Prob. 2 pars, quia ſciente, & culpabiliter omittens dolorem de peccato mortali nondum remiſſo, Sacramentum pœnitentiæ fruſtrat ſuo effectu, & non eſt vere pœnitens, eoquod illius dolor voluntatem

tem peccandi non excludat: imo talis actualiter peccat, unde neque habet dolorem neque propositum ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requisitum. Hinc communis sensus fidelium judicat, ejusmodi confessiones repeti debere.

Dicendum 2. Per accidens tamen ad confessionem peccatorum mortalium potest sufficere dolor particularis, adeoque Sacramentum pœnitentiæ esse validum, & informe. Prob. 1, quia non habetur sufficiens fundamentum asserendi, quod dolor universalis ita essentialiter ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiratur, ut qui bona fide, & inculpabiliter cum dolore tantum particulari confessus est, hanc suam confessionem iterum teneatur repetere. Certe concilium Tridentinum, dum sess. 14 cap. 4 declarat, qualis contritio ad essentiam, & valorem Sacramenti requiratur, solum ait, illam esse *Animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Addit etiam sufficere contritionem imperfectam, *Quæ ex turpitudinis peccati consideratione suscipitur*; atqui hæc non raro concipitur ex consideratione cujusdam turpitudinis specialis. Conf. Tridentinum sess. 6 cap. 14 docet, pœnitentiam christiani hominis continere detestationem, & confessionem peccatorum post Baptismum commissorum: ergo pro parte essentiali solum videtur requirere dolorem de peccatis post Baptismum commissis, ad quæ confitenda hic, & nunc Christianus tenetur. 291

Probatur 2. S aliquis in casibus supra relatis inculpabiliter confitetur, ac dolet de solo furto, aut peccatis post Baptismum commissis, adsunt omnes partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ, nempe confessio, absolutio, & 292

propofitum, ut ponitur, neque deeft dolor requifitus; nam 1 dolor ifte fufficeret, fi abeffet perjurium, aut peccata ante Baptifmum commiffa; per hæc autem non immutatur effentia Sacramenti, fed quia per illud non poffunt directe, & per fe remitti, dolor de iftis peccatis refpectu effentiæ Sacramenti fe haberet mere per accidens; quippe 2, ut dolor de perjurio, aut peccatis ante Baptifmum commiffis effet pars Sacramenti, deberet effe fenfibilis; atqui hic dolor non fit fenfibilis per confeffionem, quia etfi adeffet, confeffionem non imperaret: neque fieret fenfibilis per propofitum, quia hoc fe tantum extendit ad peccata futura, neque per abfolutionem, quia hæc directe tantum fertur in peccata expofita: denique neque fieret fenfibilis per hoc, quod confeffio externa ex parte pœnitentis fignificet voluntatem ponendi omnia ad gratiam facramentalem impetrandam neceffaria; hæc enim voluntas dolorem de perjurio, & peccatis ante Baptifmum commiffis tantum manifeftat conditionate, fi pœnitens fciret, hunc dolorem effe neceffarium, quod cum hic, & nunc non fciat, imo neget, hæc conditio non purificatur. Conf. Nec peccata, nec confeffio peccatorum ante Baptifmum commifforum funt materia Sacramenti pœnitentiæ: ergo etiam dolor de illis non eft pars Sacramenti, fed tantum aliqua difpofitio, requifita ad removendum obicem gratiæ per Sacramentum impetrandæ.

Objectiones.

293 OBj. 1. Neque ex Scriptura, neque ex Patribus habetur fufficiens fundamentum, quod ad effentiam Sacramenti pœnitentiæ unquam fufficiat dolor particularis: ergo id non fa-

ſatis probamus, præſertim quia plus aſſerimus, quam Adverſarii, plus autem aſſerenti incumbit poſitiva probatio. Conf. Scriptura, & Patres nullibi faciunt diſcrimen inter dolorem requiſitum ad valorem, & fructum Sacramenti; ergo. Reſp. Diſt. Ant. neque ex Scriptura, neque ex Patribus habetur ſuffic ens fundamentum directe, & immediate, Conc. Ant. indirecte, & per diſcurſum theologicum, Neg. Ant. Quamvis Scriptura, & Patres ſæpe tantum loquantur de dolore per ſe requiſito, quia tamen ordinarie ſolum requirunt, ut dolor ad eſſentiam Sacramenti requiſitus ſit efficax, ſupernaturalis, ſenſibilis, & voluntatem peccandi excludat, quin ullibi aſſerant hunc dolorem ſemper debere eſſe univerſalem, argumentum noſtrum non eſt mere negativum, ſed potius Adverſarii debent poſitive oſtendere, quod detur obligatio iterum confitendi peccata, quæ bona fide cum dolore particulari expoſita fuerant. Ad Conf. Neg. Ant. Dum enim Scriptura, & Patres pro parte Sacramenti requirunt dolorem ſenſibilem inter dolorem ad fructum, & valorem Sacramenti requiſitum implicite ſatis diſtinguunt.

Dices. Partes Sacramentorum ſemper ſunt 294
eædem: ergo idem dolor, qui eſt pars eſſentialis Sacramenti fructuoſi, etiam requiritur ad Sacramentum validum. Sic eadem aqua eſt pars eſſentialis Baptiſmi fructuoſi, & validi. Conf. Qui ad valorem Sacramenti ſufficienter eſt diſpoſitus, habet jus petendi abſolutionem: ergo debet etiam eſſe diſpoſitus ad fructum; Sacerdos enim non vult abſolvere, & Sacramentum conficere, niſi conferendo gratiam. Reſp. Diſt. Ant. Partes eſſentiales ſemper ſunt eædem quoad ſubſtantiam, & effica-

ciam, Conc. Ant. quoad extenſionem, Neg. Ant. & Conſ. Quod in Sacramento pœnitentiæ dolor non ſemper æqualiter debeat eſſe extenſus, fatentur ipſi Adverſarii, qui enim commiſit tantum unum mortale e. g. furtum, valide, & fructuoſe confitetur, licet tantum habeat dolorem particularem. Simili modo valet Baptiſmus ſive per unam, ſive per trinam immerſionem conferatur, quod autem ſola aqua ſit materia Baptiſmi validi, & fructuoſi, inde eſt, quia reliquæ diſpoſitiones, quæ in adultis ad fructum requiruntur, Baptiſmum nunquam intrinſece conſtituunt. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. niſi aliunde detur occultus obex, qui fructum Sacramenti impediat, Conc. Conſ. ſecus, Neg. Conſ. Sacerdos, licet nec vellet, nec poſſet abſolvere, quem ſciret indiſpoſitum, ſi tamen id ignorat, non debet habere intentionem abſolvendi ſolos reipſa diſpoſitos, ut patet in adminiſtratione Baptiſmi, & reliquorum Sacramentorum.

295 Obj. 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 3, de actibus pœnitentis expreſſe docet, eos hac ratione partes pœnitentiæ dici, *Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* Dein cap. 4 addit, contritionem, quam prius quaſi materiam hujus Sacramenti vocaverat, *Ad gratiam in Sacramento impetrandam diſponere*, & quidem proxime, ut ex dictis conſtat. Denique capite 5 ait: *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum in eadem confeſſione incluſa eſſe:* ergo juxta Tridentinum ad eſſentiam Sacramenti requiritur dolor univerſalis; hic enim ſolus ad remiſſionem peccatorum proxime diſponit, & ſuf-

ſufficit, neque alia ratione quam doloris univer alis peccata inculpabiliter omiſſa intelliguntur in confeſſione incluſa. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ requiritur dolor univerſalis per ſe, Conc. Conſ. ſemper etiam per accidens, Subdiſt. ad eſſentiam Sacramenti fructuoſi, & integraliter ſpectati, Tranſ. Conſ. præciſe validi, Neg. Conſ. Tridentinum in iſtis locis explicat modum ordinarium, quo per Sacramentum pœnitentiæ juſtificatio procurari debet, ad quem utique per ſe loquendo requiritur dolor ſe extendens ad omnia mortalia nondum remiſſa, ex quo neutiquam ſequitur, quod idem dolor in omni caſu ſit pars eſſentialis Sacramenti validi, cum ſæpe non ſit ſenſibilis. Quando igitur peccata ratione doloris in confeſſione incluſa dicuntur, ſolum intelligendum eſt, quod dolor univerſalis removeat obicem, ut cum illis, quæ expoſita ſunt, poſſint remitti indirecte. Imo Tridentinum cap. 5 expreſſe loquitur de illis peccatis, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, utique non ſine dolore, & accuſatione occulta.

Dices 1. Quando concilium cit. cap. 4 296
deſcribit contritionem, ait illam *Non ſolum eſſe ceſſationem a peccato, & novæ vitæ propoſitum, ſed etiam veteris odium continere:* ergo contritio, quæ eſt pars Sacramenti, debet eſſe odium omnium peccatorum prius commiſſorum ſecundum illud Ezechielis 18 v. 31: *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis.* Conf. Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 14 eundem dolorem requirit tanquam partem pœnitentiæ, quem cap. 6 requiſivit tanquam neceſſariam diſpoſitionem ad fructum

Baptiſmi; atqui ad fructum Baptiſmi neceſſario requiritur dolor univerſalis: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Tridentinum his locis iterum clare loquitur de dolore requiſito ad fructum, neque ex illis plus probatur, quam quod ille dolor ſit pars eſſentialis Sacramenti, qui requiritur per ſe, & directe diſponere poteſt ad remittenda illa peccata, quæ vi abſolutionis directe poſſunt remitti. Ad textum ex Scriptura additum eadem eſt reſponſio, vel ſi illum etiam in ordine ad valorem Sacramenti intelligere velis, dic ſermonem eſſe de iis iniquitatibus, quæ memoriæ occurrunt, & quarum dolor poteſt fieri ſenſibilis. Ad Conſ. Neg. Maj. Tridentinum cap. 14 docet quidem, ad pœnitentiam requiri dolorem, at nullo verbo indicat, quod dolor, prout eſt pars Sacramenti validi, debeat eſſe talis, qualis requiritur in Baptiſmo ad fructum Sacramenti.

297 Dices 2. Si Tridentinum in locis allatis non loquitur de contritione eſſentialiter ad valorem Sacramenti requiſita, non amplius poterit probari, quod ullus dolor ſit illius pars eſſentialis, & pari jure poterit dici, dolorem efficacem, & ſupernaturalem requiri tantum per ſe loquendo, & ad fructum Sacramenti; ergo. Conſ. Ad Sacramentum validum neceſſario requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludit; atqui hoc non facit dolor particularis: ergo. Reſp. Neg. Ant. Tridentinum docet, Sacramentum pœnitentiæ eſſe compoſitum morale, in quo contritio, & confeſſio ſe habet per modum materiæ; materia autem in omni compoſito eſt pars eſſentialis; ſicut igitur ad valorem hujus Sacramenti eſſentialiter requiritur aliqua confeſſio, ſic etiam aliqua contritio; hanc vero efficacem, & ſupernaturalem eſſe debere, ſatis patet ex eo, quia juxta

xta Tridentinum debet posse disponere ad remissionem saltem illorum peccatorum, quæ vi absolutionis directe remitti possunt. Ad Conf. Dist. Maj. requiritur dolor, qui excludat voluntatem peccandi vel immediate per se, vel mediante proposito, Conc. Maj. semper immediate per se, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Modo dolor particularis sit conjunctus cum proposito universali de cætero non peccandi, v. g. ob periculum, & turpitudinem relapsus, omnis voluntas peccandi excluditur: sicut etiam fieri potest propter illam turpitudinem specialem, ob quam aliquis solum dolet de peccatis post Baptismum commissis.

Obj. 3. Qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, per ipsam confessionem significat, quod habeat seriam voluntatem se reconciliandi cum Deo: ergo satis manifestat, quod doleat de omnibus peccatis, etiam invincibiliter ignoratis, consequenter dolor universalis satis sit sensibilis, modo exponantur peccata, quæ memoriæ occurrunt. Conf. Qui vult finem, vult media unice necessaria ad finem: ergo qui vult reconciliari cum Deo, virtualiter vult quodlibet mortale sibi remitti. Resp. Dist. Ant. quod habeat seriam voluntatem se reconciliandi per remissionem peccatorum, quæ se commisisse cognoscit, Conc. Ant. etiam aliorum, Neg. Ant. Qui nescit se commisisse perjurium, imo invincibiliter putat, quod illud non commiserit, non intendit per confessionem manifestare dolorem de perjurio, & licet hoc intenderet, id reipsa non faceret per confessionem externam, utpote quæ prorsus esset eadem, etiamsi perjurium nunquam fuisset commissum; hinc peccata invincibili- 298

ter ignorata tantum indirecte remittuntur. Ad Conf. Dist. Ant. vult media, quæ agnoscit ad finem necessaria esse, Conc. Ant. quæ judicat non esse necessaria, Subdist. vult illa conditionate, Transf. Ant. absolute, Neg. Ant. & Conf. Qui judicat, se præter furtum nihil perpetrasse, dolorem de perjurio ad summum vellet manifestare conditionate, si sciret hic & nunc id fieri debere, ac posse.

Dices 1. Ipsa voluntas efficax se reconci-
299 liandi cum Deo est virtualis dolor de omni peccato gravi; quodlibet enim huic reconciliationi opponitur: ergo. Conf. Amor efficax boni continet detestationem mali contrarii, ut patet in actu charitatis: ergo amor efficax reconciliationis cum Deo continet detestationem cujuslibet peccati gravis. Resp. Neg. Ant. Quamvis voluntas efficax se reconciliandi cum Deo esset virtualis voluntas applicandi omnia media ad hunc finem necessaria, nondum tamen foret ipsa applicatio mediorum, alias qui efficaciter vellet post horam confiteri, & se cum Deo reconciliare, jam actu doleret, quod falsum. Hinc ad Conf. Dist. Ant. continet detestationem mali contrarii per modum imperii, & causæ, Transf. Ant. formaliter, aut æquivalenter, Neg. Ant. Qui per actum spei desiderat beatitudinem, non ideo actu virtualiter, aut formaliter detestatur sua peccata huic bono contraria, nec raro fit, ut aliquis ad impetrandam veniam peccatorum confiteatur, quin sit sufficienter dispositus, eoquod parum curet de dolore. Aliud est de charitate perfecta, vi cujus homo actu præfert Deum omnibus aliis rebus, & vellet potius jacturam omnium, quam Deo displicere, ob quam causam talis actus non tantum est virtualis volitio

litio doloris, ſed actualem dolorem virtualiter in ſe continet.

Dices 2. Saltem ad valorem Sacramenti 300
pœnitentiæ ſemper requiritur propoſitum univerſale cavendi omnia mortalia; atqui tale propoſitum eſt ſufficiens dolor de omni peccato. Sicut enim non poteſt dari efficax odium peccati præteriti, quin ſit implicitum propoſitum vitandi ex eodem motivo futurum, ſic non poteſt dari propoſitum efficax vitandi futurum, quin ſub eodem motivo ſit odium implicitum præteriti. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. cum ratione addita. Imprimis ſi efficax odium peccati præteriti tantum ex motivo particulari elicitur, nequidem virtualiter continet propoſitum univerſale. Dein licet aliquis ex metu gehennæ velit vitare peccata futura, ideo non ſtatim deteſtatur præterita, ſi hæc ipſi ſpecialiter fuerint utilia vel delectabilia, idque multo minus ſit, ſi propoſitum univerſale tantum concipiat ex motivo ſpeciali e. g. relapſus: econtra ut odium peccati ſit univerſale, & efficax, debet excludere omnem voluntatem peccandi etiam impoſterum. Cæterum quod propoſitum univerſale ad valorem Sacramenti ſemper requiratur, inferius probabitur, & communiter tam Confeſſariis, quam pœnitentibus notum eſt, unde per confeſſionem ſatis manifeſtatur, modo pœnitens non dicat ſe illo carere: an autem ſemper requiratur dolor univerſalis, docti controvertunt, imo certum eſt, quandoque particularem ſufficere, ut adeo Sacerdos neutiquam poſſet judicare, quod ille, qui ſolum furtum confitetur, etiam doleat de perjurio.

Obj. 4. Ad omnem contritionem requiri- 301
tur dolor de peccato, prout eſt offenſa Dei; atqui hic ſe extendit ad omnia peccata; alias

qui cum dolore ſolum particulari confiteretur valide, ſed informiter, & ſic moreretur, damnaretur, quod videtur difficile. Conf. Juxta nos confeſſio eſſet valida, licet quis ſimul confiteretur furtum, & perjurium, attamen inculpabiliter putaret ſufficere dolorem particularem de furto; hoc nimium, quia in hoc caſu dolor univerſalis, ſi adeſſet, ſatis fieret ſenſibilis. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. hic dolor ſe extendit ad omnia peccata, ſi concipitur ex motivo omnibus communi. Conc. min. ſi ex motivo aliquibus ſolum peccatis proprio, Neg. min. cum ratione addita; nam hoc ipſum ſequeretur, ſi quis bona fide confeſſus fuiſſet cum attritione ſolum exiſtimata. Nempe in neutro caſu homo damnaretur propter culpam, aut negligentiam in ſuſceptione Sacramenti admiſſam, ſed propter culpam præteritam, & necdum ſublatam. Ad Conf. Neg. Maj. Quod hæc ſequela per ſe non fluat ex noſtra ſententia, patet ex ratione minori addita. Interim multi illam admittunt, quia confeſſio perjurii ſe videtur habere per accidens, & ad valorem Sacramenti ſufficere dolor aliquis indeterminate de peccato expoſito.

302 Quæres 1. An ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiratur dolor, & deteſtatio formalis, vel ſufficiat virtualis? Reſp. cum communiſſima fere omnium, probabilius requiri formalem, quia Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4 contritionem, quam requirit tanquam partem eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ, expreſſe vocat animi dolorem, & deteſtationem de peccato commiſſo, quæ verba inter dolorem, & deteſtationem clare diſtinguunt, & ſi in ſenſu proprio accipiantur dolorem & deteſtationem formalem ſignificant. Unde ſi aliquis peccata ſua in-

inculpabiliter confiteretur cum ſola dilectione Dei ſuper omnia, juſtificaretur quidem, at non vi Sacramenti pœnitentiæ, utpote ex defectu doloris, & deteſtationis invalidi. Porro per deteſtationem intelligitur actus, quo tendimus averſive in peccatum tanquam præteritum, per dolorem vero actus, quo in idem peccatum tendimus, tanquam aliquo modo adhuc præſens, in quantum nempe etiamnum pro præſenti malum eſt aliquando peccaviſſe, & privatum eſſe innocentia, ac immunitate a peccato, neque tamen iſti duo actus debent eſſe realiter diſtincti, imo in hac vita vix practice poſſumus elicere dolorem de peccato, quin adjunctam habeat deteſtationem, nec viciſſim deteſtationem quin ſimul dolorem eliciamus.

Quæres 2. An Sacramentum pœnitentiæ etiam poſſit eſſe validum, & informe ex defectu propoſiti, confeſſionis, abſolutionis, aut ſatisfactionis? Reſp. negative. Nam 1, quod ad validam confeſſionem peccatorum mortalium requiratur propoſitum univerſale, colligitur ex dictis, & uberius probabitur quæſt. ſeq. 2. Si confeſſio ſit formaliter integra, ſecluſo alio defectu Sacramentum non tantum erit validum, ſed etiam fructuoſum, quia ad fructum ſolum requiritur confeſſio illorum peccatorum, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt: ſi vero peccatum aliquod grave culpabiliter omittitur, confeſſio non eſt formaliter integra, ſed Sacramentum invalidum ob commiſſum novum peccatum, cum quo non poteſt ſtare dolor ad valorem Sacramenti neceſſarius. 3. Pari modo quando Sacerdos habet poteſtatem ſeriamque voluntatem abſolvendi ab omnibus peccatis gravibus, & verba abſolutionis debito modo profert, ſecluſo defectu ex parte pœnitentis Sacramentum 303

eft fructuofum, fecus omnino invalidum; non enim eft in poteftate confeffarii abfolvere tantum ab uno peccato, fed debet velle abfolvere ab omnibus, aut abfolvit a nullo. 4. Satisfactio non eft pars effentialis Sacramenti; hinc modo adfit animus fatisfaciendi, Sacramentum eft fructuofum; fi autem hic animus defit, & quidem in re gravi, omnino eft invalidum, utpote rurfus cum actuali voluntate peccandi fufceptum.

QUÆSTIO XI.

Quale ad confeffionem peccatorum mortalium requiratur propofitum?

304 PRopofitum eft actus voluntatis averfive tendens in peccata futura, ut per media opportuna evitanda. Dividitur 1 in univerfale, & particulare. Illud fe extendit ad omnia peccata gravia; hoc folum ad aliqua e. g., quæ quis hucusque commifit, aut confeffus eft. 2. In formale, & virtuale. Formale confiftit in tali, vel fimili tendentia: Impofterum nolo amplius committere peccatum a, vel nolo amplius peccare. Virtuale eft actus, qui ex una parte non habet prædictas tendentias, ex altera parte incompoffibilis eft cum voluntate peccandi, ut dolor conceptus ex motivo univerfali dilectionis, metu inferni, offenfa Dei &c. videtur enim impoffibile, ut aliquis quando actu efficaciter, & ex corde dolet de offenfa Dei commiffa, ftante hoc actu velit committere aliam. 3. In formale explicitum, & implicitum. Prius tunc datur, fi quis ita tendit: Nolo amplius committere peccatum a, peccatum b, & fic de reliquis in particulari, pofterius formaliter quidem tendit in omnia, fed

ſed confuſe: Nolo deinceps committere ullum peccatum, Nolo impoſterum ullam legem transgredi.

Dicendum 1. Ad validam confeſſionem peccatorum mortalium requiritur aliquod propoſitum, & quidem univerſale ſe ad omnia peccata mortalia extendens. Pars 1 eſt certa ex concilio Tridentino ſæpius jam citato, & mox iterum citando. Ratio autem eſt, quia ſine propoſito ſaltem virtuali non poteſt dari dolor efficaciter excludens voluntatem peccandi. Pars 2 eſt communiſſima contra Dicaſt. Plat., Gob. paucoſque alios. Prob. Concilium Florentinum in decret. ad Armen. docet, quod contritio ſit animi dolor, & deteſtatio cum propoſito non peccandi de cætero, eodem modo loquendi utitur Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4, & paulo poſt de attritione ait, eam tunc ſolum *Ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponere, ſi voluntatem peccandi excludat*; atqui hæc verba *Non peccandi de cætero, ſi voluntatem peccandi excludat*, denotant propoſitum univerſale; ſunt enim indefinita, & in materia dogmatica, adeoque ſine ſolido fundamento non debent reſtringi ad aliqua ſolum peccata mortalia. Conf. Quia nequit intelligi vera converſio ad Deum, niſi peccator firmiter ſibi proponat, illum nunquam amplius graviter offendere; hinc Tridentinum cap. cit. ait: *Motum hujus contritionis quovis tempore fuiſſe neceſſarium ad impetrandam veniam peccatorum.* 305

Dicendum 2. Propoſitum ad validam peccatorum mortalium confeſſionem requiſitum debet eſſe formale. Eſt quidem hæc concluſio contra plurimos graves Auctores, adeo, ut Carden. in criſi diſſert. 2 oppoſitam ſententiam dicat eſſe certam, ac tutam in praxi, 306

in

in quo tamen alii communius eidem non consentiunt, sed solum defendunt, propositum virtuale sufficere per accidens. Interim pro nobis stat Bellarminus lib. 2 de pœnit. cap. 6, ubi post citatos multos antiquiores ait: *Sed nobis communis, ac trita a veteribus via semper visa est tutior, ac commodior.* Prob Tridentinum sess. 14 cap. 4 de contritione ad valorem Sacramenti requisita docet, quod præter dolorem, & detestationem sit *Propositum non peccandi de cætero*, Item quod *Non solum contineat cessationem a peccatis, & vitæ novæ propositum, sed etiam veteris odium*: ergo juxta concilium ad validam confessionem requiritur propositum formale; quippe nomina actuum absolute, & formaliter prolata supponunt pro actibus formaliter talibus; alias ex auctoritate sacra nunquam necessitatem actus formaliter talis inferre liceret. Conf. Ad validam confessionem requiritur dolor formalis, ut fatentur plerique ex nostris Adversariis: ergo etiam propositum formale; nam ut SS. Patres cum S. Thoma hic q. 87 a. 1 docent, ad rationem pœnitentiæ non solum pertinet, ut homo doleat de peccato præterito, sed etiam ut proponat cavere de futuro.

Objectiones.

307 OBj. 1. Ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ sufficit, quod excludatur illa voluntas peccandi, quæ aliquando fuit in peccatore; hæc enim sola proprie potest excludi, reliqua vero peccata satis excluduntur per negationem actualis voluntatis peccandi: ergo propositum non debet esse universale. Conf. Sicut fideles tantum eliciunt dolorem de peccatis commissis, ita plerumque solum ista pro-

proponunt vitare, de aliis autem non cogitant, imo ſæpe ab ipſis confeſſariis ad propoſitum ex motivis reſtrictis excitantur. Reſp. Neg. Ant. Concilium Tridentinum exigit, ut voluntas peccandi excludatur per ipſam contritionem, & propoſitum non peccandi, & non ſolum per negationem, quæ reſpectu doloris, & propoſiti particularis ſe habet mere per accidens. Porro peccata etiam nunquam commiſſa ſatis proprie a voluntate excluduntur, quando elicitur actus cum ipſis incompoſſibilis. Ad Conf. Cum fideles plerumque doleant ex motivis univerſalibus, etiam ſolent habere propoſitum univerſale, neque confeſſarii motivum reſtrictum ipſis proponunt, quaſi in hoc poſſint, ac debeant acquieſcere, ſed ut tali modo quaſi per gradus ad propoſitum univerſale diſponantur.

Dices. Juxta Tridentinum ad validam, & 308
fructuoſam confeſſionem ſufficit dolor particularis, videlicet tantum de peccatis commiſſis: ergo etiam ſimile propoſitum; nam concilium vult, ut voluntas peccandi excludatur per ipſam attritionem, neque ad propoſitum requirit motivum magis univerſale. Conf. S. Thomas 3 p. q. 90 a. 4 plus non requirit, quam propoſitum mutandi vitam in melius: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando Tridentinum loquitur de dolore, & deteſtatione, loquitur reſtricte: *De peccato commiſſo*, de quo ſolo dari poteſt dolor, & deteſtatio retractativa; de propoſito autem loquitur indefinite, & univerſaliter: *Non peccandi de cætero. Si voluntatem peccandi excludat.* Unde tunc ſolum vult, ut peccandi voluntas excludatur per ipſam contritionem aut ipſius motivum, ſi hoc eſt univerſale, qualia motiva ibi enumerat, & communiter a pœnitentibus haberi ſolent. Ad

Conf. Tranſ. Ant. quia S. Thomas ibi non adhibet particulam tantum, Neg. Conſ. Sicut vitam emendare, ita immutare in melius juxta communem acceptionem ſignificat incipere vitam omnino honeſtam, & ſaltem non graviter peccaminoſam; ſi enim abſtineas quidem imposterum a furto commiſſo, interim patres mille alia crimina, nemo dicet te vitam commutaſſe in melius.

309 Obj. 2. Poſtquam Tridentinum docuit, ad juſtificationem requiri dolorem cum propoſito non peccandi de cætero, nihil aliud requirit, quam ut voluntatem peccandi excludat: ergo cum nullam amplius faciat mentionem propoſiti, ſatis indicat ſufficere propoſitum virtuale; nam hæc verba poſteriora explicant priora. Conf. Quoties Tridentinum agit de propoſito, ſemper addit dolorem, & deteſtationem, non vero viciſſim: ergo de propoſito non ita fuit ſolicitum. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando concilium dicit, quod attritio diſponat ad gratiam in Sacramento impetrandam: *Si voluntatem peccandi excludat*, loquitur de attritione ſuperius generice deſcripta, ubi ſatis declaravit, quod præter dolorem debeat continere propoſitum non peccandi de cætero, adeoque opus non erat, ut denuo explicite propoſitum nominaret, ſicut ibi nequidem dolorem, & deteſtationem nominat. Unde verba poſteriora non tam priora explicant, quam illa ſupponunt. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Sicut neutiquam neceſſe erat, ut Tridentinum ſemper explicitam propoſiti mentionem faceret, ſic poſtquam illud bis clare requiſivit, nulla ratione poteſt aſſeri, quod de propoſito formali non ſatis fuerit ſollicitum.

Di-

Dices 1. Ex una parte textus Scripturæ, 310
quos concilium in confirmationem suæ doctrinæ affert, solum significant dolorem, & detestationem: ex altera parte per propositum virtuale voluntas æque firmatur, ac munitur a relapsu, qui est finis propositi, quam per formale: ergo. Conf. Licet dolor, & detestatio non sit propositum formale in sensu philosophico, potest tamen dici formale in sensu theologico, quatenus Tridentinum per illud tantum intelligit actum exclusivum voluntatis peccandi, hinc propositum tantum ponit in obliquo: *Cum proposito non peccandi de cætero.* Resp. Neg. Ant. quoad 1 memb. Nam Tridentinum statim in primo textu recitat verba Ezech. 18 v. 31: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Membrum 2 Dist. obtinetur idem finis, & eodem modo, Neg. Ant. modo diverso, Trans. Ant. Neg. Conf. In iis, quæ pendent ex libera dispositione Dei, non solum debet attendi ad finem intentum, sed etiam ad voluntatem instituentis, quam nobis Tridentinum hic manifestat, alias etiam posset dici, quod sufficiat dolor virtualis, utpote æque avertens a peccato, & convertens ad Deum quam dolor formalis. Ad Conf. Neg. Ant. & suppositum, quod Tridentinum per propositum tantum intelligat actum quomodocunque exclusivum voluntatis peccandi; nam verba absolute prolata debent sumi in sensu proprio, & formali. Neque illa obliquitas grammaticalis quidquam prodest Adversariis, quia non mutat significationem vocis, imo Tridentinum dolorem, & propositum in eodem casu ponit, dicens: *Contritionem continere vitæ novæ propositum, & veteris odium.*

Dices 2. Inter dolorem, & propositum 311
non est paritas; nam dolor universalis semper

continet propositum virtuale, non item propositum semper dolorem virtualem; cum autem dolor nonnunquam possit concipi ex motivo tantum particulari, vel non satis esse efficax, concilium merito addidit, quod debeat esse conjunctus cum proposito non peccandi de cætero. Conf. Licet Tridentinum ad contritionem requirat votum confessionis, & spem veniæ, nihilominus sufficiunt isti actus virtualiter tales: ergo a pari. Resp. Quamvis inter dolorem, & propositum non sit paritas quoad omnia, est tamen in eo, quod concilium non minus absolute requirat propositum, quam dolorem, adeoque de utroque debet intelligi in sensu proprio, & formali, præsertim quia ibi loquitur de omni contritione in genere, & quando illam dividit in perfectam, & imperfectam, semper adjungit motiva universalia; unde propositum non tantum requirit ob dolorem particularem,n eque quia potest esse inefficax; nam eadem inefficacia potest dari in proposito. Ad Conf. Neg. Ant. quia etiam quoad hos actus verba debent sumi in sensu proprio, & formali. Porro si contritio contineat propositum servandi totam legem, hoc ipso continet propositum formale implicitum suscipiendi Sacramentum; qui vero ad illud accedit, formaliter etiam habet spem veniæ: *Nemo enim potest facere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam*, inquit S. Ambrosius in epist. ad Rom.

312 Obj. 3. Concilium Romanum sub Benedicto XIII de confitente ait: *Si nec imperfectum quidem dolorem, vel attritionem habet cum firmo proposito saltem implicito non peccandi de cætero, confessio est nulla*: ergo supponit sufficere propositum virtuale. Conf. Potest contingere, ut aliquis confiteatur cum maximo quidem dolore,

re, at ſine propoſito formali ; atqui eſt valde difficile dicere , quod talis non juſtificaretur, ſed ſi mox occumberet, damnaretur. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quia propoſitum implicitum non eſt determinate propoſitum virtuale, ſed poteſt eſſe formale implicitum. Ad Conſ. Conc. Maj. Neg. min. Cum juſtificatio peccatoribus ſecundum ſe ſit indebita, & Deus rite ſuſcipientibus Sacramentum pœnitentiæ mere liberaliter illam promiſerit, non poſſumus merito ullam legem vocare duram, quam Deus ad obtinendam juſtificationem nobis præſcripſit. Hinc ipſi Adverſarii negant, nimis durum eſſe, quod non juſtificaretur ille, qui confiteretur cum ſolo propoſito firmiſſimo non peccandi de cætero ſine dolore formali, aut cum dolore vehementiſſimo quidem, & tantum concepto ex motivo particulari ſine propoſito univerſali.

Dices 1. Ponamus, quod aliquis doluerit 313
ex motivo perfectæ charitatis ; huic ipſa Scriptura promittit juſtificationem, & tamen non habet propoſitum formale : ergo. Conf. Si Deus alicui revelaret, quod in inſtanti b. ſit moriturus, poſſet elicere dolorem ex charitate, non item propoſitum non peccandi de cætero, utpote certus ſe ſtatim eſſe moriturum. Reſp. quærendo ex Adverſariis, an talis juſtificaretur, ſi fuiſſet confeſſus cum ſolo actu charitatis ſine dolore formali ? Dicent forte, in hoc caſu fore juſtificandum, ſed non vi Sacramenti, ut num. 302 adverti : vel certe Deum in hac providentia non permiſſurum, ut amor Dei ſuper omnia a dolore formali in peccatore ſeparetur, quidquid ipſis placuerit, etiam nos dicere poterimus. Ad Conf. Dico, in his circumſtantiis prudenter poſſe elici propoſitum formale non peccandi in inſtanti a, vel aliquo

modo conditionatum: Nolo peccare, quatenus nolle teneor, cujusmodi tendentiæ in omni proposito includuntur, semper enim imbibita est conditio: Nolo peccare, etsi habebo libertatem ad peccandum.

314 Dices 2. Saltem si quis haberet propositum formale de vitando imposterum uno peccato, & de aliis virtuale, id ad valorem, & fructum Sacramenti sufficeret: ergo propositum formale jam non requiritur universaliter. Conf. Etsi ad valorem Sacramenti requiratur dolor formalis, sufficit tamen, si quis habeat dolorem formalem de peccatis cognitis, & virtualem de invincibiliter ignoratis; ergo a pari. Resp. Imprimis hæc sententia non esset illa Adversariorum, quam hic potissimum impugno, sed alia quasi media. Dein Neg. Ant. Quia concilium Tridentinum indefinite requirit propositum non peccandi de cætero; ergo uniformiter de omnibus est intelligendum, nec ulla potior est ratio de uno peccato, quam de aliis. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. De peccatis invincibiliter ignoratis non potest haberi prudens dolor formalis saltem explicitus; hinc ipsum Tridentinum docet, ad validam, & fructuosam confessionem sufficere, si quis exponat peccata, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, cætera autem in ipsa confessione vi doloris universalis censeri inclusa; nihil simile dicit de proposito.

315 Obj. 4. Nostra doctrina præbet ansam innumeris scrupulis; nam fideles quando confitentur, sæpe nihil cogitant de proposito formali; hinc semper deberent esse soliciti, an valide fuerint confessi, & ideo priores confessiones repetere tenerentur. Resp. Neg. Ant. Quippe si quis de vita imposterum instituenda serio cogitat, vix est possibile, ut post effica-

cem

cem deteſtationem vitæ præteritæ ex tali reflexione non ſequatur propoſitum formale deinceps peccata gravia vitandi, eſto, quod ad hoc propoſitum ſignate non attendat. Si tamen forte per accidens ex nimia ſollicitudine vel abſtractione totus intentus eſſet deteſtandæ vitæ priori, quin de futura cogitaret, aut aliquid proponeret, bona fides ipſum excuſaret a peccato, & quia etiam ſententia Adverſariorum eſt vere probabilis, ſuam confeſſionem non amplius teneretur repetere; peccata vero tunc expoſita remitterentur indirecte in proxima confeſſione rite peracta. Unde totum onus, quod ex noſtra ſententia ſequitur, ſtat in eo, quod per ſe loquendo nemini ſine propoſito formali licitum ſit Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipere. Idipſum fatentur plerique ex Adverſariis, eoquod ſuam ſententiam non audeant dicere certam, ac tutam in praxi. Videatur proin propoſitio 1 damnata ab Innocentio XI, & a nobis citata num. 280.

Quæres. An propoſitum ſe etiam extendere debeat ad vitandas occaſiones proximas graviter peccandi? Reſp. cum communiſſima affirmative, quia juxta dicta requiritur propoſitum univerſale vitandi omnia peccata mortalia; ſed qui occaſiones proximas graviter peccandi, quas vitare poteſt, non vitat, hoc ipſo peccat graviter, cum voluntarie ſe committere in periculum proximum peccandi, & peccatum committere moraliter cenſeatur eſſe idem. Sic qui ſponte ſe conjicit in periculum mortis, non cenſetur velle vitare mortem. & *Qui amat periculum, in illo peribit*, ut habetur Eccleſ. 3 v. 27. Huc etiam faciunt plures propoſitiones circa hanc quæſtionem damnatæ e. g. 11 damnata ab Alexandro VII: *Non eſt obli-* 316

ligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & alia famula nimis difficile inveniretur. Item 61 damnata ab Innocentio XI: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

QUÆSTIO XII.

Qualis dolor, & propositum requiratur ad confessionem peccatorum venialium?

817 QUod non solum ad fructuosam, sed etiam validam peccatorum venialium confessionem requiratur aliquis dolor, & quidem formalis, item aliquod propositum formale, colligitur ex duabus quæstionibus præcedentibus; nam quando concilium Tridentinum, & Florentinum dicunt, contritionem esse dolorem, & detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, loquuntur indefinite, & aliunde nulla sufficiens apparet ratio, illorum doctrinam hac in parte restringendi ad confessionem peccatorum mortalium. Hinc qui sine omni dolore formali, & proposito confiteretur sola peccata venialia, invalide susciperet Sacramentum, & graviter peccaret. Porro quamvis num. 28 dixerim, ad delenda peccata venialia etiam extra Sacramenta sufficere contritionem imperfectam, ideo potestas clavium non est frustranea, quia non omnis attritio sufficit ad delenda omnia, & quæcunque venialia. Quod si esset tam perfecta, ut ad omnia delenda sufficeret, nihilominus in Sacramento adhuc possent remitti vir-

virtualiter, & æquivalenter, ſicut peccata mortalia, quæ poſt contritionem perfectam in confeſſione exponuntur.

318 Interim ad validam, & fructuoſam confeſſionem venialium non eſt neceſſe, ut dolor ſe extendat ad omnia, quorum aliquis ſibi eſt conſcius, modo doleat de illis, quæ confitetur. Ratio eſt, quia peccata venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, nec tollunt gratiam, & amicitiam cum Deo, adeoque non ponunt obicem gratiæ ſacramentali, ſed unum ſine altero remitti poteſt. Hinc Suarez, Vaſquez, Lugo, Arriaga &c. docent, ad valorem, & fructum Sacramenti ſufficere, ſi quis confitendo multa venialia ſaltem efficaciter doleat de uno, vel altero graviore; alias homines timorati abſterrerentur a confeſſione venialium, cum facile contingere poſſit, ut inter ea aliquod ſit, de quo efficaciter non doleant. Neque obſtat, quod peccatum veniale ſine dolore ſit materia inepta abſolutionis; nam verba abſolutionis directe diriguntur in pœnitentem, qui ſolum abſolvitur de illis peccatis, de quibus efficaciter dolet, reliqua vero tantum exponere cenſetur ad ſui humiliationem, ad melius explicandam ſuam conſcientiam, ad ſecuturæ vitæ directionem &c.; hinc homines pii, & devoti ſæpius etiam ſe accuſant de meris imperfectionibus, & quibusdam defectibus.

319 Simili modo ad confeſſionem peccatorum venialium non eſt neceſſarium propoſitum univerſale ſe extendens ad omnia venialia impoſterum futura, ſed ſufficit, ſi aliquis proponat vitare unum, vel plura ex illis, quæ confitetur, ut probatur ex paritate cum dolore, & rationibus numero ſuperiore allatis. Per quæ non nego, quod ille, qui ab omnibus peccatis venialibus vult abſolvi, debeat, ac poſſit

de illis habere dolorem , & propositum universale nunquam amplius venialiter peccandi; quamvis enim hoc moraliter videatur impossibile, sæpe tamen pœnitens de hac impossibilitate non cogitat, & quamvis illam agnoscat, potest nihilominus ex motivo generali offensæ divinæ actum cum peccato veniali incompossibilem elicere, ad efficaciam vero istius actus non requiritur, ut semper existat, sed solum ut non admittat voluntatem peccandi, quamdiu existit. Porro etiam per peccatum veniale subsequens non statim omnimode retractatur omnis dolor , & propositum antecedens, sed tantum secundum quædam peccata leviora, aut quæ sunt ejusdem rationis cum novo peccato, eique similia. Sicut enim contritio ita attritio est virtualiter multiplex, & unum peccatum magis detestatur , ac vitare proponit, quam alterum.

320 Quæres 1. An ad confessionem peccatorum venialium etiam sufficiat attritio ex metu gehennæ concepta ? Resp. negative. Ratio est, quia metus gehennæ saltem immediate, & per se non excludit voluntatem peccandi venialiter, eoquod pœna inferni propter solum peccatum veniale non incurratur ; atqui metus pœnæ æternæ immediate, & per se solum movet ad fugam, & detestationem illius peccati, propter quod reatus pœnæ æternæ incurritur, nisi forte metus ille sit tam efficax, ut ex illo aliquis absolute vitare velit quodcunque periculum etiam remotum pœnam æternam incurrendi. Illud tamen hic noto, quod num. 287 dictum est de attritione concepta ex metu pœnarum temporalium, vel in hac, vel in altera vita a Deo infligendarum, cum proportione etiam intelligi debere de attritione, quæ supra pecca-

ta venialia concipitur, ut facile patebit consideranti.

Quæres 2. An, & quomodo contritio a pœnitente debeat ordinari ad confessionem? Resp. Quod dolor & propositum a pœnitente saltem virtualiter debeat ad confessionem referri, docet communis contra Tambur. Abbat. aliosque paucos, quia in omni toto morali una pars debet referri ad compartem, quod vel maxime hic locum habet, eoquod confessio sacramentalis, ut sit valida, necessario debeat esse dolorosa; dolorosa autem concipi nequit nisi per contritionem aliquo modo ad se relatam. Porro ista relatio variis modis potest fieri. 1. Quando contritio expresse elicitur ex intentione faciendæ confessionis. 2. Si saltem est conjuncta cum proposito de confessione proxime facienda. 3. Si dolor jam prius elicitus ad confessionem saltem refertur tunc, quando aliquis vult confiteri; nam etiam hac ratione ad alteram partem, & ad totum ordinatur, ac sacramentalis efficitur; hinc juxta communem fidelium sensum ad absolutionem optime dispositus est, qui audita ferventi concione movetur ad intensum dolorem, & postea ex desiderio veniæ de facienda suorum peccatorum confessione cogitat. Quia tamen hic agitur de valore Sacramenti, nollem affirmare hunc ultimum modum tutum esse in praxi, cum teste P. Stoz plurimi auctores id negent.

Quæres 3. An, & quomodo contritio debeat esse cum confessione conjuncta? Resp. 322
Quod contritio aliquo modo debeat coexistere confessioni, colligitur ex dictis, quia videlicet ad omne compositum requiritur, ut partes inter se aliquo modo uniantur; hæc tamen coexistentia non debet esse physica, sed sufficit moralis, imo etiam minor, quam in aliis

Sa-

Sacramentis, quorum formæ plerumque actualem præsentiam materiæ significant, uti forma Baptismi præsentiam ablutionis, forma confirmationis præsentiam unctionis &c., dum econtra Sacramentum pœnitentiæ imitatur judicium forense, in quo sententia, accusatio, & confessio rei sæpe diu ab invicem distant. Quantum autem temporis inter dolorem, & confessionem possit intercedere, difficulter determinari potest; in genere loquendo sufficit, & requiritur, ut interea dolor non sit revocatus, & confitens adhuc censeri possit ex vi illius confiteri; hinc nimis laxi videntur, qui tempus hoc ad plures dies, & integros menses extendunt. Cæterum quamvis communis tam pœnitentium, quam confessariorum praxis docere videatur, quod dolor confessioni postponi valeat, contrarium tamen defendunt Con. Laym. Castrap. &c. nisi pœnitens postea de peccatis expositis se rursus in genere accuset. Vid. la Croix lib. 6 p. 2 a num. 698.

DISPUTATIO IV.

De confessione.

323 PEr confessionem, quam secundam Sacramenti pœnitentiæ partem dixi, intelligitur accusatio externa, qua pœnitens peccata sua post Baptismum commissa Sacerdoti manifestat ad eorum veniam virtute clavium obtinendam. Dividitur præcipue in materialiter integram, qua exponuntur omnia mortalia nondum confessa: & in formaliter integram, qua solum exponuntur illa, quæ hic, & nunc moraliter exponi possunt, ac debent: illa est de necessitate præcepti, hæc de necessitate Sacramenti. Nam juxta concilium Tridentinum sess. 14 cap. 5 ad valorem, Sacramenti pœnitentiæ requiritur confessio integra,

ma-

materialiter autem integra ſæpe moraliter eſt impoſſibilis : ergo ſaltem requiritur, & ſufficit formaliter integra. Qui enim confitetur omnia, quæ moraliter poteſt, & debet, adimplet obligationem ad ſui accuſationem requiſitam, adeoque poteſt elicere veram contritionem, & Sacerdos illum abſolvere; atqui poſita vera contritione, confeſſione, & abſolutione dantur omnes partes eſſentiales Sacramenti : ergo.

QUÆSTIO I.

Quænam in genere ſit materia neceſſaria, & ſufficiens confeſſionis?

QUod omnibus poſt Baptiſmum lapſis ad Sacramentum pœnitentiæ neceſſaria ſit di- 324
ſtincta confeſſio peccatorum, patet ex diſput. 2 q. 6 indagandum jam ulterius, quousque hæc neceſſitas ſe extendat? Audiamus de illa concilium Tridentinum, quod ſeſſ. 14 cap. cit. docet 1: *Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ univerſam Eccleſiam ſemper intellexiſſe, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, quia Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina referantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint.* 2. *Hinc oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum contra duo ultima decalogi præcepta commiſſa.* 3. *Præterea etiam circumſtantias illas in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant : quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcent.* 4. *Venialia, quibus a Dei gratia non excludimur, & in*

quæ

quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari posse.

325 Dicendum 1. Materia confessionis sunt sola peccata, personalia, ab homine baptizato commissa. Prob. 1 pars, quia Tridentinum sess. 14 cap. cit. & can. 3 pro materia confessionis assignat sola peccata, quod etiam indicat forma Sacramenti: Absolvo te a peccatis. Prob. 2 pars, quia de peccato originali non potest dari dolor retractativus, & illud per ipsum Baptismum plene remittitur; hinc Tridentinum sess. cit. cap. 1 ait: *Si homines justitiam in Baptismo susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum*; Alexander VIII vero damnavit hanc propositionem: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* Prob. 3 pars, quia Tridentinum sæpe, ac constanter docet, Sacramentum pœnitentiæ a Christo institutum esse pro illis peccatis, *In quæ Christi fideles ceciderint*, & cap. 1 expresse ait: *Pœnitentiam non esse cuiquam Sacramentum nisi post Baptismum*, rationem reddit cap. 2, quia *Ecclesia in neminem judicium exercet; nisi prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi*, inquit Apostolus 1 ad Cor. 5, *de iis, qui foris sunt judicare.*

326 Dicendum 2. Omnia peccata mortalia, directe nunquam remissa, sunt materia confessionis necessaria ita, ut exponi debeant quoad numerum, speciem, & circumstantias speciem mutantes. Prob. Quia juxta Tridentinum sess. 14 cap. 5 omnia peccata mortalia debent exponi, *Integre etiam quoad circumstantias speciem mu-*

mutantes, & juxta Florentinum in decret. ad Armen. peccator tenetur *Omnia sua peccata, quorum memoriam habet, confiteri integraliter.* Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, & consensus Patrum, ut ostendit Bellarm. lib. 3 de pœnit. cap. 6 & seq. q. Hinc a Tridentino sess. cit. can. 7 merito anathematizatur: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Quod vero peccata jam aliquando directe remissa non amplius necessario exponi debeant, tanquam dogma catholicum definitum est a Joanne XXII in extravag. comm. Vas electionis tit. de hæreticis. Idem declaravit Benedictus XI in extravag. comm. Inter cunctas de Privileg., ubi dicit: *Eum, qui semel confessus est, & absolutus etiam a Religioso mendicante, non teneri iterum ne quidem proprio Parocho peccata illa confiteri.*

Dicendum 3. Materia sufficiens confessionis sunt tum peccata venialia, tum mortalia jam semel directe remissa. Prob. 1 pars. Quamvis peccata venialia non debeant necessario in confessione exponi, quia, ut ait Tridentinum, a Dei gratia non excludunt, & multis aliis modis remitti possunt; nihilominus Christus Joan. 20 v. 23, dum Sacramentum pœnitentiæ instituit, generaliter dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* quæ verba conveniunt tam peccatis venialibus, quam mortalibus; hinc Leo X damnavit articulum 8 Lutheri: *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia*, & Tridentinum can. 7 de pœnit. ita statuit: *Si quis dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere* 327

velle

velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia: anathema sit. Prob. 2 pars ex can., quem pœnit. de pœnit. dist. 1, & praxi Ecclesiæ; nam fideles sæpissime faciunt confessiones generales, repetuntque peccata ante confessa, & nulla alia. Nempe etiam peccata jam semel remissa non desinunt esse peccata, adeoque etiam sub verbis, quibus Christus Sacramentum pœnitentiæ instituit, continentur.

328 Dicendum 4. Peccata mortalia mere existimata sunt quidem materia necessaria, non tamen sufficiens confessionis. Prob. 1 pars, quia quilibet in materia gravi graviter obligatur, ut operetur secundum conscientiam invincibiliter erroneam: ergo si quis invincibiliter existimat, se grave peccatum commisisse, & aliunde tali homini compertum sit, peccatum grave in confessione debere necessario exponi, tenetur sub peccato gravi peccatum existimatum confiteri. Prob. 2 pars. Ad valorem pœnitentiæ juxta Tridentinum requiritur contritio, quæ est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso; atqui contritio de peccato solum existimato non est dolor, & detestatio de peccato commisso: neque ejusmodi peccatum, quod revera nunquam exstitit proprie per absolutionem remitti potest: ergo. Conf. Aqua solum existimata, & panis solum existimatus non est materia sufficiens ad conficiendum Sacramentum: ergo neque peccatum mere existimatum ad Sacramentum pœnitentiæ.

329 Dices 1. Homines pii, & religiosi sæpe confitentur meras imperfectiones, aut transgressiones regularum, quæ non obligant sub peccato: ergo non sola peccata sunt materia confessionis. Conf. Etiam censuræ excommunica-

nicationis, ſuſpenſionis &c. debent ad legitimum miniſtrum deferri, ut ab iis abſolvat: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Homines pii, & religioſi ejusmodi imperfectiones, & transgreſſiones regularum confitentur, vel quia ordinarie adjunctum habent aliquod leve peccatum, vel ut ſe magis humilient, & in ſpiritu melius dirigi valeant. Si tamen aliquis nihil aliud quam meras imperfectiones in confeſſione exponeret, Sacramentum eſſet irritum; hinc ſuadendum, ut ex priori vita addatur certum aliquod peccatum ſaltem veniale. Ad Conſ. Conc. Ant. Neg. Conſ. Abſolutio a cenſuris non eſt ſacramentalis, ſed tantum ſententia quædam eccleſiaſtica, per quam ordinarie vinculum pœnæ ſpiritualis debet auferri, antequam abſolutio a peccatis dari poſſit.

Dices 2. Ex una parte peccata ante Baptiſmum commiſſa non deſinunt eſſe peccata; ex altera parte remiſſio antecedens non obſtat, quo minus iterum remitti poſſent: ergo ſunt materia ſufficiens ad confeſſionem. Conſ. Quia alias neque peccatum grave in ipſa ſuſceptione Baptiſmi commiſſum in confeſſione deberet exponi, eoquod Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 5 dicat, confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam eſſe. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. eoquod Sacramentum pœnitentiæ ad remiſſionem horum peccatorum a Chriſto non ſit inſtitutum. Ad Conſ. Neg. ſequelam. Quando adultus actu baptizatur, non amplius eſt infidelis, nec fides, aut Baptiſmus in peccatum debet influere, ſed ſufficit, quod ſe habeat concomitanter. Hinc in Tridentino præpoſitio poſt ſumitur præciſe negative, & idem ſignificat, ac non ante, quo in ſenſu ſæpiſſime accipitur in communi modo loquendi. Sic dicimus neminem peccare poſſe, niſi poſt 330

acquiſitum uſum rationis, diem non eſſe niſi poſt ortum ſolis &c.

331 Dices 3. Materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ eſt etiam ſufficiens ad ejus conſtitutionem: ergo ſi peccatum exiſtimatum eſt materia neceſſaria, eſt etiam materia ſufficiens. Conf. Etiam de peccatis jam ſemel remiſſis non poteſt haberi dolor, neque forma abſolutionis poteſt ſæpius cadere ſupra eandem materiam. Reſp. Diſt. Ant. materia neceſſaria, id eſt, ad valorem Sacramenti pœnitentiæ neceſſario requiſita eſt etiam ſufficiens ad ejus conſtitutionem, Conc. Ant. id eſt, neceſſario tantum exponenda, eſt etiam ſufficiens ad ejus conſtitutionem, Neg. Ant. & Conſ. Ad Conf. Neg. Ant. Nam etiam peccatum jam remiſſum eſt malum aliquo modo præſens, in quantum ſemper verum manet, quod homo per illud fuerit privatus bono innocentiæ, vel immunitatis a peccato. Porro licet eadem forma non poſſit ſæpius cadere ſupra eandem materiam proximam, e. g. ſupra eandem ablutionem in Baptiſmo; poteſt tamen ſæpius cadere ſupra eandem materiam remotam, modo ſemper adſit etiam materia proxima, prout ſemper adeſt novus dolor, & nova confeſſio, ſi peccata jam ſemel remiſſa iterum in confeſſione exponuntur.

332 Quæres. An peccata mortalia, quæ aliquis inculpabiliter nunquam eſt confeſſus, maneant materia neceſſaria confeſſionis, licet indirecte jam fuerint remiſſa. Reſp. affirmative. Nam Sacerdos, qui a Chriſto conſtitutus eſt judex neceſſarius de peccatis mortalibus, de omiſſis necdum tulit ſententiam, neque pro qualitate delicti potuit imponere ſatisfactionem. Hinc ab Alexandro VII damnata eſt propoſitio 11: *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita*

ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exponere. Porro peccata tunc dicuntur dimitti directe, quando remittuntur ratione sui, independenter ab alio peccato remisso: indirecte autem quando non remittuntur ratione sui, sed tantum ratione alterius peccati, eoquod non fuerint a Sacerdote per confessionem cognita, vel hæc materia confessario non fuerit subjecta; remittuntur nihilominus ratione peccati a Sacerdote per confessionem cogniti, & ejus potestati subjecti, eoquod unum sine altero remitti nequeat.

QUÆSTIO II.

An etiam actus externi, & effectus ex actione peccaminosa secuti sint materia necessaria confessionis?

Circa peccatum quatuor distinguenda sunt. 1. Causa finalis, propter quam aliquis peccat, ut si quis die festo omittat sacrum, ut studeat. 2. Actio peccatum concomitans, quæ eodem tempore, quo peccatur, per accidens ponitur, ut si quis ad omittendam missam aliunde e. g. quia tempestas est nimis frigida, jam sit determinatus, postea vero ne sit otiosus domi studeat. 3. Complementum externum peccati, seu actio externa immediate dependens a peccato interno actualiter existente, cujus est veluti exsecutio, uti furtum externe commissum respectu voluntatis furandi. 4. Effectus peccati, qui est aliquid, quod causatur, & sequitur ad totum peccatum interne, & externe completum. Sic voluntas occidendi completur externe per transfossionem, ad hanc dein sequitur mors. Potest autem contingere, ut ejusmodi effectus sequatur, quin fuerit præ- 333

 visus

visus aut intentus: item ut primum sequatur postquam actus peccaminosus per voluntatem contrariam jam est retractatus.

334 Dicendum 1. Actus externus immediate procedens ab actu voluntatis graviter peccaminoso est materia necessaria confessionis. Ita communis, ac certa, nam juxta concilium Tridentinum omnia, & singula peccata mortalia sunt materia necessaria confessionis; atqui talis actus externus est vere, & proprie dictum peccatum mortale, ut patet ex definitione peccati tradita a S. Augustino, quod videlicet sit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei; Hinc etiam actus externus graviter displicet Deo, & cum actu interno completam, ac consummatam injuriam Dei constituit, ut adeo non solum dentur peccata cordis, sed etiam oris, & operis. Conf. ex communi praxi, & sensu fidelium judicantium, se esse obligatos etiam ad exponenda peccata externa, quæ praxis sufficienter indicat sensum Ecclesiæ, & voluntatem Christi. Accedit propositio 25 damnata ab Alexandro VII: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem non explicando copulam.*

335 Dicendum 2. Effectus ex actu peccaminoso secutus, etsi fuerit prævisus, & directe intentus, per se non est materia necessaria confessionis, saltem si actio peccaminosa prius per voluntatem contrariam fuit retractata. Ita Suarez, Vasquez, Azor &c. longe communius contra quosdam Thomistas maxime recentiores. Prob. Quia talis effectus non est peccatum, sed tantum effectus peccati; quippe hoc ipso, quod peccatum jam sit retractatum, talis effectus nec in se, nec in sua causa amplius est

eſt liber, & voluntarius. nequidem libertate moraliter, aut habitualiter perſeverante. Conf. Quia alias Sacerdos initio longæ navigationis projiciens Breviarium in mare ſingulis diebus de novo graviter peccaret, licet prius ſeriam egiſſet pœnitentiam. Imo licet jam deceſſiſſet in gratia. Præterea teneretur ſingulis diebus confiteri, antequam celebraret Miſſam, quin poſſet habere efficax propoſitum non peccandi de cætero.

Dicendum 3. Etiamſi actio peccaminoſa 336
non fuerit retractata, nihilominus effectus ex illo ſecutus per ſe loquendo non eſt materia neceſſaria confeſſionis, dummodo talis effectus actioni peccaminoſæ moraliter coexiſtat. Ita Vaſquez, Lugo, Layman &c. contra Sanchez, Ilſung, Tanner alioſque multos maxime Thomiſtas. Prob. Quando effectus actioni peccaminoſæ moraliter non coexiſtit, non amplius eſt liber, & dum actu datur, non poteſt impediri: ergo non eſt peccatum, imo ſæpe nequidem actus humanus, quia ſequitur, quando homo nihil de illo cogitat, vel omnino dormit. Jam vero ad peccatum nihil magis eſt neceſſarium, quam voluntas, & libertas: ergo. Conf. Licet negatio retractationis faciat, ut peccatum præcedens habitualiter maneat, & ſic effectus aliquo modo ſit liber objective, in quantum eſt objectum actus præteriti; hæc tamen libertas non eſt verum aliquod exercitium potentiæ liberæ, adeoque ad peccatum formale, & actuale non ſufficit, alias ſi quis alteri porrexiſſet venenum, continuo actualiter peccaret, quamdiu venenum operaretur, & peccatum ſuum non retractaſſet, ſive dein vigilaret, ſive dormiret, ſive mortuus eſſet.

Objectiones.

337 OBj. 1. Actus externus non est liber; non enim procedit a potentia libera: ergo non est peccatum, nec materia confessionis. Conf. Quia actus externus non auget malitiam actus interni. Resp. Dist. Ant. Actus externus non est liber immediate in se, Conc. Ant. mediate, ac denominative, Neg. Ant. & Conf. Actus externus procedit ab eadem libertate, quam habet actus internus, & ab hoc denominatur moraliter malus, ac peccaminosus; sicut igitur ob hanc rationem potuit prohiberi, ita etiam potuit reddi materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ. Ad Conf. Quamvis actus externus malitiam actus interni per se non augeat, nihilominus eandem cum ipso participat, ac consummat ita, ut vere, ac proprie peccatum denominetur; atqui juxta Tridentinum omnia, & singula peccata gravia integre in confessione debent exponi: ergo.

338 Dices. Qui die festo tempore missæ studet, satisfacit in confessione dicendo: Omisi Missam in die festo: atqui talis non exponit peccatum externum: ergo. Conf. Studium, propter quod aliquis omittit Missam, est actus libere positus ex mala intentione, velut medium omittendi Missam, adeoque eodem præcepto prohibetur indirecte, quo Missa directe præcipitur: ergo æque est peccatum, quam alii actus externi. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Si enim studium tantum fuit actus concomitans omissionem Missæ, ad illam se habet mere per accidens: si vero fuit illius finis, potius est effectus, quam complementum actus interni, qui per ipsam omissionem Missæ completur. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Alii actus externi non tantum prohibentur indirecte ratione actus interni,

sed

ſed directe ratione ſui: econtra ſtudium ſolum prohibetur, in quantum adhibetur tanquam medium, aut finis actionis peccaminoſæ; quando autem ejusmodi finis, aut medium in ſe ipſo malum non eſt, tota malitia admiſſi peccati ſufficienter exponitur, modo exponatur actus directe prohibitus.

Obj. 2. Effectus moraliter malus e. g. mors ex occiſione injuſta eſt contra legem Dei, licet ejus cauſa præcedens ſit retractata; nam utique homicidium eſt contra præceptum quintum, & datur in eodem inſtanti, quo homo moritur: ergo. Conf. Homo occiditur in eo inſtanti, quo moritur: ergo tunc debet dari occiſio, & occidens; atqui hic non eſt alius, quam qui v. g. propinavit venenum: ergo. Reſp. Diſt. Ant. eſt contra legem Dei objective, in quantum procuratio mortis graviter fuit prohibita, Conc. Ant. eſt contra legem Dei formaliter, & in ſe, Neg. Ant. & Conſ. Ad rationem additam diſtinguendum eſt inter homicidium activum, & paſſivum, illud eſt actualis vulneratio, aut porrectio veneni, & directe prohibetur præcepto quinto: hoc eſt ipſa mors, & ſeparatio animæ a corpore, quæ ſe potius tenet ex parte occiſi, & non eſt peccatum, ſed effectus peccati, ſeu terminus homicidii activi. Hinc ad Conf. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo tunc debet dari occiſio, & occidens active talis, Neg. Conſ. terminative talis, in quantum tunc datur terminus occiſionis activæ, Conc. Conſ. 339

Dices. Talis effectus etiam pro illo inſtanti, pro quo datur, dependet ab actu peccaminoſo præterito e. g. a porrectione veneni: ergo eſt liber, & peccaminoſus. Conf. Irregularitates, & cenſuræ incurruntur ob peccatum; atqui irregularitas, & cenſura excommuni- 340

municationis tunc ſolum incurritur, quando homo moritur: ergo. Reſp. Diſt. Ant. etiam pro illo inſtanti dependet ab actu peccaminoſo præterito phyſice, Conc. Ant. moraliter, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo eſt liber objective, Conc. Conſ. formaliter, & in ſe, Neg. Conſ. cum ulteriore ſequela. Nam poſtquam actus præteritus fuit efficaciter retractatus, nequidem habitualiter amplius manet, unde effectus non amplius poteſt imputari ad culpam, eſto, quod retractatio fuerit mere naturalis. Ad Conf. Diſt. Ant. incurruntur ob peccatum vel præſens, vel præteritum, Conc. Ant. ſolum ob peccatum præſens, Neg. Ant. & Conſ. Cum effectus peccati ſæpe ſit valde pernicioſus toti communitati, Eccleſia non vult peccata prius irregularitate, & cenſura punire, quam ſub conditione effectus ſecuti, licet idem peccatum ita punire poſſet, etſi effectus non ſequeretur, uti punit malitioſam procurationem abortus. Cæterum non deſunt Auctores, qui negant incurri cenſuram, ſi effectus primum ſequatur, poſtquam aliquis per contritionem vel confeſſionem jam fuit juſtificatus.

341 Obj. 3. Effectus peccati non retractati non minus eſt voluntarius, & liber in ſua cauſa, quam actus externus in actu imperante: ergo eſt peccatum & materia confeſſionis. Conf. Talis effectus poteſt per voluntatem pridem præteritam denominari volitus: ergo etiam voluntarius, & liber. Reſp. Neg. Ant. Actus externus eſt complementum ipſius actus interni, eidem coexiſtit, & tunc, quando ponitur, poteſt impediri: econtra effectus peccati nec eſt complementum actus externi, nec actioni peccaminoſæ, ut hic ponitur, moraliter coexiſtit, neque amplius eſt impedibilis, quod vel maxi-

me ad libertatem peccandi requiritur. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo etiam potest denominari voluntarius, & liber objective, Conc. Conf. formaliter, & in se, Neg. Conf. Ejusmodi effectus ab actu præterito eodem modo dependet, sive ille sit retractatus, sive non; sicut ergo juxta multos ex Adversariis non debet exponi, si peccatum præteritum prius fuit retractatum, sic neque debet exponi, licet peccatum præteritum nondum retractatum fuerit.

Dices. Quamdiu non retractatur actus imperans, vel causans effectum, tamdiu manet moraliter, & habitualiter præsens: ergo sufficienter adhuc coexistit effectui, eumque vere peccaminosum denominat. Conf. Ut aliquis vere, ac valide contrahat matrimonium per procuratorem, sufficit voluntas præterita, & non retractata; si vero illam retractaverit, matrimonium non valet: ergo a pari. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Quippe ad peccatum personale non sufficit libertas tantum habitualis, cum nemo censeatur actu peccare circa objectum, circa quod se non potest actu libere exercere, sed actus peccaminosus debet dependere a libertate propria actu existente. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod ad contrahendas obligationes, & contractus civiles sufficiat voluntas solum moraliter propria, & habitualiter perseverans, aliunde patet. Cum igitur matrimonium a Christo fuerit institutum per modum contractus, mirum non est, quod ejus valor dependeat a perseverantia habituali voluntatis præteritæ, quæ utique per retractationem tollitur. Econtra neque retractatio, neque negatio retractationis actus præteriti immutat libertatem physice, & actualiter existentem. 342

343 Obj. 4. Sæpe in effectu causato major est malitia moralis, quam in actu externo illam causante, ut si quis in ebrietate soleat blasphemare, vel per intempestivum somnum det culpabilem causam omittendi sacrum: ergo saltem tunc effectus peccati debet exponi. Conf. Qui per turpes aspectus, aut tactus libere in se causat pollutionem, committit peccatum pollutionis: ergo effectus peccaminosi proprie sunt peccatum. Resp. Conc. Ant. Dist. Consf. ergo effectus peccati tunc debet exponi per se, Neg. Consf. quandoque per accidens, quia alias malitia ipsius peccati non satis potest explicari, Conc. Consf. Nisi talis in confessione saltem diceret: per ebrietatem scienter dedi causam blasphemiarum: per intempestivum somnum dedi culpabilem causam omittendi sacrum, non confiteretur plene suum peccatum. Hinc Esparza monet in praxi expedire effectus ex peccato secutos confiteri, quia sic melius declaratur malitia peccati, præsertim si ipse effectus in se peccaminosus est, aut alias pœnitens non satis posset dirigi e. g. admoneri de restitutione. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Consf. effectus peccaminosi proprie sunt peccatum, si peccato physice, aut saltem moraliter coexistant, Conc. Consf. secus, Neg. Consf. Si effectus statim ex peccato sequitur, censetur cum eo constituere unum moraliter actum externum consummatum, & eadem libertate, qua actus externus est impedibilis: unde non est paritas cum aliis effectibus, qui sæpe actionem peccaminosam sero subsequuntur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An ſint materia neceſſaria confeſſionis circumſtantiæ peccatum in eadem ſpecie aggravantes?

PEr circumſtantias aggravantes intelliguntur 344
illa prædicata, quæ actui in ſua ſpecie jam conſtituto ſuperaddunt quidem majorem malitiam, non tamen novam ſpeciem. Harum aliquæ ſe tenent ex parte objecti uti quantitas rei furto ablatæ: aliæ ex parte actus uti major ipſius libertas, intenſio, aut duratio. Si malitiam peccati ita augent, ut illud aliquo modo æquivaleat duobus, aut pluribus mortalibus, dicuntur notabiliter aggravantes, e. g. ſi furtum unius floreni ſit damnum grave reſpectu unius perſonæ, cui aufertur, florenus ſecundus eodem furto ablatus erit circumſtantia notabiliter aggravans, econtra aliquot tantum crucigeri tale furtum unius floreni non aggravabunt notabiliter. Eodem proportionaliter modo poſſunt dari circumſtantiæ, quæ malitiam peccati intra eandem ſpeciem minuunt, imo aliquæ ſunt tales, ut ex peccato mortali faciant veniale, vel viciſſim Sic quantitas rei ablatæ aliquando eſt tam modica, ut furtum culpam venialem non excedat, aliquando autem tam magna, ut ad peccatum mortale omnino ſufficiat.

De his ſatis certum videtur, quod in con- 345
feſſione non debeant exponi circumſtantiæ tantum leviter, ac non notabiliter aggravantes, quia non ſuperaddunt malitiam gravem: ſicut viciſſim neceſſario exponendæ ſunt, quæ ex peccato veniali faciunt mortale, quia ſic mutant ſpeciem peccati, vel ſaltem alias non omnia peccata mortalia in confeſſione exponerentur.

tur. Cæteras vero circumſtantias, licet peccatum intra eandem ſpeciem notabiliter aggravent, non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis docent S. Thomas in 4 Diſt. 10 q. 3 a. 2 quæſtiunc. 1 in corp., S. Bonaventur. in 4 Diſt. 17 p. 3 a. 2 q. 3, S. Antoninus, Vaſquez, Marinus, & hoc teſte ex antiquioribus innumeri, quibus accedunt plurimi Recentiores, licet multi cum Gormaz, Leſſio, Tannero &c. ſtent pro ſententia contraria, quam Suarez in 3 p. diſp. 22 de integrit. confeſſ. ſect. 3 ita limitat, ut contendat, ſolas illas circumſtantias moraliter aggravantes neceſſario exponendas eſſe, quæ excedunt modum operandi ordinarium, & judicium confeſſarii de gravitate peccati notabiliter immutare poſſunt.

346 Dicendum. Circumſtantiæ in eadem ſpecie notabiliter aggravantes non ſunt materia neceſſaria confeſſionis. Prob. 1. Quia nulla obligatio præſertim gravis, & in materia alias ſatis difficili fidelibus debet imponi, niſi gravi, ac ſufficiente fundamento probetur; atqui obligatio, de qua hic agitur, eſt gravis, & in materia alias valde difficili, ut per ſe conſtat, nec ſufficienti fundamento probatur. Sane concilium Tridentinum, quoties docet in confeſſione exponendas eſſe circumſtantias, ſemper expreſſe addit hanc limitationem: *Si quæ ſpeciem peccati mutant*, qui modus loquendi plurimos potuiſſet inducere in errorem, ſi daretur obligatio etiam reliquas circumſtantias notabiliter aggravantes confitendi, eoquod juxta communem regulam juris, incluſio unius eſt excluſio alterius. Sic ſi concilium dum explicat obligationem exponendi peccata quoad numerum, & ſpeciem, ſemper addidiſſet hanc limitationem: Externa, merito exinde colligeretur, peccata mere interna non eſſe

esse necessario exponenda. Quodsi igitur agnovisset obligationem exponendi circumstantias intra eandem speciem aggravantes, potius istas, quam speciem mutantes debuisset exprimere, tum quia de prioribus magis dubitabatur, tum quia illas exprimendo, hoc ipso speciem mutantes inclusisset.

Probatur 2. Non datur obligatio confitendi circumstantias intra eandem speciem aggravantes, quæ se tenent ex parte actus, ut communiter concedunt ipsi Adversarii, & constat ex communi praxi fidelium, imo hoc plerumque esset moraliter impossibile: ergo neque circumstantias, quæ se tenent ex parte objecti; nam de utrisque procedunt eædem rationes; sicut enim furtum 10 florenorum æquivalet 10 furtis unius floreni, ita odium Dei durans per decem minuta æquivalet 10 odiis durantibus per unum minutum. Quin Adversarii vix audebunt dicere, quod detur obligatio explicandi quantitatem e. g. detractionis, aut an persona, cui facta est detractio, sit valde honorata, licet istæ circumstantiæ se teneant ex parte objecti. Conf. Si deberent exponi circumstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes, idem dicendum foret de circumstantiis minuentibus, quia æque possunt immutare judicium confessarii, cum utique maximum discrimen sit inter cædem conjugis in adulterio deprehensæ ex vehementissima passione perpetratam, & inter cædem ejusdem ex plenissima deliberatione, & nulla gravi præcedente offensa factam; atqui circumstantiæ minuentes non debent necessario exponi, ut rursus fatentur plerique ex Adversariis, & videtur suadere praxis communis. Aut quis obligabit fœminam ad repetendam confessionem forni-

nicationis præcife, quia tacuit circumftantiam incuffi metus gravis?

Objectiones.

348 OBj. 1. Juxta concilium Tridentinum in confeffione neceffario debent exponi omnia, & fingula peccata mortalia, & quidem integre, ac quoad totam fuam gravitatem; atqui circumftantiæ notabiliter aggravantes funt peccata mortalia, & fine illis peccata non exponuntur integre, ac quoad totam fuam gravitatem: ergo. Conf. Qui non confitetur actum externum, fuum peccatum non exponit integre, licet actus externus interno non addat novum numerum, aut fpeciem: ergo a pari. Refp. Dift. Maj. debent exponi omnia peccata mortalia integre, & faltem confufe, Conc. Maj. explicite, Subdift. quoad totam fuam gravitatem numericam, & fpecificam, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. & fic Dift. min. Conf. Si exponitur numerus, & fpecies peccatorum, peccata jam exponuntur fecundum totam fuam individuationem, & gravitatem fubftantialem; quod autem explicite etiam exponi debeat individuatio, & gravitas accidentalis, nullibi docuit Tridentinum, fed potius contrarium. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Actus externi non funt tantum aliqua circumftantia peccati, fed proprie peccatum, quod cum actu interno fubftantialiter complent, ac conftituunt: econtra circumftantiæ mere aggravantes, nec ad numerum, nec ad fpeciem peccatorum pertinent, fed illis tantum accidentaliter fupervenîunt, ut colligitur ex circumftantiis, quæ fe tenent ex parte actus.

Di-

Dices 1. Ex una parte circumſtantiæ aggravantes ſaltem moraliter mutant ſpeciem peccati; nam ſpecies nihil aliud eſt, quam apparentia, & mutatio peccati: ex altera parte ipſæ circumſtantiæ ſpecificæ ſolum debent exponi, quia habent rationem culpæ mortalis: ergo. Conf. juxta Tridentinum peccata occulta debent exponi, quia nonnunquam gravius ſauciant animam; atqui idem faciunt circumſtantiæ notabiliter aggravantes: ergo. Reſp. Neg. Ant. quoad 1 membr. Diſt. quoad 2. Circumſtantiæ ſpecificæ ſolum debent exponi, quia habent rationem culpæ mortalis qualiscunque, Neg. Ant. culpæ mortalis ſpecie, & ſubſtantialiter diverſæ, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Species in conſideratione theologica non eſt quævis diverſa apparentia, & æſtimatio peccati, ſed orta ex oppoſitione cum legibus formaliter diverſis, qualis diverſitas non datur inter legem prohibentem e. g. furtum unius, & prohibentem furtum 10 aureorum; hinc licet exceſſus gravitatis non ſit accidentalis reſpectu furti individuo, eſt tamen accidentalis reſpectu furti in in ſpecie. Ad Conf. Neg. Maj. Concilium non dicit *Quia*, ſed *Quæ* nonnunquam gravius ſauciant, ut videlicet refutet hæreticos docentes, peccata interna non eſſe tam gravia, ut clavibus ſubjici debeant. Ratio itaque cur iſta peccata debeant exponi juxta Tridentinum eſt, quia ſunt peccata mortalia diſtincta. 349

Dices 2. Non eſt paritas inter circumſtantias, quæ ſe tenent ex parte objecti, & ex parte actus; nam iſtæ difficillime cognoſcuntur, & ſæpe moraliter impoſſibile eſt, ut ſatis explicentur: illæ vero facile cognoſci, & explicari poſſunt. Conf. Quia ſæpe aliqua peccata reſervantur ob circumſtantias mere aggravan- 350

vantes e. g. peccatum incendii, licet non differat ſpecie ab alio injuſto damno. Reſp. Neg. Ant. Nam 1. etiam circumſtantiæ ex parte objecti ſæpe difficillime poſſunt explicari e. g. in detractione, ſcandalo, damno dato. 2. Sæpe facile cognoſcuntur circumſtantiæ ex parte actus externi e. g. oſcula, tactus cum fornicatione conjuncti. 3. Idem eſt de mora actuum internorum e. g. vindictæ, delectationis venereæ. 4. Iſtæ circumſtantiæ ſaltem poſſent exprimi in confuſo per particulas mediocriter, vehementer &c., ferme ſicut quandoque numerus explicari debet per particulas aliquoties, ſæpe, quotidie &c. Ad Conf. Cum peccata ſæpe reſerventur, quando ſunt publica, aut ſæpius commiſſa, quin publicitas, aut relapſus ſemper ſint circumſtantia mortaliter aggravans, ejusmodi circumſtantiæ ſolum ſunt materia neceſſaria confeſſionis ratione reſervationis, aut cenſuræ, quæ ante abſolutionem ſacramentalem tolli debet; imo etiam ante confeſſionem id fieri poſſet. Vid. num. 340.

351 Obj. 2. Ideo juxta Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 5 omnia peccata mortalia debent exponi quoad numerum, & ſpeciem, quia alias ſacri judices non poſſent de gravitate criminum recte cenſere, & pœnam proportionatam pro illis imponere; atqui hæ ipſæ rationes pugnant pro circumſtantiis aggravantibus: ergo. Conf. circumſtantiæ aggravantes ſæpe magis mutant judicium confeſſarii, quam numerus, aut circumſtantiæ ſpeciem mutantes. Sic qui eodem actu furatur 100 florenos, meretur graviorem pœnam, quam alius, qui duobus diſtinctis actibus furatus eſt duos florenos, aut unum alteri vi extorſit. Reſp. Diſt. Maj. Quia alias ſacri judices nullo modo poſſent cenſere de gravitate criminum, nec imponere pœnitentiam

ullo modo proportionatam, Conc. Maj. quia non poſſent cenſere de gravitate criminum exactiſſime, nec imponere pœnitentiam quaſi mathematice proportionatam, Neg. Maj. & ſuppoſitum, quod Chriſtus tam exactum judicium requiſiverit, alias etiam deberent exponi circumſtantiæ minuentes. Nempe ſi quis cum Lutheranis ſolum in genere diceret: Peccavi graviter, nulla æquitas, & proportio in pœnitentia ſervari poſſet, ſed omnibus eadem eſſet injungenda; unde Sacerdos nec perſonam judicis, nec medici apte ſuſtineret. Longe aliter ſe res habet in noſtra ſententia, juxta quam, & numerus, & ſpecies peccatorum diſtincte exponi debent. Ad Conf. Sicut aliæ leges ita præceptum confeſſionis non attendit ad caſus ſingulares, ſed ad id, quod ordinarie ſequeretur, neque circumſtantiæ aggravantes judicium confeſſarii communiter ita immutant, ſicut circumſtantiæ ſpecificæ.

Dices 1. Quamvis judicium confeſſarii non debeat eſſe exactiſſimum, neque pœnitentia peccatis mathematice proportionata, debet nihilominus obſervari proportio quædam moralis; atqui neque hoc in noſtra ſententia fieri poteſt; cum utique nulla ſit proportio inter inceſtum in primo, & in tertio gradu, inter furtum unius, & mille florenorum. Conf. Si Princeps præcipiat judici ſubordinato, ut diligenter inquirat in gravitatem criminum, ut rectum de iis judicium ferat, & pœnam proportionatam injungat, non ſatisfacit ſuo officio judex, qui explorata ſolum differentia ſpecifica circumſtantias notabiliter aggravantes negligit, eſto, quod Princeps de illis nullam fecerit mentionem. Reſp. Diſt. Maj. Debet obſervari proportio quædam moralis reſpondens 352

numero, & gravitati ſpecificæ peccatorum, Conc. Maj. etiam circumſtantiis mere aggravantibus, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Licet confeſſarius juſte poſſet injungere graviorem pœnitentiam, ſi pœnitens etiam circumſtantias aggravantes exponeret, ad id tamen non tenetur, niſi circumſtantiæ ſint ſpecificæ, ut juxta multos ſit in primo gradu inceſtus reſpectu tertii. Ad Conf. Chriſtus Sacramentum pœnitentiæ non inſtituit quoad omnia per modum judicii forenſis, in quo ſine cognitione circumſtantiarum aggravantium ſæpe de ipſa ſubſtantia delicti nequit ſufficienter haberi notitia, quanta in foro externo requiritur; alias etiam in hoc foro judex plerumque non amplius in circumſtantias indagare ſolet; econtra etiam diligenter debet expendere circumſtantias minuentes.

353 Dices 2. Ex una parte nunquam poteſt dari circumſtantia, quæ ita minuat gravitatem peccati, ut illud manens mortale non amplius quoad gravitatem æquivaleat uni mortali: ex altera parte tacens circumſtantias alleviantes tantum faceret, ne ſibi imponeretur pœnitentia minor; ſi vero illas exponeret, ſe vellet excuſare, cum tamen nulli peccato pœnitentia nimis magna imponi valeat, ſed quodlibet ſit ſummum malum; atqui hæc longe aliter ſe habent in circumſtantiis aggravantibus: ergo. Conf. Quia circumſtantias alleviantes confeſſarius ſine injuria pœnitentis poteſt ſuſpicari. Reſp. Nego ſuppoſitum, quod circumſtantia notabiliter minuens debeat facere, ut peccatum quoad gravitatem non amplius æquivaleat mortali, quia nihilominus poteſt eſſe notabiliter minus. Dein ſi Chriſtus voluiſſet, ut confeſſarins tam exactum de ſtatu peccatoris formet judicium, ut volunt Adverſarii, tam parum eſſet imperfe-

fectum illas exponere, quam circumstantias tollentes malitiam specificam peccati. Item si non esset contra voluntatem Christi imponere pœnitentiam justo majorem, & improportionatam circumstantiis minuentibus, neque contra ejus voluntatem erit imponere talem, quæ non correspondeat circumstantiis aggravantibus, modo sit proportionata substantiæ, & numero peccatorum. Ad Conf. Licet confessarius circumstantias minuentes possit suspicari sine injuria peccatoris, id ordinarie nequit sine imprudentia, præsertim si sint extraordinariæ.

Obj. 3. In decreto Gratiani ad finem sunt 354
varii canones pœnitentiales, in quibus præscribitur major pœnitentia imponenda ob circumstantias mere aggravantes; hinc concilium Lateranense IV can. 21 inquit: *Sit Sacerdos discretus diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias & peccati*; pariter Innocentius III cap., Deus qui de pœnit. & remiss. præcipit: *Ut consideratis omnibus circumstantiis competens pœnitentia delinquentibus imponatur.* Conf. S. Augustinus lib. de ver. & fals. pœnit. cap. 12 & lib. 2 de visit. infirm. cap. 5 recitatis variis circumstantiis loci, temporis, personæ &c. ait: *Omnia ista confitenda esse, & deflenda. Item si taceantur, aut callide pallientur, animam jugulare.* Ergo. Resp. In his textibus vel contineri merum consilium, ut observat S. Bonaventura in 4 dist. 17 p. 3 art. 2 vel sermonem esse de casu, quo notitia circumstantiarum confessario est necessaria, ut sciat pœnitentem esse rite dispositum, ut possit præscribere medicinam, pœnitentiam accommodare ætati, imbecillitati &c., nam faciunt mentionem etiam circumstantiarum nullatenus aggravantium, sed potius minuentium, imo etiam impertinentium

 lo-

loci, temporis, perſonæ &c. Præterea illis temporibus fervente adhuc prima charitate, ac humilitate graves pœnitentiæ imponebantur pro peccatis ſolum venialibus, aut iis defectibus, qui per ſe nec veniales erant e. g. pro uſu matrimonii die dominica jejunium 4. dierum in pane, & aqua. Ad Conſ. eadem eſt reſponſio: Inſuper librum de vera, & falſa pœnitentia non eſſe S. Auguſtini, jam alibi adverti, nec id certo conſtat de illo, qui inſcribitur de viſitatione infirmorum.

355 Dices 1. Catechiſmus Romanus de Sacrament. pœnit. tit. de condit. & circumſtant. ad confeſſ. requiſit. ita habet: *Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem vel augent, vel minuunt*: ergo. Conf. Quando auctores antiqui docent, quod circumſtantiæ aggravantes non ſint materia neceſſaria confeſſionis, ſolum loquuntur de circumſtantiis leviter aggravantibus: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Catechiſmus Romanus imprimis non videtur loqui de confeſſione prout præciſe ad juſtificationem, ſed etiam ad directionem pœnitentis neceſſaria eſt. Dein æque docet exponendas eſſe circumſtantias minuentes; de aggravantibus vero in exemplum affert meras circumſtantias ſpecificas adulterii, ſacrilegii, inceſtus, & licet inferius addat majorem quantitatem furti, mox iterum ait: *Præſertim vero, qui ſacram pecuniam abſtulit.* Quo modo loquendi indicat, non eſſe certum, quod ſola major quantitas materiam neceſſariam confeſſionis conſtituat. Merito itaque huic catechiſmo præferimus ipſum concilium Tridentinum, quod clarius nobis favet, quam catechiſmus adverſatur. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium patet ex ipſis antiquorum

rum verbis, & nominatim de S. Thoma, ac S. Antonino aperte oſtendit P. Antonius Mayr diſp. 2 q. 3 art. 7 de Mater. Sacram. pœnit.

Dices 2. Concilium Tridentinum tantum voluit agere contra hæreticos, non vero definire ſententias inter catholicos Doctores controverſas: ergo. Conf. Ex illis ipſis Doctoribus, qui concilio interfuere, poſtea aliqui tradiderunt, ſententiam nobis oppoſitam, quos ſubin multi alii ſecuti ſunt. Reſp. Licet Tridentinum in hac materia nihil voluerit definire explicite, ſatis clare tamen nobis favet implicite, ut ipſi Adverſarii in aliis materiis inter catholicos controverſis reſpondere ſolent, quando hujus concilii auctoritatem pro ſe allegant. Quod ſi nullam omnino mentionem circumſtantiarum feciſſet, fors poſſet dici, quod ab hac quæſtione voluerit abſtrahere: at quia circumſtantias ſpecificas expreſſe nominat, & a mere aggravantibus contradiſtinguit, præbuit ſane anſam inferendi, alias non eſſe exponendas. Ad Conf. Cum aſſiſtentia Spiritus ſancti ſoli concilio, non cuilibet Auctori privato promiſſa ſit, ſine temeritate dici poteſt, quod Auctores illi non ſatis penetraverint omnes concilii deciſiones, & conſecutiones, quæ inde probabilius deduci poſſunt. Certe Bajus, licet Tridentino interfuerit, poſtea docuit multa, eidem palam oppoſita. 356

Obj. 4. Saltem illæ circumſtantiæ aggravantes ſunt materia neceſſaria confeſſionis, quæ excedunt ordinarium modum peccandi; cum enim has circumſtantias confeſſarius nequeat prudenter ſuſpicari, pœnitens illas reticens confeſſarium fallit, & peccatum ſuum non rite exponit. Conf. Pœnitens confeſſario interroganti debet circumſtantias aggravantes 357

fateri, ut patet ex propositione 59 ab Innocentio XI damnata: *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Ergo ipse pœnitens debet eas exponere, quia Sacramentum pœnitentiæ requirit accusationem sui spontaneam, & interrogatio confessarii non imponit, sed supponit obligationem exponendi. Resp. Neg. Ant. Qui non exponit circumstantias aggravantes, illas proprie non reticet, sed potius implicite, & confuse confitetur; hinc confessarium non fallit, sed ad summum ejus deceptionem permittit, qui tamen, si prudens est, & nolit interrogare, potius præscindet, præsertim, quia valde difficile est determinare, quinam modus peccandi sit ordinarius. Ad Conf. Omitt. Ant. Neg. Conf. Ad Sacramentum pœnitentiæ per se tantum requiritur spontanea accusatio de materia necessaria; quia autem pœnitens per ipsam confessionem confessario tanquam suo judici, & medico se subjecit, juxta Lugonem ille habet jus interrogandi, & obligationem fatendi circumstantias pœnitenti imponere potest, quamvis id neget Dicastillo, nisi in casu per accidens, ubi id necessarium est ad cognoscendam dispositionem, & directionem pœnitentis, sicut ordinarie est apud consuetudinarios.

358 Dices 1. Juxta nos, qui mille florenos abstulisset, aut centum uno actu occidisset, sufficienter se accusaret dicendo: commisi furtum grave. Occidi, vel homicidium commisi; hoc non potest dici; alias etiam sufficienter se accusaret 1, qui in casu posito diceret: Furatus sum tres, vel quatuor florenos. 2. Qui integro anno perseverasset in voluntate alterum occidendi, & diceret: Volui committere homicidium. 3. Qui ligatus peccasset cum ligata, & diceret: commisi adulterium. Resp. Conc. Maj.

Maj. quoad 1mum membr. Neg. quoad 2dum. Qui dicit: commiſi furtum grave, licet gravitatem non clare exprimat, illam tamen non negat, ſed confuſe, & implicite fatetur, qui autem dicit: Occidi, vel homicidium commiſi, implicite negat cædem plurium, quia ejusmodi verba in communi modo loquendi pariunt ſenſum excluſivum; atqui non licet circumſtantias aggravantes poſitive negare, alias non exponitur peccatum proprium, & confeſſario præſcinditur occaſio de circumſtantiis interrogandi; hinc talis deberet ſaltem dicere: occidi plures. Ex quibus jam patet ad ſequelam 1 minori additam. Ad 2 pariter impoſſibile eſt, quod iſta voluntas nunquam fuerit interrupta, adeoque non exprimeretur numerus peccatorum. Ad 3, vel tale adulterium omnino differt ſpecie a ſimplici, ut vult Vaſquez, Lugo &c., vel certe adulterium ſimpliciter prolatum tantum ſimplex ſignificat.

Dices 2. Qui in confeſſione negat materiam non neceſſariam, nec in re gravi mentitur, nec confeſſarium fallit; ſed circumſtantiæ mere aggravantes e. g. conſuetudo peccandi non eſt materia neceſſaria confeſſionis: ergo juxta nos ſine peccato gravi poſſet negari, & talis peccatum ſuum ſatis adhuc exponeret, ſicut ille, qui occidiſſet puellam, & diceret: occidi puerum. Conf. Saltem noſtra ſententia non eſt certa: ergo non licet illam ſequi in praxi. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. Circumſtantia aggravans non eſt materia neceſſaria confeſſionis ex ſuppoſitione confeſſarii interrogantis, Neg. min. per ſe, Subdiſt. in quantum non debet neceſſario exponi explicite, Conc. min, quaſi neque confuſe, & implicite exponi debeat, Neg. min. Quilibet enim tenetur conſite- 359

fiteri peccatum suum, & quidem integre, quod nullo modo facit, si de illo negat circumstantiam gravem: cumque insuper confessarius possit retinere peccata, vel imponere pœnitentias medicinales, pro jure suo exigit, ut pœnitens sincere respondeat, alias in re gravi utique injuste decipitur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Quia hæc quæstio non versatur circa valorem Sacramenti, de cujus essentia est sola integritas formalis.

QUÆSTIO IV.

An peccata positive dubia sint materia necessaria confessionis?

360 DUbium stricte sumptum est suspensio intellectus inter utramque partem contradictionis ob apprehensum periculum erroris. Dividitur in positivum, & negativum. Prius est, quod oritur ex contrariis pro utraque parte rationibus vere probabilibus, ac de se sufficientibus ad prudentem assensum, vel dissensum; posterius est, quod oritur ex defectu, & sufficientia rationum ad prudens judicium. Si pro neutra parte adest ulla ratio veri, appellatur dubium mere negativum: si autem adsunt aliqua motiva insufficientia quidem ad prudens judicium, attamen sufficientia ad prudentem suspicionem, & metum, erit dubium non mere negativum. Materia, circa quam dubium versari potest, in ordine ad hanc quæstionem triplex est. 1. Utrum peccatum, quod constat esse mortale, fuerit commissum? & hoc communiter vocatur dubium facti. 2. Utrum peccatum, quod constat esse commissum, sit mortale? & hoc vocatur dubium juris. 3. An peccatum, quod constat esse mortale, & commissum fuisse, jam aliquando rite fuerit expositum in

con-

confeſſione ? quod dubium non tam circa peccatum, quam confeſſionem peccati verſatur.

Dicendum 1. Peccata poſitive dubia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, ſive ſint dubia dubio facti, ſive juris. Ita contra paucos communiſſima adeo, ut Illſung, & Sporer hanc ſententiam vocent unanimem Theologorum. Prob. Poſitive dubitans dubio facti, aut juris habet rationem vere gravem judicandi, quod peccatum, de quo dubitat, vel non commiſerit, vel non ſit mortale : ergo non tenetur illud confiteri, ſed poteſt ſe reſolvere, quod graviter non peccaverit, aut ſaltem hic, & nunc lege confeſſionis non obligetur, eoquod hæc obligatio ſit dubia, præſertim ſi habeatur gravis ratio judicandi, quod nunquam fuerit contracta ; lex autem dubia non obliget. Conf. Præceptum confitendi non obligat niſi ex hypotheſi, quod commiſſum ſit peccatum grave, idque peccanti ſit ſufficienter notum ; ſed in caſu dubii poſitivi juxta principia probabiliſmi peccatum non eſt ſufficienter notum, ſed potius quaſi ignoratum, adeoque libertas hominis manet in poſſeſſione, de quo propter merum dubium non debet dejici : ergo. 361

Dicendum 2. Licet aliquis ſciat, ſe commiſiſſe peccatum grave, ſi tamen poſitive dubitet, an illud non jam rite fuerit confeſſus, non tenetur illud rurſus confiteri. Ita teſte Illſung, & Platelio rurſus communis. Prob. Quia etiam ita dubitans habet ſufficientes rationes prudenter judicandi, quod peccatum ſuum jam ſit confeſſus, vel ſaltem lex confeſſionis ipſum non amplius proxime obliget ; niſi enim tale judicium probabile ad extinguendam proximam præcepti obligationem ſufficeret, innumeræ orirentur perplexitates, anxietates, & ſcru- 362

puli, cum in moralibus raro habeatur certitudo, certaque eorum, quæ fecimus, memoria. Conf. In aliis præceptis, quorum transgressio materialis post se non trahit novum peccatum, aut damnum tertii, sufficit adimpletio probabiliter præstita, ut in recitatione breviarii, auditione Missæ &c.; ergo etiam in præcepto confessionis, alias nimis difficile foret, si obligaret ad rursus satisfaciendum legi, licet habeatur prudens, & gravis ratio, quod eidem jam sit satisfactum. Cæterum supposito, quod alias in similibus sententiis liceat sequi sententiam minus probabilem relicta tutiore, utraque conclusio etiam hic procedit, modo adhuc haberi possit vera, ac theologica probabilitas, quod obligatio confitendi peccatum, de quo dubitatur, nunquam fuerit contracta, vel eidem jam fuerit satisfactum.

Objectiones.

363 OBj. 1. Quod in lege antiqua fuit materia necessaria contritionis, est in nova materia necessaria confessionis; atqui in lege antiqua peccata positive dubia fuerunt materia necessaria contritionis; alias positive dubitans tunc se exposuisset periculo æternæ damnationis, si reipsa tale peccatum commisisset, nec de illo elicuisset contritionem. Conf. Confessio in lege nova fuit subrogata contritioni: ergo. Resp. Dist. Maj. omne illud, quod in lege antiqua fuit materia necessaria contritionis, est in nova materia necessaria confessionis, Neg. Maj. aliqua ex illis, nempe peccata, de quibus habemus sufficientem notitiam, Conc. Maj. & Omiss. min. Neg. Conf. Ad Conf. Dist. Ant. fuit subrogata contritioni quoad aliqua, Conc. Ant. quoad omnia, Neg. Ant. Nam 1. Contritio in le-

lege veteri erat unicum remedium peccati; nunc datur duplex videlicet contritio & Sacramentum. 2. Antiqui tenebantur ad contritionem, quoties proxime urgebat præceptum procurandi ſtatum gratiæ: talis obligatio confitendi modo non datur e. g. ante ſuſceptionem Confirmationis, quia ſtatus gratiæ poteſt recuperari per contritionem. Hinc 3 præcepto confitendi ſatisfit, ſi in confeſſione explicite exponantur peccata, de quibus ſufficienter conſtat, dubia vero implicite, in quantum in confeſſione aliorum peccatorum incluſa cenſentur, & ſic a Sacerdote remittuntur indirecte, ut omnes dicere debent de peccatis invincibiliter ignoratis.

Dices 1. Pœnitentia in lege nova ſemper 364
involvit confeſſionem, & ipſa contritio eſt votum confeſſionis, ut colligitur ex concilio Tridentino, quod ſeſſ. 6 cap. 4 docet, chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum non modo ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem, & cor contritum continere, verum etiam eorundem ſacramentalem confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam: ergo. Conf. Morbi, & vulnera etiam dubia debent aperiri medico: ergo peccata dubia Sacerdoti. Reſp. Diſt. Ant. ſemper involvit confeſſionem, & contritio eſt votum confeſſionis illorum peccatorum, de quibus nobis ſufficienter conſtat, Conc. Ant. etiam dubiorum, Neg. Ant. & Conſ. Contritio, quæ in lege nova etiam eſt aliquod genus pœnitentiæ, eatenus eſt votum confeſſionis, quatenus in ſe includit propoſitum ſervandi omnia præcepta ſaltem graviter obligantia; cum igitur præceptum confitendi peccata poſitive dubia probabilius non detur, contritio ſolum eſt votum confitendi illa peccata, quorum ſufficientem habemus notitiam. Nec

plus

plus vult Tridentinum, ut quæst. seq. videbimus. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Si morbi, & vulnera dubia debent aperiri medico, tunc quia alias ægrotus ab ipsis non potest sanari, hæc ratio non pugnat de confessione peccatorum dubiorum, ut ex dictis colligitur.

365 Dices 2. Lex confitendi peccata mortalia, est certa, & insuper pœnitenti favorabilis; nam affert maximum fructum, si vero non rite confiteretur, incurreret maximum malum: ergo. Conf. Si revera daretur præceptum confitendi peccata dubia, illis omissis confessio esset nulla: ergo ob probabilem rationem non licet illam exponere periculo nullitatis. Resp. Dist. Ant. Lex confitendi peccata mortalia, quorum habemus sufficientem notitiam, est certa, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. quoad hoc membr. & Dist. etiam alterum. Hæc lex pœnitenti est favorabilis, simul tamen onerosa, & odiosa, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. Etiam onera conjuncta cum favore non sunt aggravanda, maxime si favor sine illis potest obtineri, ut in nostro casu. Cum enim juxta omnes certum sit, quod ad valorem Sacramenti non semper requiratur integritas materialis, sed sæpe sufficiat formalis, qui peccata dubia in confessione omittit, nullum patitur damnum, sed modo habeat dolorem universalem, ab omnibus absolvitur, sicut a peccatis invincibiliter ignoratis. Hinc ad Conf. Neg. Ant. Quippe moraliter idem est non recordari alicujus peccati, & bona fide judicare non dari obligationem illud confitendi; unde quæstio hic solum est de licentia omittendi peccata dubia, sicut fuerat de circumstantiis mere aggravantibus.

366 Obj. 2. Illa peccata sunt materia necessaria confessionis, de quibus ante sumptionem Evcharistiæ debemus conteri; atqui de peccatis

tis positive dubiis ante sumptionem Evcharistiæ debemus conteri, ut patet ex illo Apostoli 1 ad Cor. 11. v. 28: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat;* quod Tridentinum sess. 14 cap. 3 ita explicat: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Evcharistiam accedere debeat.* Conf. Quia alias esset periculum, ne S. Evcharistiam sumat infructuose. Resp. Neg. Maj. quæ adeo non probatur ex Tridentino, ut ex illo potius contrarium colligatur, eoquod solum asserat, illos ante S. Evcharistiam confiteri debere, qui sibi conscii sunt peccati mortalis; atqui de peccatis positive dubii de illis non sunt sibi conscii. Quod si etiam confiteri tenerentur, nondum sequeretur, quod in illa confessione directe, & explicite deberent exponere peccata dubia; possent enim explicite confiteri aliud peccatum, & sic indirecte de dubiis absolvi. Ad Conf. Neg. Ant. Quia hoc periculum sufficienter removetur per contritionem, vel confessionem aliorum peccatorum.

Dices 1. Ideo ante S. Communionem non 367
sufficit de peccatis certis tantum conteri, ut magis removeatur omne periculum irreverentiæ; sed hæc ratio etiam procedit de peccatis dubiis: ergo. Conf. Nisi quis absolute possit judicare, quod non peccaverit graviter, solum est probabile, quod Sacramentum sit futurum fructuosum; atqui positive dubitans nequit absolute judicare, quod non peccaverit graviter: ergo. Resp. Dist. Maj. ideo solum, Neg. Maj. quia simul aliunde constat, quod peccata certa aliquando in confessione debeant exponi, Conc. Maj. ex eo, quod Christus ob specialem re-

reverentiam erga S. Evchariſtiam nos voluerit obligare, ut prius confiteamur illa peccata, ad quæ confitenda jam aliunde tenemur, non ſequitur, quod etiam præceperit confiteri illa, quæ alias ſub præcepto confeſſionis non continentur, & ille longe minus videtur reverens, qui conſcius ſibi peccati mortalis cum ſola contritione accedit, quam qui de ſuo peccato, de quo conteritur, ſolum dubitat, & ex gravi ratione poteſt judicare, quod illud non commiſerit. Ad Conf. Neg. Maj. Qui conatus eſt ſincerum elicere dolorem, de fructu hujus Sacramenti tam parum poteſt dubitare, quam de fructu aliorum Sacramentorum, ad quæ licite ſuſcipienda juxta ipſos Adverſarios ſufficit contritio. Dein etiam minor in materia probabiliſmi communiter negatur. Denique ex hoc argumento ad ſummum ſequeretur, quod ſumptioni Evchariſtiæ debeat præmitti confeſſio alicujus certi peccati.

368 Dices 2. Ex ultima reſponſione ſequeretur, quod ille, qui tantum haberet peccata mortalia dubia, ante communionem neceſſario deberet confiteri peccatum veniale; atqui peccatum veniale non debet in confeſſione neceſſario exponi: ergo. Conf. Qui æque habet rationem probabilem, quod graviter peccaverit, quam quod non peccaverit, nequit deponere dubium, præſertim quia probabilitas non cadit ſupra ipſam legem confitendi, ſed tantum ſupra aliquid remotum, nempe immunitatem a peccato gravi; atqui in dubio non licet operari: ergo. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. peccatum veniale non debet neceſſario exponi per ſe, & ratione ſui, Conc. min. per accidens ratione mortalis dubii, ſeu periculi reddendi Sacramentum infructuoſum, Neg. min. ſiquidem ponatur, hoc periculum alio modo non ſatis poſ-

ſe removeri. Ad Conf. Diſt. Maj. Talis nequit deponere dubium ſpeculativum, Tranſ. Maj. dubium practicum, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Poſitive dubitans ita poteſt ſtatuere: Quando conſideratis omnibus mihi probabilius videtur, quod aliquid non ſit materia neceſſaria confeſſionis, illud licite omitto; atqui mihi probabilius videtur, quod peccatum dubium non ſit materia neceſſaria confeſſionis: ergo. Ubi vides, quod probabilitas de immunitate a peccato, neceſſario poſt ſe trahat probabilitatem de immunitate obligationis, eaque additis ſententiæ noſtræ principiis major evadat.

Obj. 3. Si aliquis ſcit ſe peccaſſe, præceptum confeſſionis eſt in poſſeſſione: ergo ejus 369
obligatio non tollitur per hoc, quod eidem probabiliter ſit ſatisfactum, ſed tale peccatum de novo debet exponi, præſertim quia factum non præſumitur, ſed probari debet. Conf. Contra certitudinem nulla datur probabilitas; ſed obligatio tale peccatum confitendi eſt certa: ergo. Reſp. Diſt. Ant. præceptum confeſſionis eſt in poſſeſſione antecedenter ad probabilem ejus impletionem, Conc. Ant. conſequenter ad illam, Neg. Ant. Quando aliquis ex gravi ratione poteſt judicare, quod peccatum ſuum jam ſit confeſſus, factum non tantum præſumit, ſed ex gravi & probabili motivo probat, quod autem Deus hac probatione contentus ſit, patet ex dictis num. 362. Neque ex hoc Deo, aut pœnitenti aliquod damnum oritur, ſed ſi peccatum revera expoſitum non fuiſſet, aliis adhuc mediis tolli poſſet. Ad Conf. Diſt. Maj. contra certitudinem nulla datur probabilitas in ſenſu compoſito, & quamdiu adhuc manet certitudo, Conc. Maj. in ſenſu diviſo, & ſi certitudo non amplius manet, Neg.

Maj.

Maj. & Dist. min. obligatio confitendi tale peccatum est certa per se, & quamdiu illi probabiliter non est satisfactum, Conc. min. secus, Neg. min. & Conf.

370 Dices 1. Præcepto Baptismi non satisfit, per Baptismum probabiliter susceptum. 2. Qui certo possidet aliquod prædium, non potest sua possessione privari propter superveniens probabile jus alterius. 3. Per solutionem tantum probabilem, & dubiam non extinguitur debitum certum: ergo a pari. Resp. Neg. paritatem. Nam 1 Baptismus est necessarius necessitate medii, & sine illo reipsa suscepto nullum aliud Sacramentum valide suscipi potest: at confessio hujus determinati peccati non est necessaria necessitate medii. 2. Superveniens jus probabile alterius nihil tollit de certitudine possessionis, nec prævalet titulo probabili, quem certus possessor habet; unde melior manet conditio possidentis: econtra in nostro casu ipsa obligatio confitendi fit dubia. 3. Probabilitas solutionis dubiæ non avertit damnum, quod alter pateretur, si debitum a parte rei solutum non fuisset; hinc creditores non solent esse contenti solutione tantum probabili, sed juxta Laym. Dian., Tambur. &c. manet obligatio iterum solvendi partem pro qualitate dubii, nisi debitum tantum fuisset ex liberali promissione; tunc enim juxta Lug., Pallav. aliosque etiam per solutionem probabilem extinguitur.

QUÆSTIO V.

An saltem peccata negative dubia sint materia necessaria confessionis?

371 QUod ille, qui certo, aut unice probabiliter scit, se grave peccatum commisisse, ne-

negative autem dubitat, an illud jam fuerit confeſſus, idem rurſus exponere teneatur, facile conveniunt Auctores; quia in hoc caſu conſtat de gravi culpa admiſſa, de confeſſionis obligatione, quin vel probabiliter conſtet de ejus impletione: ergo præceptum confeſſionis manet in ſua poſſeſſione, a qua per dubium negativum non poteſt deturbari. Excipiunt tamen 1 illum, qui ſemper bona fide, ac præmiſſo debito examine ſuas confeſſiones peragere ſolitus erat, & diu poſtea primum incipit dubitare, an hoc vel illud peccatum expoſuerit; nam pro tali eſt prudens, & poſitive probabilis præſumptio de peracta talis peccati confeſſione, licet hic, & nunc ejus non ſatis recordetur, ſicut nec plurium aliarum rerum præteritarum. Excipiunt 2, ſcrupuloſos ob nimis grave incommodum, ſi deberent repetere confeſſionem omnium eorum, de quibus dubitant, præſertim quia ſcrupuloſi plerumque variis anxietatibus cruciantur. Unde prudenter præſumere poſſunt ſe obligationi ſuæ ſatisfeciſſe.

Itaque præſens quæſtio eſt de dubio negativo juris, & facti, eoque non mere tali. 372
Cum enim dubium negativum mere tale concipiatur vel ex nullo, vel omnino levi, & irrationabili motivo, potius eſt mera neſcientia quam dubium: ergo merito ſine omni alio motivo contemnitur, & rejicitur; alias innumeri orirentur ſcrupuli. At vero peccata ſtricte negative dubia eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, docent plurimi, & graviſſimi Auctores, ut videri poteſt apud P. Antonium Mayr diſp. 2 q. 3 a. 3. Nihilominus pro ſententia negativa ſtant Caramuel, Stoz, Viva, Morinus, Ulloa &c. eandem ut probabilem agnoſcunt Caſtropalao, & alii. La Croix licet

cet teneat oppositam, dicit sententiam benigniorem ex rationibus intrinsecis esse probabiliorem, in quam vehementer etiam inclinant Layman, & Haunoldus asserens, illam jam sua ætate non habuisse pauciores patronos, quam sententia rigidior numeret.

373 Dicendum. Peccata negative dubia non sunt materia necessaria confessionis, sive sit dubium negativum juris, sive facti. Prob. 1. Quia obligatio confitendi peccata negative dubia nulla lege, aut efficaci ratione, quæ commode solvi nequeat, evincitur. Imo concilium Tridentinum sess. 14 cap. 5, ubi obligationem peccata mortalia confitendi doctrinaliter explicat, solum ait: *Oportere in confessione recenseri omnia peccata mortalia, quorum quis conscientiam habet*, & paulo post subjungit: *Constat nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut ea peccata confiteantur, quibus se Deum suum, ac Dominum offendisse meminerint*; atqui peccatorum, de quibus negative dubitamus, nec conscientiam, nec memoriam habemus; nam conscientia juxta S. Bernardum lib. 1 de consid. cap. 4, *Est cordis scientia*, & juxta S. Thomam p. 1 q. 19 c. 17: *Importat ordinem scientiæ ad aliquid*; memoria vero juxta eundem Doctorem Angelicum, & Philosophum non datur, nisi mens aliquid apud se pronunciet. Conf. Qui sibi conscius est, & meminit se debitum solvisse, recitasse horas canonicas &c. non tenetur rursus solvere, aut recitare; tenetur autem, qui de his negative dubitat: ergo juxta communem modum loquendi conscientia, & memoria non tantum accipitur pro dubio, sed pro scientia certa, aut unice probabili.

Pro-

Probatur conclusio 2. Quamdiu lex, & obligatio confitendi non est certa, aut unice probabilis, libertas manet in possessione; atqui lex, & obligatio confitendi peccata negative dubia non est certa, ut patet tum ex numero superiore; alias hanc obligationem utique agnovisset Tridentinum aliique viri doctissimi, tum ex eo, quia negative dubitans nullo modo est certus, quod graviter peccaverit, & sufficientem materiam absolutionis habeat. Major Prob. Quia in dubio melior est conditio possidentis, quae regula juris non solum in materia justitiae, sed etiam in moralibus locum habet. Sic ipsi Adversarii non facile negabunt, in dubio utrum aliquis voverit peregrinationem, votum non stringere, eoquod libertas sit in possessione contra obligationem dubiam, quae supervenit, ut contingit in nostro casu, in quo utique libertas, & immunitas ab onere confitendi certo aderat, antequam dubium de peccato, seu peccatum dubium superveniret. Conf. Dubium, quod adhibita morali diligentia vinci nequit, aequivalet ignorantiae invincibili, ut cum aliis notat Sanchez; atqui non datur obligatio confitendi peccata, quorum ignorantiam invincibilem habemus: ergo. 374

Objectiones.

OBj. 1. In quaestione facti standum est testibus; atqui utrum Christus voluerit in confessione exponi peccata negative dubia est quaestio facti, & incomparabiliter major auctoritas stat pro obligatione peccata negative dubia exponendi: ergo. Conf. Quid debeamus confiteri, dependet a jure positivo, & sola voluntate Christi: ergo hic nihil potest proba- 375

bari ex ratione. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Dum enim quæritur, an ex voluntate, & institutione Christi peccata negative dubia sint materia necessaria confessionis? formalissime quæritur, an detur obligatio illa confitendi; atqui hæc manifeste non est quæstio meri facti, alias quotiescunque de aliqua obligatione quæreretur, semper foret tantum quæstio facti, quia semper simul quæritur, an legislator tulerit aliquam legem vel non? Dein ex omnibus Auctoribus antiquis vix tres, aut quatuor proferri poterunt, qui de hac institutione Christi clarum testimonium perhibeant, aut illam ex traditione colligant, sed obligationem confitendi peccata dubia, vel nude asserunt, vel ratione probare conantur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Hoc ipso, quia hæc obligatio esset juris positivi, de cujus existentia non satis constat, valet argumentum negativum, & libertas manet in possessione, præsertim quia ex ipso Tridentino colligitur, hoc jus positivum non exstare.

376 Dices. Etsi antiqui non clare testentur de institutione Christi, nec se fundent in traditione, nihilominus obligationem peccata negative dubia confitendi vix non unanimiter adstruunt: ergo tamen illorum auctoritate standum est Conf. Quia multæ aliæ sententiæ ex sola auctoritate Doctorum probantur, uti reviviscentia meritorum, obligatio exponendi peccata prius inculpabiliter omissa &c. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ex antiquis pauci hanc quæstionem ex instituto examinarunt, & plurimi æqualiter loquuntur de peccatis positive, & negative dubiis, alii de dubio opinativo, in quo peccatum admissum unice est probabile, alii de dubio circa peccatum certo commissum, ut adductis auctorum verbis ostendit P.

P. Simonzin in moderam. conſc. Præterea ſi non plerique, ſaltem non pauci ſententiam ſuam deduxerunt ex principiis, quæ nunc ab ipſis Adverſariis rejiciuntur e. g. quod in dubio ſit tutior pars eligenda; unde hic æque magni ponderis eſt auctoritas Recentiorum, qui materiam hanc ex inſtituto examinarunt, & noſtram ſententiam deduxerunt ex ipſo Tridentino, cujus ſolius auctoritas facile auctoritatem Scholaſticorum enervat. Ad Conf. Ex auctoritate Scholaſticorum merito quidem probantur illæ ſententiæ, contra quas non etiam pugnat ſufficiens auctoritas, & melior ratio, quod autem merita reviviſcant, diſp. 1 quæſt. 6 probavimus ex Scriptura, & Patribus, & peccata gravia prius inculpabiliter omiſſa exponi debere, docet ipſum Tridentinum, dum loc. cit. ait, Omnia, & ſingula peccata, quorum conſcientiam, & memoriam habemus, exponenda eſſe.

Obj. 2. Juxta regulam S. Auguſtini lib. 377
4. contra Donat. cap. 6, quod univerſa tenet Eccleſia, nec a conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur; atqui ferme usque ad finem ſæculi XVI Eccleſia ſemper tenuit, peccata negative dubia eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, ut patet ex continua praxi fidelium, de qua præter alios teſtantur Sanchez, Oviedo, Cardenas &c. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. quæ ex praxi fidelium non ſatis probatur; non enim ſatis conſtat 1. An ſemper, & ubique in Eccleſia viguerit, quia non ſcimus, an illi, qui nobis confitentur, ſæpe peccata dubia non omittant, multo minus, quid faciant alii, aut quid ab exordio Eccleſiæ fideles in hoc arcano tribu-

nali fecerint. 2. An fideles univerſaliter illam exercuerint ex perſuaſione obligationis; nam paſſim etiam ſe accuſant de venialibus, & imperfectionibus, licet ſciant illas non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis. 3. Etſi hæc certa eſſent, res demum tota devolveretur ad auctoritatem; quippe fideles probi, & ſimplices id plerumque in praxin deducunt cum perſuaſione obligationis, ad quod ſe obligari audiunt ex Doctoribus, unde illorum praxis non plus probat, quam ipſorum auctoritas, quorum tamen nullus ſuam ſententiam ex hac communi praxi probavit usque ad Thomam Sanchez, neque ullo ſufficienti fundamento conſtat, fideles magis ſollicitos fuiſſe de exponendis peccatis negative, quam poſitive dubiis.

378 Dices. De peccatis poſitive dubiis poſſumus prudenter judicare, quod illa non comiſerimus, & hinc nos reſolvere, quod non teneamur eadem confiteri; in dubio autem negativo nemo ſe ita reſolvere poteſt: ergo non eſt paritas. Conf. Quamvis antiqui non ſatis diſtinxerint inter dubium poſitivum, & negativum, id tamen fecere Recentiores, qui jam ab initio ſæculi præcedentis negarunt obligationem exponendi peccata poſitive dubia, licet illam adſtruxerint pro peccatis negative dubiis. Reſp. Tranſ. Ant. quoad 1 membr. Diſt. 2, in dubio negativo nemo ſe ita poteſt reſolvere ex principiis directis, Conc. Ant. ex reflexis, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo non eſt paritas materialis, & quoad omnia, Conc. Conſ. formalis, & in ordine ad ea, in quibus inſtituitur, Neg. Conſ. Negative dubitans poteſt ſe reſolvere ex his, & ſimilibus principiis, in jure receptis: In dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Quilibet

libet cenſendus eſt innocens , quamdiu non probatur nocens &c. ; quod autem obligationem confitendi peccata negative dubia attinet, omnes rationes petitæ ex ſenſu communi, praxi fidelium, auctoritate antiquorum, æque procedunt de peccatis poſitive dubiis. Ad Conf. Si Recentioribus illis ob ſuas rationes licuit recedere a ſententia antiquorum de peccatis poſitive dubiis , idem ob ſuas rationes licuit Patronis noſtræ ſententiæ de peccatis negative dubiis.

Obj. 3 Juxta concilium Tridentinum tenemur 379
exponere omnia peccata mortalia, quorum habemus conſcientiam ; ſed negative dubiorum habemus conſcientiam, quæ a Theologis communiter dividitur in certam, probabilem , & dubiam : ergo. Conf. Vox conſcientia in ipſo jure quandoque accipitur pro dubio, ut patet ex cap. Petitio tua de homicid. & cap. Inquiſitioni de ſent. excomm. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Conſcientia proprie dicta eſt actus intellectus, quo judicamus aliquid ad mores pertinens factum , aut faciendum, omiſſum, aut omittendum eſſe ; qui autem negative dubitat, nihil horum affirmat , vel negat : hinc diviſio in conſcientiam dubiam non eſt propria, ſed analoga, ut cum Laym. Illſ., la Croix communiter fatentur Auctores , alias etiam conſcientia ſcrupuloſa eſſet proprie talis, quia etiam in hanc conſcientia in genere dividi ſolet. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ex eo, quod jura in uno, aut altero caſu conſcientiam ſumant pro dubio, non ſequitur , quod dubium ſit conſcientia proprie talis , aut quod etiam concilium, dum exactam Sacramenti pœnitentiæ doctrinam tradere voluit, in ſenſu improprio ſit locutum, ut ipſi Adverſarii dicere debent, ſi fiat retorſio in peccata poſitive dubia,

de quali dubio probabilius ſermo eſt in cap. 24 petitio tua, in altero autem Inquiſitioni 44 de credulitate levi, ſeu ſcrupulo. Econtra cap. Quoniam 20 de præſcript. dicitur, quod præſcribere volens in nulla temporis parte debeat habere conſcientiam rei alienæ; & tamen continuationi præſcriptionis non obſtat dubium ſuperveniens.

380 Dices. Non eſt credibile, quod Patres Tridentini, qui omnes judicabant, peccata negative dubia exponi debere, vocem conſcientia tam ſtricte acceperint, & ſic ſuæ ſententiæ præjudicarint. Conf. In communi modo loquendi ſæpe dicimus, nos ea ſcire, quæ ab aliis audivimus, quamvis illa non certo ſciamus, nec abſolute credamus. Quodſi aliquis abſolute affirmet, ſe nullius mali ſibi conſcium eſſe, communiter intelligitur, quod nequidem habeat remorſum de malefacto a ſe admiſſo. Reſp. Neg. Ant. & Conſ. Tum quia longe minus credibile eſt, quod concilium obligationem exponendi peccata dubia non expreſſiſſet clarius, ſi illam agnoviſſet: tum quia etſi vocem conſcientia accepiſſet præciſive, nos merito per diſcurſum inde deduceremus, hanc obligationem non dari, eoquod verba, quibus concilium doctrinam catholicam declarat, accipienda ſint in ſenſu proprio. Nempe non omnes Patres fuere doctores ſcholaſtici, & ſi in ſenſu minus proprio deberent intelligi, etiam peccata poſitive dubia neceſſario exponenda forent. Ad Conf. Quamvis in vulgari uſu loquendi verba ſæpe ſumantur improprie, ideo non licet ita interpretari verba conciliorum, niſi gravis urgeat ratio. Interim nemo circumſpectus facile affirmabit, ſe ſcire ea, quæ non credit, ſicut viciſſim bene ait, ſe nullius mali ſibi conſcium eſſe, qui nul-

nullam habet probabilem cauſam, cur credat, ſe aliquod malefactum commiſiſſe.

Obj. 4. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 381
cap. 5 inquit: *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt*; atqui etiam peccata dubia memoriæ occurrunt: ergo. Conf. Catechiſmus Romanus de Sacrament. pœnit. tit. de condit. & circumſtant. ait: *Ea enim confeſſio eſſe debet, quales nos ipſos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonſtret.* Reſp. Neg. ſuppoſitum, quod Tridentinum his verbis obligationem confitendi jam declaret; id enim primum facit paulo infra, dum ait: *Conſtat nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam ut ea peccata confiteantur, quibus ſe Dominum, ac Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerint.* Unde in his verbis prioribus jam potuit non nihil largius loqui, cum utique etiam peccata dubia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponi valeant. Hinc male aliqui contendunt, concilium duntaxat declaraſſe, peccata eſſe confitenda, prout ſunt in conſcientia, vel memoria, cum abſolute dicat: *Quorum conſcientiam habemus. Quorum meminerimus.* Ad Conf. Ex verbis catechiſmi ſolum ſequitur, quod peccata certa non debeant exponi, ut dubia, aut viciſſim dubia ut certa, quia ſic confeſſio non eſſet aperta, & ſincera.

Dices. Quando Tridentinum dixit: *Con-* 382
ſtat nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi &c. egit contra hæreticos criminantes, confeſſionem omnium mortalium eſſe impoſſibilem ob imbecillitatem memoriæ: ergo conſcientiam, & memoriam præciſe accepit, prout opponitur oblivioni. Conf. Concilium

dicit *Conſtat*, ſive clarum, & certum eſt; atqui tunc neutiquam erat clarum, quod peccata negative dubia non debeant exponi; ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Licet Tridentinum principaliter egerit contra hæreticos, & clare docuerit non dari obligationem exponendi peccata, quorum datur omnimoda, & inculpabilis oblivio, nihilominus etiam voluit declarare doctrinam catholicam de obligatione confitendi, & nullibi aſſeruit illam extendi ad peccata dubia. Ad Conſ. dico, juxta concilium id ſolum eſſe clarum, ac certum, quod nihil aliud a pœnitentibus exigatur, quam ut confiteantur ea peccata, quorum conſcientiam habent, & meminerint; utrum autem peccata negative dubia ſint talia, nec olim erat certum, nec nunc conſtat, nos autem per diſcurſum deducimus, quod inter illa non contineantur, ſicut peccata poſitive dubia. Ex quibus intelligis concilium vocem conſcientiæ, & memoriæ explicite quidem accepiſſe generice abſtrahendo a ſtricto, aut late tali, implicite tamen peccata dubia excluſiſſe.

383 Obj 5. Dubitans de numero peccatorum, debet de illo numero ſe accuſare ſub dubio dicendo: Iſtud peccatum commiſi vigeſies circiter: ergo etiam dubitans, an peccaverit mortaliter, debet ſe de illo peccato accuſare ſub dubio, cum eadem ſit ratio, ſive dubitem, an peccatum ſimpliciter, an ſæpius commiſerim. Conſ. In dubio de homicidio commiſſo incurritur irregularitas: ergo in dubio de commiſſo peccato contrahitur obligatio confitendi. Reſp. Neg. Ant. Si enim quis habeat conſcientiam certam, quod peccatum aliquod commiſerit v. g. ter, negative autem

tem de majore numero dubitet, abſolute & per ſe loquendo exceſſum hujus numeri non tenetur exponere. Ratio eſt ea ipſa, quæ conſequenti additur, & inſtantia de dubio poſitivo. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod ob homicidium dubium incurratur irregularitas, habetur ſpecialis, ac certa diſpoſitio juris, quod autem peccata dubia debeant exponi, nulla lege certa præceptum eſt. Interim Auctores communiter ſuadent præſertim rudioribus, ut de peccatis dubiis nihilominus ſe accuſent ob periculum, ne ex amore proprio, aut nimio pudore ſibi ipſis nimis facile perſuadeant, peccatum revera certum eſſe dubium, & poſtea variis conſcientiæ angoribus torqueantur. Aliud eſt de ſcrupuloſis, quibus noſtra ſententia potius ſuaderi debet, alias de omnibus, quæ ipſis in mentem veniunt, incipient dubitare, & ſe accuſabunt, licet nihil eorum commiſerint.

QUÆSTIO VI.

An qui confeſſus eſt peccatum ut dubium, ſuperveniente poſtea notitia certa teneatur illud iterum confiteri ut certum?

QUia peccata in confeſſione exponi debent, 384
prout tunc ſunt in conſcientia, ne confeſſarius in re gravi ad confeſſionem pertinente decipiatur, ſatis certum videtur, quod ille, qui ſive bona, ſive mala fide peccatum aliquod, quod judicabat eſſe certum, confeſſus eſt ut dubium, vel viciſſim, poſtea illud iterum confiteri teneatur. Econtra, qui confeſſus eſt peccatum ut certum, quale tunc putabat eſſe, licet poſtea deprehendat eſſe dubium, non obligatur illud poſtea ut dubium ex-

exponere, nisi forte per accidens ob periculum propriæ famæ vel alterius damni. Idipsum dicendum de eo, qui bona fide confessus est majorem numerum, & postea rescit esse minorem. Ratio est, quia qui absolvitur a peccato certo, aut majori numero, longe magis absolvitur a peccato dubio, & numero minore in majori contento; neque talis sciens decepit confessarium, sed totam malitiam sui peccati quoad speciem, & numerum confessus est, prout tunc illam in conscientia habebat. Quod vero casum in titulo quæstionis propositum attinet, major est controversia, in qua videtur.

385 Dicendum. Qui bona fide confessus est peccatum ut dubium, postea vero deprehendit ut certum, non tenetur illud de novo ut certum confiteri. Ita Arriaga, Sporer, Rhodes, Stoz, Tamburin, aliique citati a P. Ant. Mayr disp. & quæst. cit. art. 12, & la Croix lib. 6 p. 2 n. 615 contra communem aliorum. Prob. 1. Negative, quia onus idem peccatum bis confitendi est grave, nec tamen sufficienter probatur. 2. Positive, quia peccatum ut dubium bona fide confessus exposuit totam illius malitiam quoad speciem, & numerum, ac ab eo non solum per concomitantiam, sed directe absolutus est; quippe certitudo, probabilitas, aut dubium se non tenent ex parte objecti, sed tantum ex parte intellectus, alias etiam, qui bona fide peccatum confessus est ut probabile dicendo: Puto me semel pejerasse. Comperta dein certitudine, deberet illud rursus confiteri ut certum, quod videtur esse contra communem, & expresse negat Illsung, licet noster adversarius. 3 A pari; qui enim confessus est bona fide peccatum numero incerto, vel certo po-

sito

sito pro incerto additis particulis circiter, plus vel minus &c. juxta communem praxim fidelium, & communissimum Doctorum sensum non tenetur illud rursus confiteri, licet illud tantum exposuerit sub dubio; qui enim confitetur, se blasphemasse decies circiter, blasphemiam undecimam, imo etiam decimam non nisi sub dubio exponit.

Objectiones.

OBj. 1. An Christus nos voluerit obligare 386
ad iterum exponenda peccata certa, quæ prius bona fide confessi sumus tantum ut dubia, optime colligitur ex auctoritate; atqui pro obligatione stat maxima auctoritas adeo, ut Cardin. Lugo pro nostra sententia nullum invenerit auctorem; Dicastillo autem eandem dicat in Ecclesia esse inauditam, alii cum Cardenas aliis censuris illam perstringant. Conf. ex communi Ecclesiæ, & fidelium praxi. Resp. Dist. Maj. optime colligitur ex auctoritate sacra, Conc. Maj. Scholasticorum, Subdist. si sufficienti nitantur fundamento, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. cum hæc obligatio ex una parte nullibi a S. Scriptura, aut conciliis asseratur: ex altera parte ab Adversariis utut numero magnis non satis probetur, merito sentimus cum paucioribus, præsertim quia ab ipsis Adversariis multi apud la Croix loc. cit. nostram sententiam tanquam probabilem agnoscunt. Certe Lugo etiam pro opposita sententia tantum tres Auctores invenit Thomam Sanchez, Turrianum, & Dianam, qui postremus nihil determinat, sicut ipse Lugo, Dicastillo autem, & Cardenas alias sæpe in suis censuris excedunt. Ad Conf. De hac praxi non satis constat, cum antiqui hanc contro-

troverſiam nunquam ex inſtituto diſcuſſerint, imo Arriaga putat, eam eſſe pro nobis, eoquod fideles numerum expoſitum ut dubium non amplius ſoleant confiteri, quando poſtea de illo certi redduntur. Vid. num. 377.

387 Dices. Quod peccata certa in confeſſione debeant exponi, clare docet ſacra auctoritas: ergo huic obligationi non eſt ſatisfactum, ſi tantum fuerunt expoſita, ut dubia, quia peccata dubia nequidem ſunt materia ſufficiens abſolutionis directæ. Conf. Licet moribundo generice tantum confeſſo omnia peccata fuerint remiſſa directe, tamen poſtea illa iterum debet confiteri, & Religioſus in itinere incidens in caſum reſervatum, atque ab eo directe abſolutus, tenetur iterato ſe ſiſtere ſuperiori, & ab eo abſolutionem petere. Reſp. Diſt. Ant. Sacra auctoritas clare docet, quod peccata certa debeant exponi, ſi nunquam antea fuerunt expoſita tanquam dubia, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Nam utrum hæc obligatio in noſtro caſu adhuc detur, hic formaliſſime controvertitur, neque verum eſt, quod peccata dubia non ſint materia ſufficiens directæ abſolutionis, ſi revera fuerint commiſſa, & ſecundum totam ſuam ſpeciem expoſita. Ad Conf. Neg. ſuppoſitum, quod noſtram ſententiam præciſe inferamus ex eo, quia peccata dubia directe fuerunt remiſſa, ſed quia ſimul fuerunt expoſita quoad totam ſpeciem, & numerum, quod in ſua confeſſione generali non fecit moribundus; Religioſus autem præciſe ex ſpeciali jure ſuæ religionis ſuperiori ſe iterum ſiſtere debet.

388 Obj. 2. Quilibet tenetur peccata ſua confiteri, prout illa habet in conſcientia; ſed qui non confitetur peccatum ſuum, ut certum, poſtquam id certum eſſe cognovit, non confite-

fitetur illud, prout eſt in conſcientia: ergo. Conf. Qui cum ligata peccavit, & bona fide ſe tantum accuſavit in genere, quod ipſo opere graviter deliquerit contra præceptum ſextum, tenetur circumſtantiam adulterii poſtea iterum confiteri, ſi illam agnoſcat: ergo a pari. Reſp. Diſt. Maj. tenetur peccata ſua confiteri, ut illa habet in conſcientia ante confeſſionem, vel in ipſa confeſſione, Conc. Maj. poſt confeſſionem bona fide factam, Neg. Maj. univerſaliter acceptam, contrarium patet in eo, qui prius ſuum peccatum confeſſus eſt ſolum ut probabile, aut numerum peccati dubium. Unde licet in ejusmodi caſibus ſit per accidens ratione ignorantiæ, quod in prima confeſſione non ſtrinxerit obligatio exponendi peccatum ut certum, nihilominus omnino ſublata eſt obligatio illud denuo confitendi. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ejusmodi adulter ſpeciem ſui peccati nequidem expoſuit ſub dubio, eſto, quod addiderit: Accuſo me ſimul de peccatis totius vitæ, aut ſi forte etiam commiſi adulterium, quia hic modus loquendi non ſignificat prudens dubium, ſed meram poſſibilitatem.

Dices. Si peccatum certum tantum fuit 389
expoſitum ut dubium, confeſſarius de illo non potuit ferre ſufficiens judicium, nec proportionatam pœnitentiam imponere: ergo pœnitens poſtea debet errorem confeſſarii corrigere, & peccatum ut certum confiteri. Conf. Si pœnitens ſtatim initio ſciviſſet, peccatum ſuum eſſe certum, debuiſſet corrigere errorem, quem in confeſſario circa illud advertiſſet: ergo. Reſp. Diſt. Ant. non poteſt ferre ſufficiens judicium quoad certitudinem peccati, Conc. Ant. quoad illius numerum, & ſpeciem, Neg. Ant.

Ant. & Conſ. Quod pœnitentia tantum debeat eſſe proportionata gravitati numericæ, & ſpecificæ peccatorum, ſatis colligitur ex dictis quæſt. 3 de circumſtantiis aggravantibus. Unde errorem de certitudine pœnitens poſtea tam parum corrigere tenetur, quam errorem circa numerum, quem non raro æque difficulter confeſſarius poteſt conjicere quam ſpeciem peccati. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Si pœnitens ſtatim initio adverteret errorem confeſſarii, eumque corrigere negligeret, non ſerio exponeret peccatum, prout illud tunc habet in conſcientia, ſed cenſeretur confeſſarium decipere: at in noſtro caſu peccatum expoſuit, prout tunc erat in conſcientia, adeoque obligationi confeſſionis ſatisfecit.

390 Obj. 3. Chriſtus non tam rigide obligavit fideles ad exponendum certum numerum, ſicut ad exponendam certam ſpeciem peccati; nam 1 numerus certus a pœnitentibus difficilius cognoſcitur. 2. Per illum minus variatur judicium confeſſarii. 3. In numero majore imbibitur minor, non item in genere ſpecies. Reſp. Neg. Ant. quod gratis aſſeritur, & contra mentem concilii Tridentini, juxta quod non minus debet exponi numerus, quam ſpecies, ſi ſufficienter cognoſcatur. Ex 1 ratione addita tantum ſequitur, quod ſæpius detur excuſatio ab iteranda confeſſione numeri, quam ſpeciei, licet frequenter in tribunali ſacro etiam neſciatur, an peccatum commiſſum fuerit mortale, an veniale. Ratio 2 univerſaliter accepta omnino falſa eſt; cur enim male faceret confeſſarius, ſi æqualem pœnitentiam imponeret duobus, quorum unus diceret: ter circiter die feſto omiſi Miſſam, alter bis omiſi Miſſam, & dubito, utrum non etiam

ſemel

ſemel laboraverim. Ad 3 dico, ſub numero majore e. g. denario contineri quidem numerum minorem v. g. 9 peccata, non vero peccatum undecimum, quod tamen juxta Adverſarios non debet repeti ab eo, qui dixit, decies circiter blasphemavi.

Dices. Qui confitetur, ſe blasphemaſſe ſepties circiter, blasphemiam octavam aſſertive exponit ſaltem ſub disjunctione; nam ſenſus videtur eſſe: aſſero, me blasphemaſſe ſepties, octies, vel ſexies: econtra in noſtro caſu mortale non exponitur aſſertive, ſed ſenſus eſt: Neſcio an non mortaliter peccaverim. Conſ. Peccata expoſita quoad numerum per particulam circiter ſunt materia certa confeſſionis, non item peccata dubia: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. quoad 1mum membr. Nego quoad 2dum. Quia pari jure dici poteſt, quod etiam in noſtro caſu confitens æquivalenter dicat: Aſſero, me v. g. blasphemando peccaſſe, vel graviter, vel leviter: Aſſero, me tentatum fuiſſe, & præbuiſſe vel conſenſum, vel diſſenſum; ſic autem æque determinate ſe accuſat de peccato dubio, quam alter de blasphemia octava, & ſeptima, eſto quod hic magis determinate confiteatur numerum infimum. Ad Conſ. Diſt. Ant. peccata expoſita per particulam circiter ſunt materia certa confeſſionis quoad numerum infimum, Conc. Ant. quoad exceſſum dubium numeri e. g. blasphemiam ſeptimam, & octavam, Neg. Ant. & Conſ. 391

Obj. 4. Dominicus Viva curſ. theol. p. 8 diſp. 4. q. 3 a. 2 n 16 teſtatur, inter libros prohibitos recenſeri Manuale Regularium Franciſci Pellizarii, donec nonnullæ opiniones deleantur, & inter has etiam eſſe noſtram ſententiam: ergo. Reſp. Dum liber Pellizarii proſcriptus eſt, a congregatione Cardinalium 392

nulla propositio particularis fuit designata, ut ad P. Antonium Mayr rescripserunt Romani, hac super re ab ipso consulti. Equidem petentibus nostris, ut designentur propositiones, ob quas nominatus liber prohibitus fuerit, a quibusdam theologis sacræ congregationis designatæ sunt plurimæ, & inter has etiam illa, de qua agimus; at ex hoc solum probatur, quod non placuerit quibusdam Theologis privatis, non quod sententia nostra sit prohibita ab ipsa sacra congregatione, cujus auctoritas etsi non sit infallibilis, est tamen tanti ponderis, ut nollem ab ipsa recedere, si de illius mente satis constaret. Imo in praxi omnino judico, sententiam oppositam suadendam esse, quamquam nostra spectatis rationibus probabilior, vel ad minimum æque probabilis videatur.

393 Quæres. Quid significent illæ particulæ circiter, plus, minus &c. Resp. significare excessum quemdam, vel defectum, sed respective modicum, qui in numero expresso quasi absorbeatur, ut videtur desumi ex leg. Hæc adjectio 192 de verb. signif. potest autem hic defectus esse tanto major, quanto major est numerus determinatus e. g. si excessus, vel defectus respectu 5, vel sex est 1, respectu 10 erit 2, respectu 20 erit 3 &c. ita, ut cum numero certo semper crescat proportione geometrica, ubi tamen etiam aliæ circumstantiæ considerari debent, & res ultimato prudentis judicio determinari. Interim nimis rigidi videntur, qui cum Joan. Sanchez dicunt, has particulas ultra numerum expressum nunquam plus significare quam duo vel tria. Sicut vicissim nimis laxi sunt, qui asserunt, significationem harum particularum universaliter exten-

tendi posse ad quartam, vel etiam dimidiam partem ultra numerum expressum. Quod si aliquis dubitaret de numeris valde diversis, id ipsum deberet exprimere e. g. dicendo decies, vel vigesies.

QUÆSTIO VII.

Quomodo confessio debeat esse integra?

Quamquam per se loquendo ad fructum, & 394
valorem Sacramenti pœnitentiæ requiratur confessio materialiter integra, ut colligitur tum ex concilio Tridentino sess. 14 cap. 5 & can. 7, ubi definit, ad remissionem peccatorum jure divino necessarium esse confiteri omnia, & singula peccata mortalia: tum ex ipsa institutione hujus Sacramenti, in quantum per se, & primario ordinatur ad remissionem culpæ mortalis, ita tamen, ut unum peccatum grave sine alio non remittatur. Nihilominus sæpe per accidens tam ad valorem, quam ad fructum hujus Sacramenti potest sufficere confessio formaliter tantum integra, ut satis patet ex illis, quæ hactenus disputavimus, & jam adverti num. 323. Neque tunc necessarium est, ut de illis peccatis, quæ in confessione omittuntur, eliciatur contritio perfecta, quia nihilominus per absolutionem indirecte remittuntur, modo attritio absolutioni præmissa se etiam ad ista peccata extenderit, quemadmodum rursus docet Tridentinum cap. 5 dicens, reliqua peccata in eadem confessione inclusa rntelligi.

Porro causæ, quæ ab integritate materia- 395
li confessionis excusant, juxta communem sunt 1. Inculpata oblivio, & probabilis ignorantia juris, & facti, licet prius contracta sit

ex gravi culpa, quia e. g. pœnitens confessionem nimis diu distulit, modo postea paratus esset omnia confiteri. 2. Impotentia physica, qualis censetur esse periculum proximum mortis, naufragii, imminentis conflictus &c. quo casu tamen pœnitens, si fieri posset, etiam reliqua peccata post acceptam absolutionem pertexere deberet, ut integritatem materialem procuraret. 3. Impotentia moralis, quæ tunc datur, quando ex confessione certi peccati, vel circumstantiæ specificæ merito timeretur grave damnum corporale vel spirituale pœnitenti, confessario, vel alteri tertio: non tamen huc pertinet infamia, & confusio propria apud confessarium incurrenda; nam hæc ad manifestationem sui peccati per se consequitur: æque parum ab integritate materiali excusat magnus pœnitentium concursus, ut patet ex propositione 59 damnata ab Innocentio XI: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die alicujus festivitatis, & indulgentiæ.*

396 Majus dubium est, si ex confessione alicujus peccati apud confessarium immineret infamatio alicui tertio, e. g. complici. Aliqui cum Navarro, Valent., Medin., Bannez &c. volunt, in hoc casu tacendum esse peccatum, vel circumstantiam, ex qua confessarius personam complicis cognosceret. Econtra S. Thomas, Bonaventura, Alensis, Suarez, Lessius, Lugo &c., communius docent, non obstante infamia complicis posse, & debere in his circumstantiis peccatum integre exponi. Ego ut certiora ab incertis separem judico 1. Quod pœnitens confessario non possit manifestare complicem, si peccatum suum potest aliter sufficienter confiteri, aut sine notabili incommodo

do habere alium confessarium, qui in notitiam complicis venire nequit; nam infamare proximum de peccato gravi etiam apud unicam personam est grave malum repugnans charitati, & justitiae, neque in tali casu datur sufficiens causa infamationem excusans. 2. Idem est, si complici ex illius manifestatione immineret aliud grave malum ab infamatione distinctum, tunc enim juxta dicta praeceptum integritatis materialis non obligat, quivis autem aliunde tenetur cavere damnum proximi. 3. Vicissim licita est manifestatio complicis, si id exigit notabilis utilitas, aut aversio gravis incommodi a poenitente, ipso complice, aut alio; quippe ex tali rationabili causa etiam extra confessionem licitum est occultum proximi peccatum alteri aperire. His praemissis

Dicendum. Quando confessio est praecepta, aut alias sine notabili incommodo differri, peccatum vero aliter integre exponi nequit, per se loquendo complex non solum potest, sed etiam debet manifestari. Prob. Ex una parte Christus in ipsa institutione Sacramenti poenitentiae voluit, ut fideles omnia peccata mortalia integre quoad numerum, & speciem confiteantur; ex altera parte id in nostro casu sine manifestatione complicis fieri non posset: ergo sicut ex institutione, & praecepto Christi peccata integre debent exponi, non obstante infamia propria apud confessarium: sic ab integritate materiali non excusat infamia complicis, quo minus manifestari possit, ac debeat. Imo ex natura rei plus requiritur ad aliquem obligandum, ut seipsum infamet, quam ut manifestet crimen alienum. Hinc etiam in foro externo reus judici legitime interroganti potest, & debet suum crimen fateri, etsi hoc 397

ex natura sua personam complicis involvat. Conf. Confessio per se facienda est proprio pastori, cui notae sunt oves, earum parentes, fratres &c.: ergo per se, & ex ipsa institutione saepe infamiam complicis secum affert, nec pastor suas oves alias satis curare posset; poenitens vero non raro obligaretur ad idem peccatum bis confitendum non sine gravi suo incommodo.

Objectiones.

398 OBj. 1. Praeceptum non infamandi proximum est juris naturae: ergo praeceptum positivum procurandi integritatem materialem illi non potest praevalere, praesertim quia detractio est intrinsece mala. Conf. Quando duo praecepta concurrunt, inter illa datur optio; neque ex eo, quod complex possit manifestari, sequitur, quod debeat manifestari. Sic potes, at non debes confiteri per interpretem. Sic foemina potest reticere peccatum, per quod praevidet confessarium probabilius scandalizandum, nec tamen tenetur. Resp. Dist. Ant. praeceptum non infamandi proximum sine justa causa est juris naturae, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conf. Sicut poenitens dum complicem manifestat, ejus infamationem formaliter, & per se non intendit, sic eidem solum materialiter, & quasi per accidens detrahit, ut docet S. Thomas 2 2 q. 73 a. 2, unde haec detractio, & infamatio complicis non est formaliter mala, & materia juris naturalis prohibitivi, quando sine illa integritas confessionis ad reverentiam Sacramenti a Christo praecepta haberi nequit, ferme sicut occisio innocentis non amplius est contra jus naturae, si Deus illam justa de causa permittat, aut praecipiat. Ad Conf. Imprimis Neg. suppositum,

 quod

quod in noſtro caſu duo præcepta concurrant. Dein ut inter præcepta concurrentia licita ſit optio, debent eſſe æqualia, hic autem ex voluntate Chriſti prævalet cauſa Sacramenti. Denique tunc ſolum non tenemur illa confiteri, quæ licite poſſumus, ſi per accidens excuſet juſta cauſa extrinſeca, ut fit in adductis exemplis.

Dices. Saltem infamatio complicis eſt gra- 399
ve malum, nec ita intrinſeca confeſſioni, ſicut infamatio propria, cum ſit mere per accidens, quod perſona complicis ſit nota huic confeſſario, & alius haberi nequeat: ergo. Conf. Si complici præter infamationem apud confeſſarium timendum eſſet adhuc aliud malum e. g. etiam infamatio apud tertium per revelationem ſigilli, nec poſſet, nec deberet manifeſtari: ergo a pari. Reſp. Conc. Ant. quoad 1mum membr. Nego, quoad 2dum. Nam ex inſtitutione, & præcepto Chriſti non magis colligitur obligatio pœnitentis ad ſe ipſum manifeſtandum, quam ad manifeſtandum complicem, ſi alias confeſſio cum notabili incommodo differri deberet, nec aliter rite fieri poſſet. Neque malum hoc confeſſioni tantum eſt extrinſecum, ſed potius tantum per accidens eſt, quod complex confeſſario ſit ignotus, ſicut ipſe pœnitens non raro quærere poteſt confeſſarium, cui ipſe ignotus eſt, aut habere peccatum, quod parum infamat, ut ſi miles confiteatur, quod aliquem occiderit in duello. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Licet Chriſtus obligaverit ad ſubeunda illa incommoda, quæ confeſſioni ſunt intrinſeca, maluit tamen caveri incommoda extrinſeca, quæ præter, imo contra ipſius voluntatem ſequerentur.

400 Obj. 2. Ex una parte non conſtat, quod Chriſtus integritatem materialem præceperit pro caſu, quo complex deberet infamari: ex altera parte per hoc, quod pœnitens non poſſit adire alium confeſſarium, complex non amittit jus ad ſuam famam: ergo. Conſ. Chriſtus maluit permittere, ut privatim indigno publice miniſtretur Evchariſtia, quam ut infametur: ergo etiam ut peccatum complicis in confeſſione taceatur. Reſp. Diſt. Ant. non conſtat certo, quod Chriſtus integritatem materialem in hoc caſu præceperit, Conc. Ant. non conſtat ſaltem probabilius, Neg. Ant. quoad hoc membr., & ſimpliciter quoad alterum. Cum præceptum ſervandi famam proximi probabilius ſe non extendat ad caſum, quo alias non poſſet fieri confeſſio materialiter integra, quam a Chriſto præceptam eſſe, ipſe complex ſcire poſſet, ac deberet, hoc ipſo, quod ſimul patret ſcelus, cenſetur tacite conſentire, ut apud confeſſarium diffametur, ſi huic præcepto aliter ſatisfieri nequeat. Ad Conſ. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ex publica negatione Evchariſtiæ indigno oriretur infamia publica ſine utilitate communionem negantis: ex infamatione apud confeſſarium, ſigillo adſtrictum, fama complicis ſolum minuitur privatim cum magna utilitate, & commodo confitentis.

401 Dices. Si Chriſtus tam ſtricte præcepiſſet integritatem confeſſionis, pœnitens nequidem teneretur adire alium confeſſarium, ſed complicem ſemper manifeſtare liceret, eoquod pœnitens uteretur jure ſuo, & aliqua peccata nullam afferant infamiam. Conf. Qui habet jus accuſandi aliquem, poteſt id facere apud judicem ordinarium, licet ea occaſione manife-

festandus sit complex : ergo cum pœnitens semper habeat jus seipsum accusandi, semper potest etiam complicem manifestare. Resp. Neg. Ant. & suppositum, quod pœnitens in his circumstantiis habeat jus infamandi proximum; cum enim integritas confessionis apud alium confessarium facile haberi possit sine infamatione proximi, manet obligatio præcepti naturalis, nisi peccata jam aliunde essent nota, vel per accidens nullam infamiam afferrent, quo casu utique ad servandam confessionis integritatem complex nominari posset, ac deberet. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Accusatio in foro externo ordinatur ad bonum reipublicæ, ut a delictis purgetur, ad quem finem æque spectat crimen complicis; at in foro interno spectatur sola reverentia Sacramenti, & bonum ipsius pœnitentis, quod sæpe obtineri potest sine infamatione complicis.

Obj. 3. Ex nostra sententia sequeretur, 402
quod ad servandam integritatem confessionis etiam liceat manifestare defectum naturalem, vel peccatum alterius, qui non fuit complex, sed tantum objectum e. g. quod occideris sororem tuam gravidam, quam confessarius novit adhuc esse solutam. 2. Quod idem liceat, ut quis integre confiteatur peccatum jam aliquando remissum, aut solum veniale e. g. quod negligenter restiteris sorori tuæ ad turpia solicitanti. Resp. Circa hos casus non satis convenire Auctores, Cardinalis Lugo primam sequelam concedit, quia integritas confessionis non minus videtur exigere manifestationem non complicis, quam complicis : si igitur ob præceptum Christi non debeo curare famam propriam, possum etiam manifestare vitia aliena, cum id nonnunquam etiam liceat ad pe-

tendum consilium. Longe aliter inquit rem se habere in altero casu; nam licet confessio talis peccati sit materia utilis ad Sacramentum, non tamen est necessaria; hinc non obligat præceptum Christi, nec habetur sufficiens causa infamandi proximum, & per grave illius damnum quærere commodum proprium, sibi non magnopere necessarium. Aliud foret, si manifestatio complicis etiam in tali casu pœnitenti afferret magnum bonum, aut ad consilium petendum necessaria foret.

QUÆSTIO VIII.

An confessio Sacramentalis debeat fieri præsenti?

403 SAnctus Antoninus, Paludanus, Petrus Soto aliique ex Thomistis olim docuerunt, quod confessio sacramentalis non solum per litteras, aut internuncium Sacerdoti absenti fieri, sed etam absolutio ab eodem absente accipi possit. Postquam autem hanc sententiam Clemens VIII anno 1602 20 Junii sub excommunicatione latæ sententiæ, Sedi apostolicæ reservata, aliisque pœnis prohibuit, nemo amplius illam tradere ausus est. Imo jam plures ex antiquioribus illam reprobarunt, quos secutus est Suarez, Vasquez, Valentia cum omnibus nostris excepto unico Patre Sa, qui auctoritate antiquorum motus asseruit, eorum sententiam in casu necessitatis practicari posse: hoc tamen dictum rursus retractavit in secunda editione Madriti, quæ duobus annis ante decretum Clementis prodiit. Unde prorsus ignoranter aut malevole scripsit Gonetus, doctrinam a Clemente proscriptam nullum ex Thomistis habuisse patronum, sed postquam obsole-

ta erat, a Jeſuitis in ſcholas revocatam, & typis, ac libris mandatam fuiſſe.

Dicendum 1. Abſolutio neceſſario debet 404
dari a Sacerdote præſente, unde confeſſio abſenti eo animo facta, ut abſolutio ab eodem abſente obtineatur, eſt invalida. Prob. Clemens VIII damnavit hanc propoſitionem: *Licet per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Simulque prohibuit, ne in ullo caſu tanquam probabilis defendatur, aut ad praxin quovis modo deducatur; atqui hæc abſolutio non potuiſſet prohiberi tanquam illicita pro quovis caſu, niſi ſimul eſſet invalida. Quippe medium, quod ex inſtitutione Chriſti eſt validum, & ad conſequendam ſalutem neceſſarium, non poteſt ab Eccleſia univerſaliter prohiberi, ſicut non poteſt prohiberi, ne quis tendat ad ultimum ſuum finem. Conf. Tum ex communiſſima praxi Eccleſiæ, in qua nunquam legitur abſolutionem abſenti datam fuiſſe; tum ex concilio Tridentino, quod ſeſſ. 14 cap. 2 docet, Chriſtum voluiſſe reos ſiſti ante tribunal confeſſarii, ut liberari valeant; atqui ſiſti ante tribunal juxta communem uſum tam Grammaticorum, quam Juriſtarum eſt ibi corporaliter præſentari.

Dicendum 2. Etiam confeſſio Sacerdoti 405
abſenti facta, ut poſtea abſolutio a præſente obtineatur, per ſe loquendo eſt illicita. Ita teſte Suario communis. Prob. ex perpetua praxi Eccleſiæ, a qua in hac re ſine maxima neceſſitate non eſt recedendum. Præterea Benedictus XI in Extravag. inter cunctas de privileg. ita habet: *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, ſacerdoti facienda oris confeſſio, prout ſcriptum eſt: corde creditur ad juſtitiam, ore au-*

autem fit confeſſio ad ſalutem. Concilium Nemonenſe celebratum anno 1284 inter cætera confeſſionis præcepta dicit: *Non debent confiteri per nuncium, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & præſentialiter, ut qui per ſe peccavit, per ſe ipſum confiteatur, & erubeſcat.* Similiter concilium Florentinum in decreto ad Armenos pro materia Sacramenti pœnitentiæ aſſignat confeſſionem oris: ergo ſaltem per ſe loquendo confeſſio abſenti facta eſt illicita. Quid autem dicendum ſit de caſu neceſſitatis quæſt. ſeq. examinabimus.

406 Cæterum quamvis P. Antonius Mayr tract. de pœnit. num 545 exiſtimet, confeſſionem Sacerdoti abſenti vix valide fieri poſſe, eoquod ignorantia præcepti confitendi Sacerdoti præſenti ſit tantum vincibilis, & ipſa praxis infantes ſtatim doceat: nihilominus juxta Sotum, Bonac. Eſcobar confiteri ſcripto eſt tantum peccatum veniale, imo nullum, ſi fiat ex rationabili cauſa e. g. quia ægrotus difficulter loquitur, quia confeſſarius eſt ſurdaſter, aut puella præ maxima verecundia peccatum ſuum difficillime explicaret. Quod ſi per litteras peccata tua miſeris ad Sacerdotem, & dein præſenti dicas: Accuſo me de peccatis illis, quæ ſcripſi, & peto ab illis abſolvi, teſte la Croix communis docet, hanc confeſſionem ſufficere, quia in præſentia moraliter repetitur, & ratificare tale ſcriptum idem eſt, ac ſe de peccatis in illo contentis accuſare. Certe etiam muti valide confitentur, licet ſolis nutibus, & ſignis ſe accuſare valeant. Pariter ſi confeſſarius extra confeſſionem peccatum tuum jam novit, juxta communem ſufficit, ſi dicas: Accuſo me de illo peccato, quod jam noſti.

Di-

Dices 1. Ex una parte Christus potuit ita instituere Sacramentum pœnitentiæ, ut absolutio ab absente data esset valida : ex altera parte sic melius consultum fuisset saluti hominum : ergo dicendum, quod ita instituerit, maxime quia aliunde constat, non esse de essentia Sacramentorum novæ legis, ut solis præsentibus conferantur ; nam matrimonium etiam per procuratorem potest contrahi. Conf. In judicio Forensi valet absolutio absenti data : ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. In materia de Sacramentis non tam ad congruentias quasdam a priori petitas, quam ad praxin, & doctrinam Ecclesiæ attendendum est; ex his autem discimus, quod Christus ad valorem absolutionis requisiverit, ut detur a ministro præsente; matrimonium autem instituit per modum contractus, qui etiam inter absentes celebrari possunt. Ad Conf. Nego paritatem; nam judicium forense tantum ex voluntate hominum est institutum, nec Christus voluit, ut Sacramentum pœnitentiæ in omnibus cum ipso conveniat, alias posset etiam absolvi non confessus, unum peccatum remitti sine altero &c. 407

Dices 2. Constat ex variis historiis apud Morinum lib. 10 cap. 22, quod aliqui absolutionem ab absentibus petierint, ut S. Thomas Cantuariensis ab Alexandro III &c. Conf. S. Leo Can. Qualis, caus. 30 q. 5 ait, pœnitentiam adulteræ per scripturam esse recipiendam : ergo. Resp. Dist. Ant. Quod aliqui ab absentibus petierint, & obtinuerint absolutionem a censuris, Conc. Ant. a peccatis, Subdist. quatenus ipsis concessa fuit aliqua indulgentia, Conc. Ant. quasi per absolutionem absentis fuerit remissa culpa, Neg. Ant. Ipse Morinus loc. 408

cit.

cit. n. 6 docet, litteris Pontificum ad absentes eatenus concedi absolutionem, quatenus per indulgentiam expungitur pœnitentia canonica; hinc Pontifices talibus injungunt, ut Sacerdoti præsenti confiteantur, quemadmodum constat ex litteris Alexandri III ad Thomam Cantuariensem, qui licet fuerit vir sanctus, nihilominus timere potuit, se forsan incurrisse aliquam censuram ob conniventiam erga Regem admissam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. S. Leo in hoc canone nec verbum habet de pœnitentia sacramentali, sed tantum loquitur de resipiscentia adulteræ, quæ ut firmior certiorque esset, fidem scriptam de illa exigit.

409 Dices 3. S. Antoninus 3 p. tit. 17 cap. 21 refert in concilio Basileensi tractatam esse quæstionem, quid faciendum Sacerdoti, qui sine jurisdictione audivit confessionem, & absolvit pœnitentem? multosque dixisse, posse postea petere jurisdictionem, & absolvere illum, ubicunque sit. Conf. S. Cyprianus epist. 13 præcipit aliquibus pacem dari, qui eam per litteras ab ipso petierunt. Resp. S. Antoninus de hac re nullum profert testimonium authenticum, nec illa quorumdam theologorum opinio a concilio fuit approbata, quod autem aliqui Doctores privati eandem ante decretum Clementis docuerint, nihil amplius probabilitatis illi conciliat. Ad Conf. S. Cyprianus solum ait, Martyres apud se intercessisse pro iis, qui in fidei confessione defecerant, atque rogasse, ut ipsos in communionem admitteret. Unde non loquitur de absolutione sacramentali, sed a censuris, & pœnis ecclesiasticis. Imo etiam hanc in casu necessitatis vult conferri a presbytero, aut diacono præsente.

Di-

Dices 4. Absolutio juxta decretum Clementis VIII in nullo casu potest dari a Sacerdote absente: ergo neque absenti potest fieri confessio. Conf. Juxta concilium Florentinum confessio, quæ est pars Sacramenti, debet fieri ore: ergo. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. nisi coram præsente saltem in genere, & confuse repetatur, & adhuc habitualiter perseveret, Conc. Conf. secus, Neg. Conf. Ad Conf. Dist. Ant. juxta Florentinum confessio debet fieri ore de præcepto, & per se loquendo, Conc. Ant. de necessitate Sacramenti quasi per Scripturam facta in nullo casu esset valida, aut etiam licita, Neg. Ant. & Conf. Florentinum non solum declarat ea, quæ ad valorem, & essentiam Sacramenti pertinent, sed etiam loquitur de illis, quæ spectant ad integritatem, & licitam susceptionem. Imo Suarez, Vasquez, Lugo &c. docent, eum, qui non potest loqui, debere confiteri per scripturam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media de se licita, & facilia, neque scriptura per se videtur esse aliquid magis publicum, quam voces, aut nutus. Aliud est, quod nemo teneatur scribere confessionem præcise ideo, ne peccata memoria excidant, ut advertit Cajet., Valent., Sporer &c.; nam quivis solum tenetur adhibere moralem diligentiam, quod sine scriptione fieri potest. 410

QUÆSTIO IX.

Qualis requiratur confessio in homine moribundo?

Post editum decretum Clementis VIII de confessione, & absolutione absentis P. Suarius in 3 part. disp. 21 sect. 4 examinavit, an de necessitate confessionis sit, ut pœnitens Sacer- 411

cerdoti præſenti immediate, & per ſe ipſum peccata ſua revelet? ac reſolvit, id non eſſe ita eſſentiale Sacramento pœnitentiæ, ut in aliquo extremæ neceſſitatis caſu nequeat aliter fieri, ſed ſi e. g. Sacerdos veniret ad abſolvendum moribundum, omnium ſenſuum uſu ita deſtitutum, ut nullum ſignum peccati, aut doloris edere poſſit, Sacerdotem poſſe eſſe contentum aliorum relatione, ac moribundum abſolvere, quamvis in præſentia ipſius confeſſionem non audiverit. Ex hac reſolutione aliqui arripuere occaſionem dicendi, irreverentiam fuiſſe in Clementem, ipſius mentem vivente adhuc Pontifice interpretari. Ideo ſententiam Suarii Madriti detulerunt ad Legatum Pontificis; Legatus vero ad Clementem, qui tamen morte præoccupatus non potuit mentem ſuam per decretum novum declarare.

412 Itaque æmuli Doctoris eximii apud Paulum V, qui Clementi ſucceſſerat, ejusque mentem optime norat, iterum inſtiterunt, Paulus autem timens, ne eo tempore, quo controverſia de abſolutione abſentis maxime exarſerat, aliqui ſententia Suarii abuterentur, eoquod confeſſio ſæpe accipiatur pro toto Sacramento, prout etiam abſolutionem involvit, præcepit, ut dicta Suarii ſententia ex ipſius libro deleretur, quæ tamen poſtea frigeſcente diſceptationis ardore tota, & integra iterum reſtituta eſt, ut patet ex editione Lugdunenſi vivente adhuc Suario edita. Porro Suarius in litteris poſt controverſiam Romæ finitam anno 1610 a ſe datis ſcribit, certo ſibi tum ex ore Clementis VIII & Pauli V, tum ex ſententia multorum Cardinalium conſtare, non fuiſſe mentem Pontificum prohibere abſolutionem moribundi præſentis. Idem Clementem VIII interrogantibus reſpondiſſe,

diſſe, ac etiam addidiſſe, ſeipſum, ſi occaſio ferret, tali abſolutionem daturum, teſtantur Armacanus Archiepiſcopus ſcripto ad Lovanienſes dato, & Cardinal. Bellarm. apud Gormaz de Sacrament. pœnit. num. 255.

Dicendum 1. Quando moribundus nullum 413
peccatum in ſpecie poteſt confiteri, ſufficit, quod in genere confiteatur, ſe peccaſſe. Ita communis, ac certa contra Sotum, Canum, & quosdam alios Thomiſtas. Prob. Ex una parte in hoc caſu datur ſufficiens cauſa excuſans ab integritate materiali confeſſionis, videlicet impotentia, & præſens periculum moriendi ſine abſolutione: ex altera parte talis confeſſio generica eſt vera ſui accuſatio ſaltem formaliter integra, cum hic, & nunc alia confeſſio diſtinctior haberi nequeat: ergo in hoc caſu iſta confeſſio ſufficit ad dandam abſolutionem. Monent tamen, ejusmodi moribundum, ſi conſcius ſibi ſit peccati mortalis, & alia cauſa non impediat, exprimere debere, quod peccaverit mortaliter, imo ſi poſſit, ante omnia confiteri unum vel alterum peccatum mortale nondum expoſitum, ut integritatem materialem procuret, quantum poteſt.

Dicendum 2. Etſi moribundus ita ſenſi- 414
bus ſit deſtitutus, ut ne quidem in genere confiteri poſſit, ſe peccaſſe; ſi tamen dederit aliud ſignum doloris, & vel per ſe, vel per alium oſtenderit deſiderium confeſſionis, aut abſolutionis, poteſt, ac debet a ſuperveniente confeſſario abſolvi. Ita cum S. Thoma opuſc. de offic. Sacerd. 65, Suarez, Vaſquez, aliique communiter contra quosdam maxime Thomiſtas. Prob. 1 ex Rituali Romano anno 1614 a Paulo V recognito, & approbato, quod Pontifex in Bulla eidem præfixa ait induſtria præ-

ſtantiſſimorum Cardinalium, & eruditorum virorum confectum eſſe, ſeque in eo conſpexiſſe receptos; & approbatos Eccleſiæ ritus, quos proin pro paſtoralis officii debito toti Eccleſiæ ſervandos proponat tanquam publicam, & obſignatam normam, quam fideles, & paſtores Eccleſiæ inviolate obſervent. Jam hoc Rituale tit. de Sacram. pœnit. §. Ordo miniſtr. Sacrament. pœnit. ita habet: *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcunque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

415 Probatur 2. Concilium Arauſicanum I relatum can. qui recedunt 26 q. 6, ait: *Subito obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu;* Pariter S. Leo relatus Can. His qui in tempore 26 q. 6 ad Theodorum epiſcopum Forojulienſem ſcribit: *Si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium, & circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Similia habet concilium Carthaginenſe IV relatum can. Is, qui pœnitentiam 26 q. 6. Ratio præter communiſſimam praxim Eccleſiæ eſt, quia talia ſigna doloris, aut deſiderii confitendi, ordinata ad impetrandam abſolutionem ſunt quædam confeſſio peccati generica, ac moraliter, & virtualiter adhuc durare cenſentur in ipſa præſentia Sacerdotis, ſaltem ſi ejus adventum aliquo modo cauſaverint, & ad abſolutionem fuerint

erint natura priora. Neque obſtat, quod talis confeſſio videatur eſſe publica; nam ſufficit, quod ſit ſecreta ex parte Sacerdotis, ut ſi ex illa aliquid intelligat, nihil evulget.

Objectiones.

OBj. 1. Rituale Romanum tantum a privatis 416
theologis fuit confectum: ergo non habet auctoritatem, ſed tantum approbationem pontificiam, ſicut alii libri ex licentia Pontificis editi. Conf. Canones a nobis citati poſſunt intelligi de abſolutione canonica, vel de iis, qui in antiqua Eccleſia durante pœnitentia publica jam fuerant confeſſi, ſed nondum ſacramentaliter abſoluti. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Contrarium patet ex Bulla a Paulo V rituali præfixa; hinc cum aliqui a congregatione S. Inquiſitionis peterent rituale reformari, eoquod adverſetur decreto, prius a Clemente VIII edito, coram Pontifice anno 1621 ſtatutum fuit, rituale obſervandum eſſe, neque dicto decreto adverſari. Ad Conf. Neg. Ant. Sacri canones illimitate dicunt, omnes moribundos eſſe abſolvendos a quolibet Sacerdote præſente, modo habeat teſtimonium aliorum, quod abſolutionem petierint; atqui non potuerunt ſupponere, quod omnes moribundi ſint cenſuris illigati, aut jam prius confeſſi fuerint; alias non opus fuiſſet teſtimonio aliorum, neque enim confeſſio tantum alteri facta quidquam prodeſt. Certe abſolutio a cenſuris etiam poteſt dari ab abſente, & S. Leo pœnitentiam a reconciliatione accurate diſtinguit.

Dices 1. Pontifex in Bulla rituali præfixa non voluit declarare, quod omnia ſingillatim in illo contenta ſint ab omnibus tenenda, 417

ferme ſicut non omnia, quæ in decreto Gratiani continentur, ſunt authentica, licet Gregorius XIII in Bulla ei præfixa teſtetur, emendatum fuiſſe. Conf. Licet in rituali dicatur, talem moribundum eſſe abſolvendum, ideo abſolutio non approbatur tanquam valida, ſicut non ſemper eſt validus Baptiſmus monſtri, de quo dubitatur, an ſit homo, licet tale monſtrum in eodem rituali dicatur ſub conditione eſſe baptizandum. Reſp. Neg. Ant. In Bulla decreto Gratiani præfixa Gregorius ſolum aſſerit, fuiſſe purgatum ab erroribus, & gloſſis imperitorum, ſacrosque canones ad primam ſuam originem emendatos, quin illis novam aliquam auctoritatem tribuat: longe aliter de Rituali Romano loquitur Paulus V, utpote quod tanquam publicam normam in Eccleſia vult obſervari. Ad Conf. Imprimis hic ſolum aſſerimus, quod talis moribundus abſolvi licite poſſit, ac debeat. Dein quia Rituale Romanum & SS. Canones docent, illum eſſe abſolvendum, omnino videtur ſupponere, quod talis abſolutio ſaltem non ſit invalida ex defectu confeſſionis, quamquam quandoque poſſit eſſe invalida ob alias cauſas e. g. ob defectum contritionis, propoſiti &c. ſicut Baptiſmus ob defectum animæ humanæ, qui ideo tantum conditionate conferendus dicitur.

418 Dices 2. Rituale Romanum a Paulo V non eſt magis approbatum, quam catechiſmus Romanus, & Breviarium a Pio V, & tamen a catechiſmo Romano in quibusdam receditur, ex breviario autem poſtea expuncta eſt hiſtoria de Doctore Pariſienſi, qui in vita S. Brunonis ſe poſt mortem damnatum proclamaſſe referebatur. Conf. Sacerdotale Romanum a pluribus Pontificibus fuit approbatum, quin ideo in omnibus debeat obſervari: ergo. Reſp. Neg.

Neg. Ant. Catechiſmus Romanus tantum eſt approbatus in hoc ſenſu, quod nihil contineat contra bonos mores, vel directe oppoſitum receptis fidei dogmatibus. Neque Pontifex Breviarium Romanum ita propoſuit, ut indubitato aſſentiremur omnibus hiſtoriis, quae in lectionibus de Sanctis continentur, ſed ſua auctoritate tantum effecit, ut illius uſus certo ſit licitus, nec mutari poſſit citra licentiam Sedis apoſtolicae. Ad Conf. Sacerdotale Romanum fuit compoſitum ab homine privato, nempe Alberto Caſtellano ex Ord. Praedicat. a Pontificibus vero tantum approbatum in genere, in quantum dederunt licentiam illud imprimendi, ut oſtendit Lugo diſp. 20 de Evchar. ſect. 3 num. 82.

Obj. 2. Juxta concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 5 peccata debent diſtincte exponi quoad numerum, & ſpeciem, quia alias ſacri judices ſuum judicium non poſſunt rite exercere: ergo ad abſolutionem moribundi non ſufficit confeſſio tantum generica. Conf. Per confeſſionem tantum genericam confeſſarius nullam acquirit novam notitiam de ſtatu poenitentis: ergo. Reſp. Diſt. Ant. juxta Tridentinum peccata debent exponi diſtincte per ſe loquendo, & quando id moraliter fieri poteſt, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis per ſe loquendo ipſa natura judicii exigat, ut peccata diſtincte a Confeſſario intelligantur, neque ſine diſtincta cognitione poſſit fieri ſententia condemnatoria: quia tamen Chriſtus Sacramentum poenitentiae in favorem ipſius poenitentis inſtituit, ad ſententiam abſolutoriam tam exactam confeſſionem non requiſivit, quando illa moraliter eſt impoſſibilis, ut jam adverti num. 117, & omnes fateri debent 419

 in

in casu, quo pœnitens potuit exponere unicum peccatum mortale, aut solum in genere confiteri, quod peccaverit mortaliter. Ad Conf. Trans. Ant. Neg Cons. Alias non posset absolvi, qui tantum confiteretur antiqua peccata, aut Sacerdoti jam aliunde nota. Unde ad absolutionem tantum requiritur nova confessio, & notitia de dolore, quæ etiam in nostro casu datur.

420 Dices 1. Qui tantum desiderat absolutionem, & vult confiteri, nondum actu confitetur: ergo non est capax absolutionis. Conf. Confessio est actus personalis ipsius pœnitentis: ergo non potest fieri per testes, qui Sacerdoti desiderium pœnitendi tantum referant. Resp. Dist. Ant. talis adhuc nondum confitetur signate, & distincte, Conc. Ant. saltem exercite, & confuse, Neg. Ant. & Cons. qui petit confessarium, confitetur quasi per interpretem, per quem confessario saltem in confuso significat se esse peccatorem, & absolutione indigere. Unde jam habetur actualis quædam confessio saltem inchoata, & confusa, qua pœnitens facit, quantum in his circumstantiis potest, & ab ipso requiritur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Nam etiam in nostro casu ipse moribundus confitetur Sacerdoti, non quidem immediate, attamen mediate per operam, & auxilium alterius, qui ipsius desiderium Sacerdoti manifestat. Neque refert, quod fors adveniente Sacerdote non amplius sit sibi præsens, neque enim sub ipsa absolutione debet esse sui compos, ut patet in eo, qui post confessionem immediate Sacerdoti factam subitaneo deliquio obruitur, & absolvitur. Vid. num. 322.

421 Dices 2. Per absolutionem sacramentalem saltem unum peccatum debet directe remitti; sed

ſed hoc non fit in noſtro caſu, nam moribundus ſuperato periculo mortis rurſus omnia peccata deberet diſtincte confiteri, ut conſtat ex propoſitione 11 damnata ab Alexandro VIII. Conf. Si peccata non deberent diſtincte exponi, tunc qui haberet mera venialia, etiam extra caſum neceſſitatis poſſet dicere: Peccavi venialiter; hoc non poteſt admitti: ergo. Reſp. Diſt. Maj. ſaltem unum peccatum debet directe remitti in hoc ſenſu, quod Sacerdos debeat habere poteſtatem illud remittendi, & ſua abſolutione directe in illud tendere, Conc. Maj. ita, ut vi præcepti confeſſionis non amplius debeat exponi, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Sicut ille, qui confitetur aliquod peccatum in genere, quia ſpeciei oblitus eſt, valide abſolvitur, licet poſtea etiam debeat exponere ſpeciem, quando illius iterum recordabitur; ſic moribundus ab omnibus peccatis in genere abſolvitur, ſive dein hanc abſolutionem cum aliquibus velis vocare directam, ſive cum aliis indirectam. Ad Conf. Neg. ſequelam. Quamvis enim venialia non ſint materia neceſſaria confeſſionis, ſi tamen ea velimus exponere, juxta praxim Eccleſiæ confeſſio debet fieri magis diſtincte ſaltem neceſſitate præcepti, & extra caſum neceſſitatis.

Obj. 3. Clemens VIII damnavit, quod per nuncium, aut litteras liceat ſacramentaliter peccata confiteri, & ab abſente abſolutionem recipere; atqui moribundus petens confeſſarium, & in ejus præſentia jam ſenſibus deſtitutus præciſe confitetur per internuncium: ergo. Conf. Pontifex confeſſionem abſenti factam prohibet pro omni caſu: ergo illam non ſolum declarat illicitam, ſed etiam invalidam. Reſp. Diſt. Maj. prohibuit hanc doctrinam in ſenſu copulativo, Conc. Maj. in ſenſu diviſo, Subdiſt.
422

dift. ita, ut utramque partem prohibuerit eodem modo, Neg. Maj. aliter, Conc. Maj. Clemens damnavit quidem 1, quod liceat fimul, & abfenti confiteri, & ab abfente recipere abfolutionem. 2. Quod liceat confiteri abfenti facramentaliter, id eft cum intentione obtinendi abfolutionem ab abfente, & hæc prohibuit pro omni cafu. 3. quod liceat confiteri abfenti cum intentione, ut poftea abfolutio obtineatur a præfente; at hoc folum declaravit effe prohibitum per fe loquendo, & extra cafum fummæ neceffitatis, ut patet ex noftris probationibus, & ipfa declaratione Clementis. Hinc ad Conf. Neg. Ant. fub data diftinctione.

423 Dices. Licet P. Suarius folum docuerit, quod confeffio poffit fieri Sacerdoti abfenti in cafu extremæ neceffitatis, nihilominus congregatio S. Inquifitionis 14 Julii anno 1605 declaravit, hanc declarationem propofitionis damnatæ non fubfiftere, & ideo ex libro Suarii delendam effe. Conf. Quia alias pari jure poffet dici, quod in cafu extremæ neceffitatis etiam valeat abfolutio data abfenti; nam confeffio, & abfolutio abfentis eodem verborum tenore a Clemente prohibita eft. Refp. Dift. Ant. declaravit hanc interpretationem non fubfiftere, eoquod fit falfa, Neg. Ant. quia minus erat congrua illis temporibus, Conc. Ant. cur propofitio Suarii ex libro illius deleri debuerit, optime colligitur ex narratione rei geftæ. Adde, quod Suarius non fatis clare diftinxerit inter confeffionem abfenti factam animo fufcipiendi abfolutionem a præfente, & animo illam fufcipiendi ab abfente, quod etiam juxta nos nunquam fieri poteft. Ad Conf. Neg. fequelam. Quamvis enim tenor verborum fit idem, non tamen fuit eadem mens Pontificis, neque illæ rationes, ob quas cafum extremæ ne-

necessitatis quoad confessionem absentis excipimus, etiam pro absolutione absentis pugnant.

Ex his colliges 1, ad absolvendum moribundum sufficere, si testis unicus asserat, quod confessarium petierit, quia hic præcise agitur de favore moribundi sine alterius præjudicio, ut adeo non sit opus plena probatione. Hinc dum Rituale Romanum, & sacri canones loquuntur in numero plurali, debent accipi in sensu distributivo, sicut quando dicitur defunctos fidelium suffragiis juvari, nempe etiam oratione unius. 2. Non esse necessarium, ut testis in præsentia ipsius moribundi affirmet confessario, quod absolutio prius a moribundo petita, & signa contritionis edita fuerint; de hoc enim nec Rituale Romanum, nec sacri canones mentionem faciunt. 3. Non requiri testem immediatum de visu, & auditu proprio, sed sufficere etiam mediatum; nam Rituale Romanum tantum exigit, ut moribundus desiderium absolutionis manifestet per se, vel alios. 4. Moribundum sub conditione absolvendum esse, etsi tantum dederit signa dubia pœnitentiæ, quia proximo in extrema necessitate constituto succurrendum est, quantum fieri potest, etiam remedio dubio, & conditio addita in his circumstantiis irreverentiam Sacramenti satis removet, ut pluribus explicat P. Ant. Mayr tract. de pœnit. a num. 558. 424

QUÆSTIO X.

An sola vita christiane acta in moribundo pro confessione sufficiat?

TRiginta graves auctores apud Vindicem Gobatianum asserunt, moribundum in ex- 425

 tre-

trema necessitate posse absolvi, etsi nullo omnino signo vel per se, vel per alium absolutionem petierit, eoquod ipsa vita christiane acta sit aliqua confessio, aut certe fundet probabilem conjecturam, quod moribundus signa aliqua, licet alias de se insufficientia e. g. elevationem oculorum, motus labiorum, crebram respirationem, vehementius aliquod suspirium &c., hic & nunc ordinet ad dolorem, & desiderium absolutionis significandum. Hanc doctrinam Gormaz, aliique etiam extendunt ad casum, quo quis subito incideret in periculum mortis, quamvis antea male vixisset, imo quamvis in peccato actuali e. g. in duello subito sensibus destitueretur, modo aliquanto tempore superviveret, & de illo sufficienter constaret, quod fuerit christianus, & catholicus.

426 Dicendum 1. Sola vita præterita christiane acta speculative loquendo non sufficit ad impertiendam absolutionem moribundo, qui repente omnibus sensibus destitutus nullum aliud signum sensibile contritionis & desiderii confitendi edere valet. Ita contra auctores citatos alii communissime Prob. Confessio sensibilis, quæ juxta Tridentinum est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, est exterior, & dolorosa sui accusatio, ordinata ad sacerdotem pro impetranda absolutione; atqui sola vita christiane acta non est talis accusatio, cum neque ex sua natura, neque ex consuetudine, aut institutione hominum specialiter, & directe ordinetur ad Sacerdotem pro impetranda absolutione. Quis enim dicat, quod audire sacrum, adorare S. Evcharistiam, invocare B. Virginem &c. sit sacramentaliter confiteri? Conf. Licet Rituale Romanum, & sacri canones semper loquantur

de

de moribundis catholicis, nihilominus ſemper requirunt ſaltem aliorum teſtimonium de eo, quod moribundus petierit abſolutionem; atqui ſi ſola vita chriſtiane acta ſufficeret, id non debuiſſent requirere, alias fideles induxiſſent in errorem, quaſi ejusmodi teſtimonium ſit neceſſarium.

Dicendum 2. Nihilominus talis moribundus in praxi abſolvendus eſt ſub conditione, ſaltem ſi de eo conſtet, quod chriſtiane vixerit. Ita præter auctores a Vindice Gobatiano citatos Gormaz, Cardenas, Sporer, Stoz aliique. Prob. licet vita chriſtiane acta de ſe non ſit ſignum aliquod ſenſibile doloris, aut confeſſio quædam actualis, præbet tamen ſufficiens fundamentum prudenter præſumendi, quod moribundus aut paulo ante dederit, aut quantum hic, & nunc poteſt, actu det aliquod ſignum ſenſibile doloris, ac deſiderii abſolutionis, cum quivis poſt vitam chriſtiane actam ſerio deſideret ſuam ſalutem, & media ad illam conſequendam neceſſaria, & ipſa experientia conſtet, quod ejusmodi moribundi, ſi interius ſibi fuerunt præſentes, varia ſigna ad obtinendam abſolutionem ordinaverint. Atqui quandocunque in extrema neceſſitate prudenter præſumi poteſt, adeſſe materiam ſufficientem Sacramenti ad ſalutem ſumme neceſſarii, illud ſaltem ſub conditione adminiſtrari licite poteſt, imo ex lege charitatis debet. Conf. ex praxi, quæ tum in Belgio, tum in aliis Germaniæ provinciis non ignorantibus paſtoribus Eccleſiæ exercetur, quia nimirum abſolutio in his circumſtantiis ſaltem eſt remedium dubium. Vid. num. 424. 427

Obj.

Objectiones.

428 OBj. 1. Memoriale confessariorum approbatum a Gregorio XV docet, moribundum nullo signo prævie edito absolvi posse. Idem habent statuta Lemovicensia, & Sacerdotale Romanum: ergo ad absolutionem moribundi repente sensibus destituti sufficit vita christiane acta. Conf. Rituale Romanum, & SS. Canones testimonium aliorum non requirunt ut conditionem necessariam, sed præcise ut sufficientem: ergo. Resp. Omitt. Ant. Dist. Conf. Sufficit sola vita christiane acta, Neg. Conf. si accedat aliquod signum doloris, & confessionis saltem dubium, Conc. Conf. Quando Gregorius XV approbavit memoriale confessariorum, adhuc fuit Archiepiscopus Bononiensis; unde vel hoc Memoriale debet intelligi, quod moribundus possit absolvi, licet prius nullum ediderit signum certum, vel ob rationes in probatione allatas ab illo recedere licebit. Idem est de statutis Lemovicensibus, & Sacerdotali Romano, quæ neutiquam sunt infallibilis auctoritatis. Ad Conf. Neg. Ant. Alias Rituale & SS. Canones non semper hujus testimonii meminissent. Certe post concilium Tridentinum ad absolutionem omnes requirunt confessionem sacramentalem, qualis non est sola vita christiane acta.

429 Dices. S. Augustinus lib. de adulter. conjug. cap. 26 ait, in mortis articulo baptizandos esse catechumenos, etsi non amplius possint petere Baptismum, idque capite 28 etiam extendit ad eos, qui prius perpetuo vixerunt in adulterinis consortiis, dein addit: *Quæ autem Baptismatis, ea reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccu-*

occupaverit ; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire debet velle Mater Ecclesia. Conf. Clemens VIII operarium ex fabrica D. Petri cadentem absolvit, quin ullum signum doloris, aut confessionis adverterit. Resp. S. Augustinus tantum asserit, quod sicut catechumeni, etsi scelerate vixerint, baptizandi sunt, sic etiam sint absolvendi illi scelerati, qui per pœnitentiam publicam prius se disposuerunt: neque S. Doctor hic instituit paritatem adæquatam; nam ad valorem Baptismi ex parte suscipientis tantum requiritur intentio habitualis, quam omnes catechumeni habent; ad valorem Sacramenti pœnitentiæ vero insuper requiritur confessio, & dolor. Ad Conf. Cardinalis Lugo testatur, se ex viris doctis Clementi contemporaneis, & diu Romæ versatis quæsivisse de hac historia, sed ab iis judicatam esse fabulam.

Obj. 2. Quilibet christianus desiderat decedere in gratia, proin in articulo mortis recipere Sacramentum reconciliationis, si id sibi sit necessarium: ergo prudenter de illo præsumitur, quod edat aliquod signum doloris, licet illud ab adstantibus non advertatur: ergo vita christiane acta sufficit ad dandam absolutionem. Conf. Qui antea fuit confessus, voluntate saltem implicita per illam confessionem voluit acquirere jus ad accipiendas plures absolutiones ab aliis Sacerdotibus de illis peccatis expositis: ergo vi confessionis præcedentis est capax novæ absolutionis de peccatis olim expositis, per quam indirecte etiam remittuntur peccata postea commissa. Resp. Transf. Enthym., Neg. ult. Conf. Aliud enim est, quod ex vita christiane acta possit præsumi aliquod signum sensibile doloris, & confessionis; aliud, quod ipsa vita christiane acta sit tale signum. 430

gnum. Sed neque desiderium bene moriendi est aliqua actualis confessio, & illud non raro habent etiam, qui actu peccant. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Ad novam absolutionem non sufficit confessio qualiscunque, sed debet esse moraliter præsens, & cum absolutione conjuncta.

431 Dices. Vita christiane acta sufficit, ut moribundo detur extrema unctio, etsi nullo signo illam petere valeat: ergo etiam ut detur absolutio a peccatis. Conf. Si absolutio tantum datur conditionate, per ipsam conditionem additam præcavetur irreverentiæ erga Sacramentum: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ad valorem extremæ unctionis sufficit intentio interna habitualiter perseverans, ad fructum vero dolor internus, si ægrotus peccata gravia habeat, quæ longe facilius in homine christiano possunt præsumi, quam dolor, & confessio externa, ac sacramentalis. Hinc nequidem sufficeret confessio illa generalis, quam Sacerdos recitat in Breviario, vel introitu Missæ, quia non fuit specialiter directa ad obtinendam absolutionem. Ad Conf. Dist. Ant. Præcavetur irreverentiæ Sacramenti, si saltem aliqua prudens spes sit, absolutionem fore validam, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Nisi ex vita christiane acta posset præsumi signum aliquod sensibile doloris, & confessionis, absolvens videretur nugari, & absolutio certo invalida, adeoque moribundus tam parum posset absolvi, quam sub conditione rursus baptizari ille, de quo moraliter certo constat, quod jam sit baptizatus.

432 Obj. 3. Innocentius XI propositione 1ma damnavit, quod in Sacramentis conferendis liceat sequi opinionem tantum probabilem: ergo

go in praxi moribundus non poteſt abſolvi ſub conditione, niſi ſatis conſtet, quod aliquod ſignum externum confeſſionis dederit. Conf. Quia ſic ipſa vita chriſtiana poſſet haberi pro ſigno ſenſibili; imo etiam abſolvi mortuus, eoquod aliqui medici dicant, animam rationalem manere unitam corpori adhuc uno, vel altero quadrante poſt mortem vulgariter exiſtimatam. Reſp. Diſt. Ant. non licet ſequi opinionem tantum probabilem, ſi tutior, & probabilior poteſt haberi, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & ſuppoſitum, quod in noſtro caſu tutior, aut probabilior haberi poſſit; alias utique Sacerdos, quantum moraliter in tali periculo fieri poteſt, deberet quærere ſigna certiora, aut etiam confeſſionem magis particularem per nutus inquirere. Ad Conf. Quod ſola vita chriſtiane acta non ſit confeſſio externa, ſolide probatum eſt. An vero nihilominus ſententia oppoſita ob auctoritatem maneat extrinſece probabilis, ad praxim parum confert, nec opus eſt, ut multum de eo contendamus. Minus placet, nec ſufficiente ratione, & auctoritate nixa videtur illa opinio quorumdam medicorum, hinc in praxi nequidem ſolet abſolvi ægrotus, qui adveniente Sacerdote jam cenſetur eſſe mortuus, etſi antea certa pœnitentiæ ſigna dederit.

433 Dices. Quamvis de homine, qui chriſtiane vixit, & media ad ſalutem neceſſaria ſæpius adhibere conſuevit, poſſit præſumi, quod ſigno aliquo ſenſibili deſiderium abſolutionis manifeſtare conetur; id tamen nequit tam facile præſumi de homine ſceleſto, ſalutis ſuæ incurio, aut in actuali peccato ad articulum mortis adducto. Conf. Alias idem etiam poſſet dici de hæreticis, & infidelibus. Reſp. Ex hac objectione quidem colligi, quod præſumptio,

&

& probabilitas pro homine, qui christiane vixit, sit major, & melius fundata, ideo tamen nollem tanquam improbabilem rejicere opinionem P. Gormaz num. 425 allegatam, quia valde verisimile videtur, quod etiam homo, qui antea male vixit, aut actualiter peccavit, serio salutem suam quærere, & necessaria media adhibere conetur, modo de illis satis sit instructus. Ad Conf. Aliud est de hæreticis, & infidelibus, qui ordinarie confessionem sacramentalem absolute nolunt, ideoque Sacramentum apud illos nimis magno periculo frustrationis exponeretur. Sane ex eo solum, quod quilibet velit salvari, nondum potest inferri, quod sit dispositus ad absolutionem, alias hæc nulli posset negari, nisi aperte desperaret.

DISPUTATIO V.

De absolutione, ministro, & sigillo Sacramenti pœnitentiæ?

434 DE absolutione tertia parte essentiali Sacramenti pœnitentiæ concilium Tridentinum sess. 14 cap. 3 ita loquitur: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c., quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria.* Ex quibus colligitur, ad absolutionem sacramentalem necessario requiri legitimum ministrum, ut idem Tridentinum clarius docet cap. 6 & breviter inferius declarabo. His dein aliqua subjungam de casibus reservatis & sigillo sa-

ſacramentali, quo præcipue miniſter pœnitentiæ obligatur.

QUÆSTIO I.

An forma abſolutionis eſſentialiter conſtet verbis?

CUm abſolutio ſacramentalis ſit actus quidam judicialis, quo ex poteſtate clavium pœnitenti rite confeſſo peccata remittuntur, ſatis patet hanc remiſſionem, & actum judicialem per formam exprimi debere; nam forma Sacramentorum univerſaliter conſiſtit in iis verbis, quæ illorum effectum ſignificant, & ex opere operato conferunt. De eo ſolum dubitari poſſet, an non ſaltem in caſu neceſſitatis ad valorem abſolutionis ſufficerent verba æquivalenter talia, videlicet nutus, aut alia ſigna, per quæ intentio Sacerdotis de abſolvendo pœnitente ſufficienter manifeſtaretur? Affirmativam olim docuere Paludanus, Medina, Petrus de Soto &c.; negativam vero Magiſter ſententiarum in 4 diſt. 14, S. Thomas q. 84 a. 3 ad 4, Cajetanus, Suarius aliique communiſſime, quorum ſententiam Card. Lugo diſp. 13 de Sacram. Pœnit. ſect. 1 vocat certam. 435

Dicendum. Ad eſſentiam abſolutionis ſacramentalis requiruntur verba formalia, & proprie talia. Prob. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 3 expreſſe docet: *Formam Sacramenti pœnitentiæ in miniſtri verbis poſitam eſſe*; Florentinum vero in decret. ad Armen.: *Illam conſiſtere in verbis, quæ Sacerdos profert, dum dicit: Ego te abſolvo &c.*; atqui hæc in ſenſu proprio denotant verba formalia, ut etiam declarat conſtans praxis, & traditio Eccleſiæ, juxta quam omnia Sacramenta novæ legis conſtant, rebus, 436

& verbis formaliter talibus, excepto solo matrimonio, de quo Florentinum ait, quod efficiatur *Mutuo consensu regulariter per verba de præsenti expresso*. Conf. Si Sacramentum pœnitentiæ posset ministrari nutibus, vel Scriptura, non esset ratio, cur non idem diceretur de Ordine, & Baptismo; cur enim Episcopus, vel Sacerdos mutus applicans materiam istorum Sacramentorum non posset scribere: Ego tibi do potestatem offerendi sacrificium: Ego te baptizo.

437 Dices 1. Quando Christus Joan. 20 instituit Sacramentum pœnitentiæ, v. 23 solum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; atqui hoc potest æque fieri nutibus, & Scriptura, quam verbis formalibus: ergo. Conf. Ad Sacramentum matrimonii sufficiunt verba æquivalenter talia: ergo a pari. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Quamvis aliæ offensæ variis signis remitti possint, nihilominus Christus pro remissione peccatorum certum aliquem ritum ex verbis formalibus constantem requisivit, ut discimus ex conciliis, & traditione Ecclesiæ, per quam multa nobis innotescunt, quæ in sacris litteris non satis expressa leguntur. Hinc ad Conf. Neg. paritatem. Matrimonium jam fuerat institutum ante adventum Christi: hinc quando illud elevavit ad rationem Sacramenti, idem reliquit in ratione contractus civilis, qui etiam nutibus, & Scriptura celebrari poterat. At judicium sacramentale pœnitentiæ de novo instituit, eique propriam quamdam formam præscripsit.

438 Dices 2. Christus Sacramentum pœnitentiæ instituit per modum judicii forensis; atqui in hoc sententia valide ferri potest etiam nutibus, & Scriptura: ergo. Conf. pœnitens peccata sua potest manifestare, & Sacerdos satisfa-

factionem imponere nutibus, vel Scriptura: ergo etiam ita absolvere. Resp. Dist. Maj. Instituit per modum judicii forensis quoad aliqua, Conc. Maj. quoad omnia, Neg. Maj. Sæpius jam advertimus, quod forum pœnitentiæ in multis discrepet a judicio humano. Sic in illo idem est actor, & reus, soli reo creditur tam pro se, quam contra se, non potest absolvi nisi præsens &c. Quare mirum non est, quod Christus etiam circa ipsam sententiam aliquid speciale exigat, cum ad illam etiam in judicio humano requiratur specialis solemnitas e. g. ut scripto fiat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. pœnitens tantum ponit materiam, neque injunctio satisfactionis formam sacramentalem constituit, pro neutra vero habetur illa praxis, & doctrina Ecclesiæ, ex qua colligitur, Christum pro absolutione verba formalia instituisse.

Dices 3. Christus Joan. 20 v. 23 dicens: *Quorum retinueritis* (peccata) *retenta sunt*, non requisivit certa verba: ergo neque dum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*; præsertim quia verbum absolvo videtur hic valde improprium, cum peccata non sint vincula, quæ solvi possunt. Conf. Concilium Carthaginense IV can. 76 statuit: *Pœnitentes, qui ob vitæ periculum Eucharistiam accipiunt sine manus impositione, non esse absolutos, si supervixerint.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quando Sacerdos retinet peccata, non conficit Sacramentum, quando autem absolvit, utique pœnitentem proprie solvit a vinculis, non quidem Physicis, attamen moralibus, de quibus Proverb. 5 v. 22 dicitur: *Funibus peccatorum suorum constringitur.* Ad Conf. in canone illo solum statuitur, quod illi, qui nondum expleta pœnitentia publica ob periculum vitæ 439

a peccatis abſoluti fuerunt, ſi ſupervixerint, ad ordinem pœnitentium redire, & cum illis manus impoſitionem recipere debeant, alias non fore abſolutos a vinculo excommunicationis, aut pœna temporali.

QUÆSTIO II.

An verba abſolutionis debeant exprimi modo deprecativo? an indicativo?

440 VErba abſolutionis tribus modis proferri poſſunt 1. indicative: Abſolvo te. 2. deprecatorie: Remitte Domine peccata famuli tui &c. 3. Imperative: Abſolvere, Abſolutus eſto. Tertius hic modus nunquam in Eccleſia fuit uſitatus, & ſiquidem Sacerdos per illum intenderet ipſi Deo imperare, vel potius ex poteſtate ſibi commiſſa eidem intimare, ut ipſe abſolvat, hæc forma a Lugone rejicitur tanquam invalida; ſi vero tantum vellet intimare executionem ſententiæ, ſpeculative loquendo videtur valere, quia ſic abſolutio ſatis intelligitur immediate ab ipſo Sacerdote procedere, quod magis adhuc locum haberet, ſi diceret: Abſolveris a me, vel abſolvat te Deus per me. De reliquis duobus modis major eſt controverſia; nam pro forma deprecativa jam olim pugnarunt quidam apud S. Thomam, eamque validam eſſe acriter contendunt Morinus, Tournelius, Card. Gotti, Edmundus Martene &c. Indicativam vero requirunt S. Thomas opuſc. 22 cap. 2, & hic quæſt. 84 a. 3, Baronius, Gonetus, Suarez, Vaſquez, Lugo, aliique communiſſime.

441 Dicendum 1. Forma abſolutionis indicativa certo eſt valida. Prob. Concilium Tridentinum, & Florentinum loc. cit. docent, for-

mam

mam Sacramenti positam esse in his verbis: Ego te absolvo &c.; atqui hæc verba modo indicativo proferuntur: ergo forma indicativa absolutionis certo est valida; alias tota Ecclesia Latina in re gravissima errasset, eoquod saltem per plura sæcula semper usurpasset formam illegitimam. Clemens VIII quoque formam indicativam in sua instructione ipsis Græcis præscripsit hoc modo: *In casu necessitatis presbyteri græci catholici Latinos possunt absolvere: utantur forma absolutionis in generali concilio Florentino præscripta, & postea, si voluerint, dicant formam illam deprecatoriam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consueverunt.* Conf. Concilium Tridentinum docet, preces, quæ formæ indicativæ adjunguntur, de more Ecclesiæ adjungi, nec esse Sacramento essentiales: ergo clare indicat, illas non esse determinatas ex ipsa institutione Christi.

Dicendum 2. Ad essentiam absolutionis 442 probabilius requiritur modus indicativus saltem implicite talis. Prob. Quando Christus Sacramentum pœnitentiæ instituit, non dixit, quibus deprecati fueritis remissionem peccatorum, sed quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: ergo ex institutione Christi non orando, sed remittendo debet dari absolutio, alioqui non ponitur id, cui remissio peccatorum fuit promissa. Conf. Christus Sacramentum pœnitentiæ instituit per modum judicii, in quo Sacerdos ex potestate clavium peccata per sententiam judicialem remittit; atqui sententia judicialis debet proferri modo judicativo, non deprecatorio, utpote per quem solum minister neutiquam significaret, se judicium exercere, & sententiam proferre, neque enim

per ſe idem ſonat petere alicui veniam peccati, & peccatum alicui remittere.

Objectiones.

443 OBj. 1. Jacob. 5 v. 16 dicitur: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Quæ verba Origenes, S. Chryſoſtomus, aliique Patres de Sacramento pœnitentiæ interpretantur: ergo abſolutio debet eſſe deprecatoria. Conf. Forma indicativa ſignificat remiſſionem principalem, & authoritativam: ergo non eſt ſatis apta. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis S. Jacobus prioribus verbis loquatur de confeſſione ſacramentali, tamen per ſubſequentia: *Orate pro invicem*, non indicat formam ſacramentalem, ſed orationem impetratoriam ex opere operantis, ut colligitur ex ſubſequentibus verbis: *Elias oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit.* Ad Conf. Neg. Ant. Sicut Chriſtus dicendo: quorum remiſeritis peccata &c. Apoſtolis non tribuit poteſtatem authoritativam, & principalem, ſed tantum miniſterialem; ita Sacerdos per verba: Ego te abſolvo, ſibi non arrogat poteſtatem divinam, ſed hæc verba per ipſam intentionem proferentis ſatis determinantur ad ſignificandam poteſtatem miniſterialem.

444 Dices. SS. Patres abſolutionem paſſim vocant orationem, ajuntque Spiritum ſanctum non dari ab hominibus, ſed a Deo: ergo. Conf. Idem ex Doctoribus catholicis plures antiqui docuerunt. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. SS. Patres locuti ſunt juxta morem antiquæ Eccleſiæ, de quo ſpecialiter agemus quæſt. ſeq. Præterea his modis loquendi ſæpe tantum uſi ſunt 1, quia per orationem intelligebant quæli-

libet verba habentia vim impetrandi a Deo gratiam, & ipsa Sacramenta sunt quædam implicita invocatio divinæ virtutis. 2. Ut significarent Sacramentorum ministros tantum esse causam ministerialem remissionis peccatorum aliorumque donorum cælestium. 3. Quia sicut aliis Sacramentis, sic absolutioni præmittuntur preces, quibus a Deo pro pœnitente gratia sanctificans, & remissio peccatorum petitur. In quo sensu passim etiam dicunt, Evcharistiam consecrari precibus, nempe concomitanter & dispositive, vide dicta disp. 2 quæst. 4. Ad Conf. Eadem est responsio. Adde, quod ex antiquis non pauci existimarint, hominem reconciliari Deo per contritionem, per absolutionem vero gratiam tantum augeri, quam opinionem jam alibi rejeci.

Obj. 2. Christus Matth. 10 dedit Apostolis potestatem curandi infirmos, & tamen eam exercebant nudis verbis deprecatoriis: ergo eodem modo potest exerceri potestas curandi vulnera animæ. Conf. Licet Sacramentum extremæ unctionis ordinetur ad remissionem peccatorum, ad illam non requiritur sententia judicialis: ergo a pari. Resp. Dist. Ant. dedit Apostolis potestatem curandi infirmos per sententiam judicialem, Neg. Ant. per preces & virtutem operativam, Conc. Ant. & Neg. Conf. In Sacramento pœnitentiæ juxta institutionem Christi vulnera animæ non possunt curari quomodocunque, sed hoc debet fieri per sententiam judicialem, quæ non profertur verbis mere deprecatoriis, & nequidem implicite indicativis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Extrema unctio ad remissionem peccatorum potius ordinatur tanquam aliqua indulgentia, quam tanquam judicium, ut patet ex illius institutione Jacobi 5 v. 14: *Orent super eum,* 445

eum, ungentes eum &c.; ideo Sacerdos in illa non amplius agit ut judex, ſed ut deprecator pro illis peccatorum reliquiis, quorum remiſſio per modum judicii in ſacramento pœnitentiæ non fuit obtenta.

446 Dices. Hæc verba deprecatoria: Parcat tibi Deus, Deus ignoſce illi &c. juxta communem hominum ſenſum idem ſignificant, ac iſta indicativa: Ego parco tibi, qui enim petit, ut Deus alicui ignoſcat, illi ex parte ſua etiam ignoſcit: ergo verba deprecatoria ſufficienter ſignificant, quod Sacerdos peccata remittat. Conf. Quando Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrabatur per manus impoſitionem, ſæpe fiebant aliquæ preces: ergo. Reſp. Diſt. Ant. hæc verba idem ſignificant formaliter, & explicite, Neg. Ant. arguitive, & implicite, Subdiſt. accedentibus certis circumſtantiis, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Licet ex iſtis verbis deprecatoriis arguitive inferri poſſit, quod Sacerdos etiam ex parte ſua peccata remittat, proprie tamen loquendo longe diverſa ſunt deſiderare, ut Deus ex parte ſua peccata condonet, & quod illa condonet ipſe Sacerdos; ad hoc enim requiritur abſolutio ſaltem implicita; hinc etiam in judicio forenſi non valeret hæc ſententia: Abſolvat te Deus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. preces illæ ſaltem implicite fuerunt indicativæ, vel tam parum conſtituerunt formam abſolutionis, quam quæ modo ante, & poſt abſolutionem a Sacerdote recitantur.

447 Obj. 3. Ipſa Eccleſia antiquitus per XII ſæcula adhibuit formam tantum deprecatoriam: ergo ad illius eſſentiam non requiritur, ut ſit indicativa ſaltem implicite. Conf. Modus, quo abſolutio ſacramentalis exprimi debeat, eſt res me-

meræ diſciplinæ; atqui res meræ diſciplinæ non ſpectat ad eſſentiam Sacracramenti: ergo. Reſp. Diſt. Ant. adhibuit formam tantum deprecatoriam explicite, Omitt. interim Ant. implicite, Neg. Ant. & Conſ. Licet ejusmodi verba grammaticaliter videbantur tantum eſſe deprecatoria, reipſa tamen expreſſerunt ſententiam judicialem, & ex circumſtantiis ac determinatione Eccleſiæ implicite habuerunt ſenſum indicativum, eoquod a miniſtris fuerint prolatæ tanquam judicibus ex poteſtate clavium, quatenus cauſa prius cognita judicarunt pœnitentem eſſe abſolvendum, ſuamque orationem infallibiliter apud Deum ratam fore. Sic abſolvendo a cenſuris vere exercetur poteſtas judicialis, ſive abſolutio fiat verbis deprecatoriis ſive indicativis. Ad Conſ. Neg. Maj. Quod enim forma abſolutionis debeat continere ſententiam judicialem, ex ipſa inſtitutione Chriſti probatur.

QUÆSTIO III.

An forma abſolutionis indicativa in Eccleſia ſemper viguerit?

QUod de facto in Eccleſia Latina forma abſo- 448
lutionis non tantum implicite, ſed explicite debeat eſſe indicativa, ſatis colligitur ex dictis quæſt. præced. nam ut abſolutio ſit valida, eo modo debet exprimi, quo modo requirunt concilia, ut ſit forma Sacramenti; atqui concilium Tridentinum, & Florentinum loc. cit. requirunt modum explicite indicativum, nec aliter verba abſolutoria pro ſententia judiciali agnoſcunt; fuitque jam a ſæculo XIII hæc ſola forma habita pro valida a S. Thoma, Bonaventura aliisque graviſſimis Doctoribus. Unde quæſtio ſolum eſt, an hic modus indica-

tivus a primis sæculis semper in Ecclesia fuerit usurpatus, ut aliqui volunt cum P. Antoine & Berti? An potius explicite fuerit adhibitus modus deprecatorius, ut docent Card. Gotti, Tournelius &c. Quod si verum est, utique etiam talis absolutio tunc fuit valida, alias Ecclesia Græca vel Latina, aut potius utraque valida hujus Sacramenti forma diu caruisset.

449 Dicendum. In Ecclesia aliquando viguit & in Græca adhuc viget forma deprecatoria. Prob. 1. Quia in omnibus Euchologiis, & libris ritualibus Græcorum non alia absolutionis sacramentalis formula invenitur, aut præscribitur, quam deprecatoria, & de hac sola faciunt mentionem scriptores Græci antiquiores Joannes Jejunator, S. Germanus, S. Chrysostomus &c. 2. Eadem praxis apud Græcos saltem plerosque adhuc nostris temporibus durat, ut constat ex Euchologio Græco anno 1638 Venetiis edito, & ex Morino, qui lib. 8 cap. 12 testatur, se interrogasse præpositum collegii Græcorum Romani, qua formula absolutionis hodie uterentur, eumque hanc manu sua descripsisse: *Dimitte, condona peccata hujus N., quia tua est potentia, & tuum regnum Patris &c.* Neque ideo Latini Græcis unquam objecerunt, quod non habeant legitimam absolutionis formulam; Clemens vero VIII in instruct. cit. num. 441 illam haud obscure tanquam validam agnovit.

450 Quod Ecclesiam Latinam attinet, pariter in omnibus libris pœnitentialibus, & ritualibus sæculo XIII antiquioribus, in quibus accurate omnes actus Sacerdotis, & formæ describuntur, in administratione Sacramenti pœnitentiæ solius deprecatoriæ fit mentio. Neque aliam referunt Alcuinus lib. de offic. divin. per varias formulas describens ritum pœni-

nitentiæ. Petrus Cantor, qui vixit circa annum 1200, Summa de Sacramentis, Mayronius, qui obiit anno 1325, in 4 Dist. 14 q. 1, Guilielmus vero Parisiensis circa annum 1230 cap. 19 de Sacrament. Pœnit. expresse ait: *Non more judicum forensium pronunciat confessor: Absolvimus te, non condemnamus, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem, & remissionem, atque gratiam sanctificationis tribuat.* Ex quibus vides adhuc sæculo XIII in Ecclesia Latina permissum fuisse usum tam formulæ indicativæ, quam deprecatoriæ. Neque hoc opusc. 22 negare ausus est S. Thomas, sed auctoritati Guilielmi Altissiodorensis, ac Parisiensis, nec non Hugonis Cardinalis solum opposuit praxim, & opinionem contrariam sui temporis, ac Magistrorum Parisiensium. Vid. Tournel. de Sacrament. Pœnit. quæst. 9 conclus. 8.

Objectiones.

OBj. 1. Ex una parte libri antiqui describunt 415
modum valde prolixum, ex altera parte primis sæculis formæ Sacramentorum non solebant scriptis mandari, ne ethnicis ad irrisionem innotescerent: ergo non probatur, quod usus formæ deprecatoriæ aliquando viguerit. Conf. Libri a nobis laudati videntur solum tractare de absolutione canonica, quam tituli præfixi indicant. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Quamvis aliqui libri valde prolixi sint, eo ipso tamen non est credibile, quod formam indicativam, si fuisset in usu, omisissent, præsertim postquam ethnicorum persecutiones cessarunt, & ipsi libri servati fuerunt in loco Ecclesiæ securissimo, ex quo non facile ad manus ethnicorum devenirent. Hinc formæ aliorum Sacramentorum

Ba-

Baptiſmi, Ordinis, extremæ unctionis &c.; tunc jam erant deſcriptæ, licet haud ſint prolixiores, quam forma pœnitentiæ. Ad Conf. Neg. Ant. Nam iſti libri etiam agunt de peccatis cordis, & occultiſſimis, de quibus non agebatur pœnitentia publica, ſicut illius adminiſtratio non pertinebat ad presbyteros, quibus ſæculo 9, 8 & 10 Vener. Beda, Rabanus aliique Scriptores hos libros applicant.

452 Dices. Licet Græci utantur forma deprecatoria, ſimul tamen addunt formam indicativam: Habeo te venia donatum, vel habeo te abſolutum, ut teſtatur Arcudius: ergo. Conf. Si uſus formæ deprecatoriæ tamdiu in Eccleſia viguiſſet, non eſt veriſimile, quod ab hoc more receſſiſſet, & induxiſſet novum, de cujus initio nihil in conciliis, aut ſtatutis eccleſiaſticis legitur. Reſp. Neg. Ant. Quamvis enim id aſſerat Arcudius, ut Eccleſiam Græcam cum Latina conciliet, hoc tamen ſolum probat ex teſtimoniis quorumdam Recentiorum, qui nulla publica auctoritate ſunt comprobati, ſed ab antiquioribus, & ipſo Clemente VIII, ac collegii Græcorum Romani præfecto repelluntur, fatente etiam Arcudio, formulam indicativam in nullo Euchologio reperiri. Ad Conf. Neg. Ant. Eccleſia a more antiquo non receſſit ſtatim, ac ſubito, ſed forma indicativa, ſicut aliæ conſuetudines, introducta eſt ſucceſſive circa medium ſæculi XIII auctoritate potiſſimum Doctorum Pariſienſium, exiſtimantium, formam deprecatoriam repugnare verbis, & inſtitutioni Chriſti, quæ congruentia cæteris dein Scholaſticis, ipſique Eccleſiæ digna viſa eſt, ut anno 1438 forma indicativa in Eccleſia Latina fuerit præſcripta a concilio Florentino, ac poſtea a Tridentino.

Obj.

Obj. 2. Si forma deprecatoria tamdiu fuiſ- 453
ſet adhibita in Eccleſia Latina, in illa adhuc valeret; quod enim circa Sacramenta aliquando, & alicubi valuit, ſemper, & ubique valet. Conf. Eccleſia non poteſt mutare eſſentiam Sacramenti: ergo non poteſt reddere invalidum, quod ex inſtitutione Chriſti validum eſt. Reſp. Neg. Ant. rationem additam Diſt. quod circa Sacramenta aliquando. & alicubi valuit ex inſtitutione, & determinatione Chriſti, ſemper & ubique valet, Conc. quod præciſe valuit ex determinatione Eccleſiæ, Neg. Chriſtus pro abſolutione in Sacramento pœnitentiæ ſolum inſtituit ſententiam judicialem, an vero hæc explicite, an ſolum implicite debeat proferri indicative, reliquit Eccleſiæ determinandum, ferme ſicut eidem determinandum reliquit, quinam contractus ad Sacramentum matrimonii ſit legitimus, & validus, qui ideo non in omnibus locis debet eſſe idem. Ad Conf. Diſt. Ant. Eccleſia non poteſt mutare eſſentiam Sacramenti directe, & formaliter, Conc. Ant. indirecte, & materialiter, Neg. Ant. Nam Chriſtus modum ſententiam valide ferendi non determinavit, ſicut non determinavit, an contractus matrimonii debeat eſſe ſolemnis, vel etiam ſufficiat clandeſtinus.

Dices. Sacerdos non poteſt abſolvere, ni- 454
ſi nomine Dei, & abſolvendo remittit ipſum Jus Dei: ergo dum deprecatur, ut Deus abſolvat, & peccata condonet, formaliter, & explicite etiam ipſe abſolvit, ferme ſicut non minus formaliter benedicit, qui ait: Benedicat te Deus, quam qui utitur verbis indicativis, Benedico te. Conf. Validum eſt Baptiſma, quod contra hodiernum Eccleſiæ Latinæ uſum adminiſtratur immerſione, valida Evchariſtia, quæ conſecratur in pane fermentato:

to : ergo valida abſolutio data per formam deprecatoriam. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis objectum abſolutionis reſpectu Dei, & Sacerdotis ſit idem , nihilominus abſolutio actualis eſt diverſa ; unde poteſt quis deſiderare , ut Deus abſolvat, quin ipſe ſententiam abſolutoriam proferat , ſic licet quis a Pontifice haberet poteſtatem diſpenſandi v. g. in votis, ideo in illis non diſpenſaret, ſi præciſe a Pontifice peteret, ut ipſe diſpenſet. Aliud eſt de benedictionibus ; quippe benedicere in ſenſu Eccleſiæ formaliter eſt bonum precari, vel bona dicere ei, cui benedicimus. Ad Conf. Neg. paritatem, quia Eccleſia nunquam declaravit affuſionem, aut panem azymum pertinere ad eſſentiam Baptiſmi, aut Evchariſtiæ, ſicut declaravit verba indicative expreſſa pertinere in Eccleſia Latina ad eſſentiam formæ Sacramenti pœnitentiæ.

Obj. 3. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14
455 cap. 3 declarat, formam Sacramenti pœnitentiæ poſitam eſſe in iis verbis : *Ego te abſolvo*; preces vero tantum adjungi more Eccleſiæ : ergo preces expreſſe diſtinguit a forma, quam Chriſtus inſtituit. Conf. Ut Sacerdos abſolvat, debet vere remittere peccata : ergo per formam debet ſignificare, quod illa remittat ; miniſter enim per Sacramentum tantum efficit, quod per illud ſignificat ; atqui per verba deprecatoria non ſignificat , ſe peccata vere remittere : ergo. Reſp. Diſt. Ant. Tridentinum declarat formam Sacramenti pœnitentiæ poſitam eſſe in illis verbis ex determinatione Eccleſiæ, Conc. Ant. ex determinatione Chriſti, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo preces diſtinguit a forma, quam Chriſtus determinate requiſivit, Neg. Conſ. quam ex poteſtate a Chriſto accepta defacto pro Latinis determinavit Eccle-

clesia, Conc. Conf. Ad Conf. Transmisso enthymemate, Dist. min. subsumptam; minister per verba deprecatoria se peccata remittere non significat explicite, Conc. min. non significat implicite, Subdist. postquam, & ubi Ecclesia huic formae vim judicialis sententiæ ademit, Conc. min. aliter, Neg. min. Vid. num. 447, & 448.

QUÆSTIO IV.

Quænam verba pertineant ad essentiam absolutionis?

Circa hanc quæstionem variæ inter auctores catholicos sunt sententiæ; longe tamen communior docet, ad essentiam absolutionis sufficere hæc sola verba: Absolvo te, aut alia iis perfecte æquivalentia. Nam 1 hæc sola verba exprimuntur a concilio Tridentino, & Florentino. 2. Satis significant actum judicialem ministri ferentis sententiam supra hanc determinatam personam, simulque effectum Sacramenti primarium, videlicet remissionem peccatorum. Quamvis enim de se sint indifferentia ad significandam absolutionem a peccatis, vel alio vinculo morali, aut physico, tamen in foro sacro absolute prolata determinate, ac antonomastice absolutionem a culpa significant, ad quod sufficienter determinantur a circumstantiis, & ipsa materia subjecta, nempe a peccatis per præviam confessionem expositis. Unde si quis formulæ: Ego te absolvo, substitueret aliam æquivalentem, ageret quidem illicite, & contra communem Ecclesiæ usum, valide tamen absolveret dicendo e. g. Remitto tibi, vel condono tibi peccata tua. At ista formula, ego te mundo a peccatis tuis juxta Sua- 456

rium

rium dubia eſt, quia non ſatis videtur exprimere ſententiam judicialem.

457 Ex quibus colliges, ad eſſentiam non requiri 1, preces abſolutionem præcedentes, & ſubſequentes, ut clare docet Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 3. Imo Rituale Romanum de Sacram. Pœnit. tit. abſolutionis forma ait, eas in confeſſionibus brevioribus omitti poſſe excepta illa oratione: *Dominus noſter JEſus Chriſtus &c.* per quam pœnitens a cenſuris abſolvitur. Neque facile videtur omittenda oratio ultima *Paſſio Domini noſtri &c.*, eoquod graves auctores cum S. Thoma quodlib. 3 q. 13 exiſtiment, per illam quævis opera bona pœnitentis elevari ad ſatisfactionem ſacramentalem. 2. Verba illa: *In nomine Patris, & Filii &c.*, quippe invocatio SS. Trinitatis eſſentialiter tantum requiritur in Baptiſmo, in quo Chriſtus illam expreſſe requiſivit, quin per circumſtantias ſufficienter ſignificetur. At Sacramentum pœnitentiæ non magis fit in nomine SS. Trinitatis quam alia Sacramenta, ad quorum eſſentiam ipſi Adverſarii verba: *In nomine Patris, & Filii &c.* non requirunt.

458 Quod reliqua abſolutionis verba attinet, particula *Ego* ſufficienter exprimitur per verbum *Abſolvo*: & particula *Tuis* ſatis intelligitur ex pronomine *Te*, cum nemo abſolvatur niſi a ſuis peccatis, ſicut nemo niſi ſuis ligatur. Aliter aliqui ſentiunt de nomine: *A peccatis*, quia Chriſtus Joannis 20 v. 23 expreſſe peccatorum mentionem fecit: *Quorum remiſeritis peccata &c.*, ad quæ remittenda Sacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum. Verum imprimis Chriſtus Matth. 18 v. 18 tantum dixit: *Quæcunque ſolveritis*, & cap. 16 v. 19: *Quodcunque ſolveris*, ſine mentione peccatorum.

rum. Dein etiam Baptiſmus eſt inſtitutus ad delendum peccatum originale, quin illud in forma Baptiſmi debeat exprimi. Denique peccata ſufficienter exprimuntur per verba: abſolvo te, in iis circumſtantiis prolata, in quibus ex materia ſubjecta ad ſignificandam remiſſionem peccatorum determinantur. Quia tamen hæc ſententia non eſt omnino certa, utique ex præcepto tenemur nomen *A peccatis* apponere. Idem Granada, Vaſquez, & alii docent de invocatione SS. Trinitatis ob aliquale periculum invaliditatis, & quia in re tam gravi non licet recedere a communiſſima praxi Eccleſiæ.

Dices 1. Concilium Florentinum, & Tridentinum loc. cit. ad formam: *Abſolvo te*, apponunt ſignum &c.: ergo indicant ad eſſentiam abſolutionis adhuc plura verba requiri, ſicut quando Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 1 de extrema unctione ait: *Per iſtam unctionem &c.* Conf. Tridentinum docet, alias preces non ſpectare ad eſſentiam, neque ad Sacramenti adminiſtrationem eſſe neceſſarias: ergo voces indicatæ per ſignum &c. ad eſſentiam ſpectant. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Concilium Florentinum & Tridentinum non tantum voluit aſſignare formam eſſentialem, ſed ſimul implicite indicare integralem, ut patet ex pronomine *Ego*, & formis aliorum Sacramentorum. Aliud eſt de forma extremæ unctionis, cujus verba in Tridentino aſſignata nullum faciunt ſenſum perfectum, nec per circumſtantias ad aliquem determinantur. Porro Catechiſmus Romanus non addit ſignum &c., quod etiam teſte Dicaſtillo non habetur in quibusdam exemplaribus Florentini. Ad Conf. iterum Neg. Conſ. Nam ex Tridentino a contradictorio ſolum inferri poteſt voces ſub ſigno &c. denota- 459

tas pertinere vel ad essentiam Sacramenti, vel ad ejus administrationem licitam. Adde, quod preces a Tridentino non tantum contraponantur vocibus sub signo &c. contentis, sed etiam illis *te absolvo*.

460 Dices 2. Si significatio formæ potest compleri per circumstantias, ad illius essentiam sufficit unicum verbum *Absolvo*: ergo tam parum debet exprimi particula *Te*, quam pronomen *Ego*. Conf. Si pœnitens rite confessus interrogaret Sacerdotem: *Absolvis me*, & ille responderet, ita, nemo diceret, hanc absolutionem esse validam: ergo. Resp. Neg. Ant. Quamvis enim hanc sequelam admittat Ulloa, repugnat tamen constanti modo loquendi conciliorum, & communi sensui Doctorum asserentium, personam suscipientis per illam formam explicite debere exprimi. Hinc ex particula *Te* communiter inferunt, non posse absolvi absentem, sicut ex particulis *Hic*, & *Hoc* infertur, non posse consecrari panem absentem, aut vinum absens. Aliud forte est de hac forma: Absolvo a peccatis tuis, quia persona absolvenda videtur satis significari per vocem tuis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Christus non solum voluit, ut absolutio exprimatur quomodocunque, alias etiam posset fieri nutibus: sed ut fiat per verba formaliter exprimentia actum judicialem, quem particula ita, aut alia similis ex primæva sui institutione, & se sola determinate non significat.

461 Dices 3. Saltem juxta nos circumstantiæ complentes formam absolutionis essent pars Sacramenti pœnitentiæ, & causarent gratiam; sed hoc videtur absurdum: ergo. Conf. Verba *A peccatis tuis* causant gratiam sacramentalem: ergo etiam circumstantiæ complentes formam

mam abſolutionis. Reſp. Licet non foret abſurdum admittere, quod circumſtantiæ determinantes ſignificationem formæ ſint pars formæ quidditative acceptæ, hoc tamen non eſt neceſſarium, ſed de circumſtantiis a confeſſione ſacramentali diſtinctis diſcurri poteſt, ſicut de intentione miniſtri, quod videlicet ſint tantum aliqua conditio ad ſignificandum, & cauſandum effectum ſacramentalem diſpoſitive concurrens. Ad Conf. Negatur antecedens a Suario, Lugone aliisque pluribus ſaltem pro caſu, quo verba *A peccatis tuis* primum poſt verba: Abſolvo te, proferuntur, quia his prolatis nulla apparet ratio, cur effectus Sacramenti diutius ſuſpendatur. Si tamen verum eſſet antecedens, ſolum ſequeretur, quod verba *A peccatis tuis* ſint pars integralis abſolutionis, ſicut pronomen *Ego*.

Quæres: Qualis ſit ſenſus verborum abſolutionis? Reſp. illum eſſe duplicem, ſacramentalem, & grammaticalem. Sacramentalis eſt: Ego tibi confero gratiam de ſe remiſſivam peccati. Grammaticalis: Ego hac mea ſententia judiciali tibi remitto peccata, quæ debito cum dolore confiteris; hic enim ſenſus eſt maxime conformis ſignificationi, quem verba abſolutionis ex primæva hominum inſtitutione habent, & ſecundum quem formæ Sacramentorum verificari debent. Neque obeſt, quod ſæpe contingat, ut peccata, quæ in confeſſione exponuntur, jam ſemel fuerint expoſita, & remiſſa; nam verba Abſolvo, Remitto, Condono, quando pro objecto habent offenſam, ex communi acceptione hominum non tantum ſignificant remiſſionem formalem, per quam jus ad averſionem rationabilem ratione offenſæ præteritæ immediate antea exiſtens tollitur formaliter, ſed etiam remiſſionem radicalem, quæ 462

 eſt

est forma de se sufficiens ad dictum jus destruendum, si immediate adhuc exstitisset. Sic quando filius a patre, aut subditus a superiore iterato petit condonationem offensæ jam aliquando remissæ, & is, a quo petitur, respondet: Remitto, Condono, hæc responsio in sensu proprio verificari censetur.

QUÆSTIO V.

Quis sit minister Sacramenti pœnitentiæ?

463 QUod solus Sacerdos sit minister Sacramenti pœnitentiæ contra Waldenses, Wiclefitas, & Lutheranos clare docet concilium Florentinum in decret. pro Armen. & Tridentinum sess. 14 cap. 6, item can. 10, ubi definit: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere: aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, quorum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.* Ratio a priori est voluntas Christi nobis manifestata per illa verba Joan. 20 v. 23: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.*

464 Quippe hæc verba solis Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus dicta esse, constat 1. ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua Sacramentum pœnitentiæ semper a solis Sacerdotibus administratum est. 2. Ex perpetua traditione, & Patrum interpretatione. Sic S. Am-

Ambrosius lib. 1 de pœnit. cap. 2 ait : *Jus hoc solis Sacerdotibus permissum esse.*; S. Chrysostomus lib. 3 de Sacerdot. cap. 5 : *Sacerdotes habere hanc potestatem, non item Angelos, neque Archangelos, neque terrenos Principes; quia ad hos dictum est : Quæcunque alligaveritis.*
3. Ex hac congruentia. Quia Sacramentum pœnitentiæ est jus quoddam sacrum, & gravissimum, adeoque non omnibus indiscriminatim, sed solis iis committendum fuit, qui ad illud specialiter consecrati sunt, ut, sicut soli habent potestatem in corpus Christi verum, seu physicum, sic soli habeant potestatem in corpus Christi mysticum. Hinc Martinus V per Bullam in concilio Constantiensi editam de Wiclefismo suspectos interrogari jussit : *Utrum credant, quod Christianus de necessitate salutis soli Sacerdoti confiteri teneatur, & non Laico, seu Laicis quantumcunque bonis, & devotis.*

Neque tamen ad validam administrationem Sacramenti pœnitentiæ sufficit sola potestas ordinis, sed insuper requiritur jurisdictio, & approbatio. Nam licet Christus Joan. 20 Sacerdotes constituerit judices, illis tamen solum dedit potestatem remittendi peccata incompletam, & quasi conditionatam, si videlicet pœnitentes sint illorum subditi, & jurisdictioni subjecti, quam jurisdictionem primum ab Ecclesia accipere debent. Sicut igitur Apostoli per illa verba : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* acceperunt quidem potestatem ordinis ad absolvendum, potestatem jurisdictionis autem per verba præcedentia : *Sicut me misit Pater, sic ego mitto vos*; ita Sacerdotibus per ordinationem confertur quidem potestas ordinis, ut vero etiam obtineant potestatem jurisdictionis, requiritur nova aliqua concessio externa, secundum quam hæc juris- 465

dictio minui, augeri, adimi, vel etiam delegari potest. Et ordinarie quidem confertur per collationem alicujus officii curam animarum annexam habentis, delegata vero per privilegium, aut concessionem eorum, qui ordinariam habent.

466 Porro quemadmodum jurisdictio in genere est potestas regendi, & sententiam ferendi in subditos: sic in ordine ad forum internum, de quo hic agimus, est potestas absolvendi, ligandi, & obligandi subditos in tribunali pœnitentiæ sacramentalis. Ejus necessitatem concilium Tridentinum sess. 14 cap. 7 adstruit his verbis: *Quoniam natura, & ratio judicis illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem.* Idem statuit concilium Lateranense IV cap. Omnis, & Florentinum in decret. pro Armen. Rationem assignat ipsum Tridentinum, quia videlicet Sacramentum pœnitentiæ essentialiter est judicium, ad cujus valorem necessario requiritur jurisdictio in eo, qui judicat, & subjectio in eo, qui judicatur.

467 Approbatio est authenticum testimonium, & consensus Ecclesiæ sive Episcopi de idoneitate Sacerdotis ad confessiones audiendas. De hac Tridentinum sess. 23 cap. 15 de reform. ita habet: *Decernit S. Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consue-*

tudine quacunque etiam immemoriali non obstantibus. Quæ verba non solum de necessitate præcepti, sed Sacramenti intelligenda esse expresse declaravit congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum, & satis constat ex sensu, & praxi Ecclesiæ, imo ex ipso Tridentino, dum absolute ait: *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari &c.* Quod autem hoc procedat in omni loco, etiam ubi Tridentinum non est promulgatum, colligitur ex constitutione *superna* Clementis X, & propositione damnata ab Alexandro VII in Brevi ad Episcopum Andegavensem dato anno 1659.

Præterea notandum 1. Parochos, aliosque Curatos, licet ipsi ad audiendas confessiones suorum subditorum speciali approbatione non indigeant, non tamen posse suam jurisdictionem delegare Sacerdotibus non approbatis, ut constat ex propositione 16 damnata ab Alexandro VII: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.* 2. Quod non possint audiri confessiones etiam ab illo, cui approbatio injuste fuit denegata; nam idem Alexander damnavit hanc propositionem 13: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* 3. Ad audiendas tamen confessiones virorum Regularium non requiritur talis approbatio, quia Tridentinum signate tantum loquitur de confessionibus sæcularium. 4. At vero de confessionibus Monialium Gregorius XV const. *Inscrutabili* statuit, pro illis requiri approbationem specialem, saltem nisi sint ordinis exempti, aut itinerantes; tunc enim a quolibet confessario specialiter non approbato videntur absolvi posse, præsertim si 468

afferant id fibi per fua ftatuta licere ; tunc enim iis credi poteft.

469 Dices 1. Quando Chriftus Joan. 20 dixit: *Quorum remiſeritis peccata &c.*, vel locutus eft ad folos Apoftolos tanquam Epifcopos, vel in eorum perfona ad omnes fideles, ficut quando Matth. 28 v. 19 dixit: Euntes baptizate &c.: ergo non foli Sacerdotes funt miniftri Sacramenti pœnitentiæ. Conf. Jacobi 5 v. 16 ad omnes fideles dicitur : *Confitemini alterutrum peccata veſtra :* ergo. Refp. Neg. Ant. Verba hæc non funt dicta ad folos Epifcopos, quia Sacramentum pœnitentiæ eft maxime neceffarium, & frequenter plurimis adminiftrandum, ad quod foli Epifcopi non fufficerent : Neque dicta funt ad omnes fideles, quia non omnes funt apti ad judicium in re tanta exercendum. Aliud eft de Baptifmo, cujus adminiftratio eft multo facilior, & neceffitas magis univerfalis. Ad Conf. S. Jacobus folum docet, confeffionem non effe faciendam foli Deo, fed etiam hominibus, attamen ad hoc deputatis, & abfolvendi poteftate præditis, ut colligitur ex verbis præcedentibus : *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Hinc nullus veterum Græcorum, aut Latinorum ex hoc textu intulit, quemlibet fidelem poffe abfolvere.

470 Dices 2. Concilium Eliberitanum can. 32, & Triburienfe relatum cap. Fures de furtis afferunt, fi Sacerdos defuerit, pœnitentibus, ac confeffis a Diacono communionem dari poffe. Idem affirmant concilium Eboracenfe, Londinenfe, Alcuinus aliique prifcæ ætatis Scriptores. Conf. SS. Patres quandoque dicunt poteftatem ligandi, atque folvendi bonis omnibus divinitus effe conceffam, impiis vero negatam. Refp. Tranf. Ant. Neg. Conf. Conci-

lia

lia, & auctores laudati solum tradunt, quod in defectu Presbyteri Diaconus potuerit pœnitentes absolvere a censuris, & pœnis canonicis, ac ipsis etiam sacram communionem dare, siquidem sufficientia contritionis signa dederint, cujusmodi signum est confessio peccatorum, etsi non in specie, nec Sacerdoti facta. Ad Conf. Dist. Ant. Docent bonis omnibus datam esse potestatem ligandi, atque solvendi per viam impetrationis, in quantum peccatoribus gratiam pœnitentiæ petere, & a Deo obtinere possunt, Conc. Ant. ligandi atque solvendi sacramentaliter, Neg. Ant. Nam SS. Patres potestatem hanc solis Sacerdotibus manifeste vindicant.

Dices 3. Juxta S. Cyprianum epist. 13 ante absolutionem a Diaconis datam fiebat exomologesis, hanc sequebatur manus impositio: *Ut pœnitentes veniant ad Dominum cum pace:* ergo absolutio a Diaconis data fuit Sacramentalis. Conf. Gratianus, Magister sententiarum, aliique Scriptores antiqui absolutioni a Diaconis acceptæ tantum virtutis tribuunt, quantum absolutioni sacerdotali: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis ejusmodi absolutio quoad ritum externum imitabatur absolutionem sacramentalem, tamen ex defectu ministri revera talis non fuit, sed eidem solum æquivalebat in ordine ad absolutionem a censuris, & pœnis canonicis, neque remissionem peccatorum causabat ex opere operato, sed ad summum ex opere operantis per modum alicujus impetrationis. Ad Conf. Neg. Ant. Isti auctores solum docebant, absolutionem a Diaconis datam ad remissionem peccatorum valere, quantenus conjunctum habet votum adeundi Sacerdotem, & Sacramenti ab eo susci-

471

piendi, ut ostendit Morinus lib. 8 de pœnit. cap. 23 & 24.

QUÆSTIO VI.

De Reservatione casuum.

472 Dixi quæst. præced. ad valorem absolutionis in ministro præter ordinem presbyterii requiri jurisdictionem, & approbationem, hic insuper addendum est, quod etiam sit necessaria potestas absolvendi a casibus reservatis. Intelligitur autem per reservationem casuum nihil aliud, quam ablatio, vel negatio jurisdictionis ad absolvendum a certis peccatis, quamvis circa alia concedatur. Reservationem hanc ab Ecclesia fieri posse, negarunt olim Wiclefus, & Waldenses, quos sequuntur plerique ex hæreticis modernis; sed contrarium aperte statuit concilium Tridentinum sess. 14 cap. 7 & can. 11, ubi ita habet: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.*

473 Probat hanc suam doctrinam Tridentinum tum ex perpetua praxi, & usu Ecclesiæ, tum ex ipsa natura judicii; quippe quædam peccata Episcopis reservata fuisse testantur concilium Carthaginense III can. 32, Africanum can. 10, Latomerense, Wormatiense &c. Neque obstat, quod hæc concilia quandoque loquantur de pœnitentia publica, si enim ista reservata fuit, idem quoque censendum est de absolutione a culpa, ut colligitur ex S. Cypriano epist. 11, & 13. Item ex Benedicto XI in extrav. inter cunctas de privileg. ubi

ubi fit expreſſa mentio caſuum reſervatorum, ſicut & in Clement. 1 de privileg. & cap. ſi epiſcopus de pœnit. & remiſſion. in 6. Nempe ut quæſt. præced. oſtendi, ad valorem abſolutionis in miniſtro requiritur jurisdictio; hæc vero a ſuperioribus Eccleſiæ prælatis debet inferioribus communicari: ergo poteſt eſſe magis, vel minus limitata, prout ad meliorem populi chriſtiani diſciplinam conducere videbitur, ut magis ab aliquibus peccatis atrocioribus abſterreatur.

Quare poteſtas aliquos caſus reſervandi 474
competit 1, ſummo Pontifici, a quo omnis jurisdictio tam ordinaria, quam delegata in reliquos Eccleſiæ Prælatos, & miniſtros promanat. 2. Epiſcopis tum reſpectu Parochorum ſibi ſubditorum, tum aliorum clericorum etiam Regularium, ut patet ex propoſitione 12 damnata ab Alexandro VII: *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* 3. Aliis Prælatis Eccleſiæ jurisdictionem quaſi epiſcopalem habentibus, & ſuperioribus Regularibus juxta ſuorum ordinum ſtatuta, & conſtitutionem Clementis VIII datam 26 Maji anno 1594; tandem 4 etiam Parochis, & quibuscunque jurisdictionem ordinariam habentibus reſpectu illorum, quibus illam poſſunt delegare. Quorum omnium poteſtas talis eſt, ut caſus non ſolum poſſint reſervare ſibi, ſed etiam alteri; ſicut enim jurisdictionem alicui poſſunt auferre, ſic eandem ex rationabili cauſa poſſunt alteri concedere. Ita Pontifex quosdam caſus non tantum ſibi, ſed etiam epiſcopis reſervat.

Viciſſim a caſibus reſervatis abſolvere 475
poſſunt 1, qui illos reſervarunt. 2. Eorum quoad forum pœnitentiæ ſuperiores. 3. Qui hanc

hanc poteſtatem per legitimam delegationem, aut privilegium acceperunt. 4. In neceſſitate, & articulo mortis quivis Sacerdos. Si enim tunc nullus poteſtate in peccata reſervata præditus haberi poteſt, Eccleſia cuilibet alteri Sacerdoti eandem concedit, ut patet ex concilio Tridentino, quod ſeſſ. 14 cap. cit. ita habet: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione* (caſus reſervati) *aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei conſtitutum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt. Extra quem articulum Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.*

476 Circa quod decretum Tridentini notandum eſt 1, quod verba *ab omnibus cenſuris* intelligenda ſint juxta materiam ſubjectam de illis cenſuris, quæ Sacramentis recipiendis obſtant. Unde moribundus non poterit abſolvi a ſuſpenſione ab ordine, officio &c. ut colligitur ex ratione addita: *Ne hac occaſione aliquis pereat.* 2. Quod moribundus a cenſura reſervata abſolutus transacto periculo ſtatim debeat recurrere ad eum, cui cenſura reſervata erat, alias in eandem reincidet, ut cap. eos, qui de ſent. excomm. in 6, Bonifacius VIII. decrevit. 3. Hæc tamen obligatio non extenditur ad illa peccata, quibus nulla cenſura reſervata annexa eſt; nam capitulum citatum ſolum agit de abſolutione a cenſura; Eccleſia vero cuilibet Sacerdoti jurisdictionem in peccata reſervata pro articulo mortis ſimpliciter concedit. 4. In aliis neceſſitatibus, in quibus peccata reſervans aut

ejus

ejus ſuperior adiri nequit, poſſunt quidem Sacerdotes inferiores a peccatis reſervatis abſolvere indirecte, nihilominus manet obligatio adeundi ſuperiorem, ut conſtat ex ultimis verbis: *Extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint &c.*

Hactenus dicta potiſſimum procedunt de peccatis mortalibus; nam licet etiam peccata venialia abſolute reſervari poſſent, in quantum per Sacramentum pœnitentiæ nequeunt remitti, niſi vi jurisdictionis, & approbationis ab Eccleſia receptæ, defacto tamen non ſolent reſervari. Imo teſte la Croix omnes ferme auctores antiqui tanquam certum ſupponunt, quod facultas abſolvendi a venialibus (uti etiam mortalibus jam ſemel rite expoſitis) ex immemoriali conſuetudine ſit conceſſa omnibus Sacerdotibus, etiam non approbatis. Neque hæc facultas videtur eſſe omnino ſublata per decretum Innocentii XI, cum ad aures, editum 12 Febr. anno 1679, in quo Pontifex ordinariis præcipit: *Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut ordinario. Si Parochi, aut confeſſarii etiam regulares, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant, ſe Deo optimo maximo rationem reddituros eſſe.* Quippe ex hoc, quod Pontifex velit non permitti, ſed prohiberi talem abſolutionem, non ſequitur, quod illam etiam velit irritari, & jurisdictionem omnino tolli; hinc juxta Cardenas, Layman, Sporer &c. defacto eſt quidem illicita, non tamen foret invalida. 477

Dices 1. Epiſcopi, & Parochi habent jurisdictionem, & poteſtatem ordinariam ab ipſo Chriſto, utpote ovium rectores, & paſtores: ergo nullus caſus ipſis poteſt reſervari. Conf. Epiſco- 478

ſcopatus, & parochia ſine gravi cauſa nulli poteſt auferri: ergo neque jurisdictio. Reſp. Diſt. Ant. habent jurisdictionem, & poteſtatem ordinariam ab ipſo Chriſto dependentem tamen, & ſubordinatam ſummo Pontifici, Tranſ. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis inſtitutio epiſcoporum, & presbyterorum, quoad ſuum gradum ſint juris divini, ſunt nihilominus ſubjecti ſummo Pontifici, qui proin munus, & poteſtatem alios paſcendi, illis plus, vel minus poteſt committere, prout viſum fuerit. Ad Conſ. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo neque poteſt auferri jurisdictio omnis, Tranſ. Conſ. quoad aliquam partem, Neg. Conſ. cum epiſcopus, & parochus per legitimam inſtitutionem acquiſiverit jus reale ſui epiſcopatus, & parochiæ, aliqua autem jurisdictio videatur de eſſentia paſtoris qua talis, utique requiritur major cauſa, ut ſuo jure in re, & omni jurisdictione priventur, quam ut ipſis auferatur poteſtas in aliqua tantum peccata ſuorum ſubditorum.

479 Dices 2. Reſervatio caſuum repugnat ipſi inſtitutioni Sacramenti pœnitentiæ, quæ non minus exigit integram jurisdictionem in omnia peccata, quam integram omnium confeſſionem, & abſolutionem. Conf. Fideles adigere, ut determinato Sacerdoti confiteantur, & ita augere onus confitendi alias ſatis grave eſt contra charitatem: ergo. Reſp. Neg. Ant. Quando pœnitens habet peccatum reſervatum, per ſe loquendo non poteſt abſolvi, niſi confeſſarius in peccatum reſervatum habeat poteſtatem, aut adſit neceſſitas, & juſta cauſa dimidiandi confeſſionem, quo caſu indirecte etiam a peccato reſervato abſolvitur. Sicut igitur non ſemper requiritur confeſſio materialiter integra, ſic non ſemper eſt neceſſaria juris-

di-

dictio in omnia peccata. Ad Conf. Dist. Ant. est contra charitatem, si id fiat sine justa causa, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. cum graviora mala indigeant severioribus remediis, neutiquam repugnat charitati, si quædam peccata atrociora majoribus Ecclesiæ Prælatis reservantur, ne ipsa facilitas veniæ incentivum peccandi præbeat, sed difficultas illam obtinendi peccati terrorem incutiat, quamquam juxta doctrinam Tridentini hac in re debita moderatio omnino observanda sit.

Quæres. An in articulo mortis deficiente Sacerdote confessio debeat fieri Laico, & ita confitentem salvet bona fides? Resp. negative. 480
Nam talis obligatio nulla ratione probatur, neque talis absolutio esset valida, quia juxta dicta in ministro necessario requiritur potestas ordinis. Multo minus defectum hujus potestatis, quæ jure divino, & ex ipsa institutione requiritur, posset supplere bona fides confitentis, alias etiam posset dici, quod bona fides suppleat defectum aquæ naturalis in Baptismo, defectum vini de vite in Eucharistia &c. Hinc quando can. Quem pœnit. 88 de pœnit. dist. 1 dicitur, quod pœnitens deficiente Sacerdote confessus Laico fiat dignus venia ex Sacerdotis desiderio, solum intelligi debet de justificatione ex opere operantis, in quantum occasione talis confessionis pœnitens elicit contritionem perfectam. Eodem modo cum S. Thoma explicandi, vel deferendi sunt quidam Auctores antiqui, qui asserere videntur ejusmodi confessionem, & absolutionem validam, ac fructuosam esse.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De sigillo sacramentali confessionis.

481 PEr sigillum confessionis intelligitur obligatio servandi secretum circa ea, quæ cognita sunt ex confessione sacramentali, & quorum revelatio Sacramentum redderet odiosum, quæ obligatio tanta est, ut in nullo excogitabili casu sine gravissimo sacrilegio, sive directe, sive indirecte verbo, aut facto, ante aut post mortem pœnitentis quidquam eorum, quæ sub hoc sigillo æqualiter continentur, liceat revelare, sine expresso pœnitentis consensu, ut constat ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ, ac summorum Pontificum declaratione. Sic Gregorius Papa can., Sacerdos dist. 6 de pœnit. ait: *Pro nullo scandalo* (id est damno) *etiam publico, & communi avertendo frangendum esse hoc sigillum*, & cap. 9: Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. statuitur pœna depositionis, & perpetuæ detrusionis in monasterium in transgressores hujus sigilli. Ratio est reverentia debita Sacramento pœnitentiæ, a cujus æstimatione, & usu summopere necessario homines facile absterrerentur, neque spectata humana fragilitate sperari posset, ut sua occultissima crimina sincere detegerent, si in ullo casu licitum esset in confessione audita manifestare.

482 Quare tam stricta obligatio non tantum oritur ex jure ecclesiastico, sed naturali, & positivo divino. Nam 1 hæc obligatio sigilli est antiquior omni lege ecclesiastica, & habetur ex traditione a temporibus Apostolorum derivata, alias consuetudine contraria, vel dispensatione Pontificis posset tolli. 2. Supposita institu-

ſtitutione Sacramenti pœnitentiæ ipſum jus naturale Religionis obligat, ut nihil fiat contra reverentiam eidem debitam; jam vero ſi in aliquo caſu liceret ſigillum frangere, hæc licentia facile extenderetur, & pœnitentes merito timerent, ne hic ipſe caſus eſſet, quo peccatum ſuum poſſet revelari, adeoque Sacramentum redderetur odioſum. 3. Quia tamen hoc jus naturale nondum videtur ſufficere ad iſtam obligationem ſecundum totum ſuum rigorem inducendam, ulterius addendum eſt, quod tam rigoroſa obligatio ſimul oriatur ex ſpeciali præcepto Chriſti, qui ſigillum hoc pro nullo caſu voluerit eſſe revelabile.

Neque dicas quamlibet etiam minimam violationem ſigilli eſſe mendacium contra veraci- 483
tatem. 2. Injuriam contra juſtitiam. 3. Irreverentiam contra Sacramentum: ergo ex ſolo jure naturæ ſatis eſſe prohibitam. Nam contra eſt 1. Si confeſſarius revelaret peccatum, quod revera audiviſſet, non mentiretur; quamvis enim id non ſciret, ut homo, ſciret tamen ut miniſter Chriſti. 2. Lex naturalis juſtitiæ ſe non extendit ad ſervandum ſecretum pro omni caſu, præſertim ſi agatur de bono publico, quod ſæpe prævalet privato. 3. Si liceret tantum revelare peccata minima, vel aliunde jam nota, homines immerito abſterrerentur ab uſu Sacramenti pœnitentiæ, & tamen nequidem de reo ad furcam damnato, & jam convicto, ac confeſſo licet dicere, quod furta ſua in tribunali ſacramentali expoſuerit. Certe ex ſolo jure naturali evinci non poſſet, quod obligatio ſigilli non capiat parvitatem materiæ, ſed etiam in re minima ſit gravis.

Cæterum ad ſigillum ſacramentale obligan- 484
tur omnes, ad quos confeſſionis notitia mediate, vel immediate, juſte vel injuſte perve-

 nit,

nit, uti 1 confeſſarius etiam ſimulatus, 2 interpres, aut ſcriba, cui in ordine ad faciendam confeſſionem peccata fuerunt dictata, 3 adſtantes, qui vel caſu, vel furtive, & ſacrilege alterius confeſſionem audierunt, 4 quibus ipſe confeſſarius juſte, vel injuſte aliquid de confeſſione revelavit ſine licentia pœnitentis. 5. Imo etiam quibus de licentia pœnitentis aliqua aperit, ut illos conſulat, quia pœnitens licentiam talia aperiendi tantum cenſetur dediſſe, in ordine ad abſolutionem, & confeſſionem. 6. Idem Diana, Stoz, Gormaz &c. docent de illo, quem ipſe pœnitens in ordine ad confeſſionem conſulit, aut interrogat. Aliud foret, ſi pœnitens tantum ex alia cauſa alteri ſua peccata aperiret, aut ipſemet daret licentiam aliqua manifeſtandi; nam ſigillum ſacramentale a Chriſto fuit inſtitutum in favorem pœnitentis: ergo ſicut pœnitens ad illud non obligatur, ſic poteſt cedere jure ſuo.

485 Ad materiam ſigilli pertinent, quæcunque ex ſola confeſſione ſacramentali ſunt cognita, & manifeſtata Sacramentum redderent odioſum. Uti 1, Omnia peccata mortalia non ſolum in ſpecie, ſed etiam in genere. 2. Peccata venialia in ſpecie, quod enim ille, qui confitetur, ſaltem venialiter peccaverit, per ſe notum eſt. 3. Peccata exiſtimata, & omnes illæ circumſtantiæ, quas pœnitens ad explicandum ſuum peccatum attulit, ſive fuerint neceſſariæ, ſive non, dummodo pœnitentis interſit ea taceri. 4. Negatio abſolutionis, & pœnitentia injuncta, ſiquidem ea ſit major, quia præberet occaſionem varia ſuſpicandi. 5. Scrupuli, aliique defectus ſive uaturales, ſive morales, ſi aliunde nondum ſint noti; ſæpe enim mallet aliquis revelari, ſe mentitum eſſe, quam ſe eſ-

ſe

se spurium, ignobilem &c. De his itaque cum nullo etiam complice, aut ipso pœnitente extra confessionem agere licet, sine expressa illius licentia. Quamvis enim locutio cum pœnitente de auditis in confessione proprie non sit fractio sigilli, nihilominus est illicita, cum sine dubio cedat in odium Sacramenti. Excipiunt Suarius, Filliutius, Diana &c., si cum pœnitente agendum esset de substantiali errore in confessione commisso, & emendando, quia tunc confessarius proprie non loquitur extra confessionem, sed eandem supplet, & perficit.

Præterea a violatione sigilli distinguendus 486
est usus scientiæ ex confessione haustæ, qui quandoque dari potest sine omni periculo revelationis, & gravamine pœnitentis, ut si confessarius pro pœnitentis conversione secreto oret, aut Missæ sacrificium offerat. Imo plures, quam 40 Auctores cum Sanchez, Stoz &c. docuerunt. hunc usum non esse illicitum, si fundari possit etiam in aliis cognitionibus a confessione non dependentibus, & aliunde justa habeatur causa tales actus exercendi, maxime si nec ipse pœnitens usum talis scientiæ advertat, nec aliud incommodum ei eveniat, quam impeditio peccati, vel occasionis peccandi, ut si famulo claudatur ostium, ne valeat exire ad peccandum. Verum congregatio generalis inquisitionis anno 1682 18 Novembr. edito decreto prohibuit, ne quis in praxim deducat, aut publice, vel privatim doceat, quod liceat uti scientia confessionis cum gravamine pœnitentis in casu, quo seclusa quacunque revelatione multo gravius pœnitentis gravamen ex non usu sequeretur. Clemens VIII quoque jam anno 1594 26 Maji mandaverat superioribus Religionum, ne notitia confessionis ad externam gubernationem utantur.

DISPUTATIO VI.

De satisfactione sacramentali, & indulgentiis?

487 PEr satisfactionem late acceptam intelligitur cujuscunque debiti solutio. Hic in sensu strictiore accipitur pro actione, qua quis solvit debitum ex delicto, seu offensa Dei contractum. Duplex autem ex quolibet peccato resultat reatus, videlicet culpæ, & pœnæ. Reatus culpæ est dignitas ad sustinendam indignationem, & respectu peccati mortalis etiam odium Dei: reatus pœnæ est dignitas ad pœnam, in quantum peccatum Deo tribuit jus ad puniendum peccatorem pœnis temporalibus, vel etiam æternis. Quod jam nulla creatura possit condigne satisfacere pro reatu culpæ, ostenditur in tractatu de Incarnatione, neque hic sermo est de reatu pœnæ æternæ, qui semper cum reatu culpæ mortalis remittitur, sed de sola satisfactione pro pœna temporali, præsertim quæ præstatur per opera pœnalia in Sacramento pœnitentiæ a ministro ad compensandam injuriam Deo illatam injuncta, quibus dein aliqua subjungam de remissione pœnarum per indulgentias.

QUÆSTIO I.

An cum culpa semper remittatur omnis pœna peccati?

488 LIcet Deus cum culpa semper posset remittere omnem pœnam, eamque defacto condonet digne suscipientibus Baptismum, vel martyrium subeuntibus; nihilominus valde conveniens fuit, ut post condonatum reatum culpæ, & pœ-

pœnæ æternæ adhuc exigeret aliquam pœnam temporalem in hac, vel altera vita ſubeundam præſertim ab iis, qui poſt acceptam juſtificationis gratiam rurſus peccarunt. Nam & juſtitia divina aliquo modo poſtulare videtur, ut difficilius remittantur peccata, quæ cum majore ingratitudine, & cognitione perpetrata ſunt; & ipſam Dei bonitatem decet, ut exigendo pœnas pro peccatis jam remiſſis licentiam peccandi coerceat, quemadmodum advertit concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 8. At Calvinus lib. 3 Inſtit. cap. 4 docet, Deum a juſtis nullas amplius pœnas in vindictam peccati præteriti exigere, ſed illos tantum paterne caſtigare, ad profectum, & emendationem. Calvinum ſequuntur Kemnitius, multique ex Lutheri diſcipulis, quamquam ipſe Lutherus hac in re ſibi non ſatis conſtet.

Dicendum. Remiſſa culpa, & pœna æterna ſæpe adhuc remanet reatus pœnæ temporalis. Eſt de fide definitum a concilio Tridentino ſeſſ. 6 can. 30, & ſeſſ. 14 can. 12. Prob. claris exemplis Scripturæ. Sic 2 Reg. 12 David poſt impetratam veniam adulterii & homicidii punitus eſt morte filii; cum enim Nathan Propheta v. 13 dixiſſet: *Dominus tranſtulit peccatum ſuum*, ſtatim ſubjecit: *Verum tamen quoniam blasphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*. Numer. 14 Iſraelitæ ob peccatum murmurationis jam remiſſum in deſerto perierunt v. 34 dicente Domino: *Quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis ultionem meam*. Terræ promiſſionis ingreſſu ob peccatum diffidentiæ prohibiti ſunt Moyſes, & Aaron, primus quoque parens noſter, licet ex delicto ſuo per ſapientiam eductus, ut Sap. 10 v. 2 dicitur, pœnam temporalem adhuc ſuſtinuit 489

obnoxius gravissimis vitæ miseriis, & ipsi morti, quæ per peccatum in hunc mundum intravit, & in omnes posteros pertransiit, ut testatur Apostolus ad Rom. 5 v. 12.

490 Probatur 2 ex perpetuo Ecclesiæ usu, quæ in Sacramento pœnitentiæ semper aliquas satisfactiones confitentibus imposuit, ut constat ex conciliis, libris pœnitentialibus, & ritualibus. Imo in veteri Ecclesia pœnitentes, qui ob infirmitatem absolutione, & Evcharistia donati fuerunt, postquam convaluerunt, ad eundem pœnitentiæ gradum, in quo morbo correpti sunt, iterum remittebantur, nihilque apud SS. Patres frequentius legitur, quam post dimissam culpam, & pœnam æternam adhuc superesse solvendam pœnam temporalem. S. Augustinus in Psalm. 50 ait: *Impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Ignoscis confitenti, sed seipsum punienti. Servatur misericordia, & veritas*; S. Chrysostomus Homil. de pœnit. & confess.: *Ne peccantes, & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam.* Similia habent S. Ambrosius super Psalm. 37, S. Hieronymus in cap. 10 Jerem., S. Gregorius Magnus, Leo, Fulgentius, Prosper &c. apud Tournel. q. 7 art. 1.

Objectiones.

491 OBj. 1. Deus in Scriptura passim testatur, quod *Si impius egerit pœnitentiam, omnium ejus iniquitatum non sit recordaturus*, Ezech. 18 v. 21; *Quod impietas non amplius eidem sit nocitura*, Ezech. 33 v. 12; quod illius *Peccata quasi nix sint dealbanda*, Isa. 1 v. 18: ergo post remissam culpam nullus manet reatus pœnæ. Conf. ex

ex illo ad Rom. 8 v. 1: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Cum ex aliis Scripturæ locis manifeſte conſtet, quod Deus a pœnitente etiam poſt condonatam culpam, & pœnam æternam aliquas pœnas temporales expoſcat, textus objecti neceſſario cum univerſa Eccleſia debent exponi de remiſſione peccatorum quoad odium Dei, damnationem, ac pœnam æternam, quem ſenſum ipſa Scriptura indicat, dum de impio juſtificato apud Ezechielem addit: *Vita vivet, & non morietur*; videlicet morte æterna, reſpectu cujus pœna temporalis parvi habenda eſt, præſertim quia ſimul plurimum prodeſt, ad frænandam peccati licentiam, & meritorum augmentum. Ad Conf. eadem eſt reſponſio; nam pœna ſolum temporalis proprie, ac ſimpliciter non poteſt dici damnatio.

Dices. Exempla Scripturæ a nobis adducta 492
ſunt tantum extraordinaria, & ex antiquo teſtamento petita: ergo nihil probant pro lege nova, in qua Chriſtus divinæ juſtitiæ abunde ſatisfecit. Conf. Peccatores in antiqua lege non puniebantur, ut ſatisfacerent, ſed præciſe, ut corrigerentur, & a peccatis abſterrerentur. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Si enim Deus poſt remiſſam culpam ita punivit Davidem, Moyſen, & totum populum Hebraicum, quid melius poterunt ſperare alii, qui longe magis peccarunt, & non raro longe minus pœnitent. Certe etiam in antiqua lege peccata fuerunt remiſſa ex meritis Chriſti, qui teſte S. Joanne fuit propitiatio pro peccatis totius mundi. Imo etiam in nova lege adhuc luimus pœnas peccati originalis, & ſatis clarum exemplum pœnæ temporalis legitur 2 ad Cor. 2 de Corinthio inceſtuoſo, de quo plura dicenda erunt quæſt. 7. Ad Conf. Neg. Ant. Nam Scriptura expreſſe dicit, Iſraelitas

portasse iniquitates suas *in ultionem*, neque David fuit punitus tantum, ut caveret in futurum, sed quia *Blasphemare fecit inimicos nomen Domini*, multo minus Moyses & Aaron sunt morte puniti, ut corrigerentur.

493 Obj. 2. Quando Christus remisit peccata Magdalenæ, & paralitico, nullam ipsis injunxit pœnam: ergo justificatis nulla luenda remanet. Certe de S. Petro inquit Ambrosius lib. 10 in Luc. num. 88: *Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Conf. Christus Matth. 6 v. 12 nos docuit, ut in oratione dominica a Deo petamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; atqui illatas nobis injurias ita debemus proximo remittere, ut nihil in vindictam, & punitionem exigamus: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ex eo, quod Christus Magdalenæ & paralitico nullam pœnam injunxerit, imprimis non sequitur, quod nullam debuerint sustinere. Dein si illis, quibus immediate per se ipsum peccata remisit, ad majorem excellentiæ, & clementiæ suæ commendationem speciale aliquid indulsit, id non potest ad omnem peccatorum remissionem extendi. S. Ambrosius per satisfactionem intelligit excusationem; hinc statim addit: *Quod defendi non potest, ablui potest.* Ad Conf. Ex oratione dominica solum infertur, quod Deus plenam remissionem peccatorum indulgeat aliquando, nimirum pro fervore charitatis, ad quem nos per hanc ipsam mercedem vult excitare.

494 Dices. S. Chrysostomus Homil. de pœnit. & confess. express. ait: *Propter hoc imponit nobis Deus pœnam, non de peccatis supplicium sumens, sed ad futura nos corrigens*; S. Augustinus lib. 2 de peccat. merit. & remiss. cap. 34: *Vitæ hujus miserias ante remissionem esse quidem supplicia peccatorum; post remissionem autem certa-*

ta-

tamina, & exercitationes justorum; & in Psalm. 48 in illud: *Operuisti omnia peccata illorum. Quid est*, inquit, *operuisti? ut non illa videres, quid est, ut non illa videres? ut non illa vindicares.* Resp. Quid isti Patres docuerint, satis patet ex illorum verbis, quæ num. 490 recitavi. Unde S. Chrysostomus hic solum vult, quod Deus pœnas temporales nobis non tantum imponat ad vindictam, & punitionem, sed etiam ad nostram emendationem, & profectum. In eodem sensu intelligendus est S. Augustinus lib. 2 de peccat. merit., ex altero autem ejus textu, hoc unum extundi potest, quod Deus ita hominibus dimittat peccata, ut ea non amplius vindicet supplicio æterno.

Obj. 3. Satisfactio tantum potest exigi pro 495
debito nondum soluto; atqui debitum peccati quoad culpam remissi jam est solutum a Christo, qui non minus satisfecit pro reatu pœnæ, quam culpæ: ergo. Conf. Sublata causa tollitur effectus; atqui culpa est causa pœnæ: ergo. Resp. Trans. Maj. Dist. min. debitum peccati jam est solutum a Christo in actu primo, Conc. min. in actu secundo, Subdist. Si satisfactio Christi nobis applicetur, quantum satis est ad remissionem omnis pœnæ, Conc. min. secus, Neg. min. & Conf. Quamvis merita Christi sint infinita, & de se sufficientissima ad solvendam omnem pœnam, ipse tamen Christus ex sapientissimo fine noluit, ut illa semper nobis applicentur, quantum ad remissionem omnis pœnæ etiam temporalis satis esset. Ad Conf. Neg. Maj. universaliter etiam de effectu jam posito intellectam, neque enim sublata causa vulneris, hoc ipso tollitur vulnus. Utrum vero Deus cum culpa semper velit remittere omnem pœnam, præcise dependet ex ejus voluntate, qua justissime potuit, & voluit pœnam æternam

in temporalem commutare, ut ex S. Scriptura & traditione Ecclesiæ discimus.

496 Dices, Vel ergo per merita Christi solvuntur debita nostra? vel non? si primum; ergo satisfactiones nostræ sunt superfluæ: si secundum; ergo merita Christi non sunt infinita. Conf. Satisfactiones nostræ debent accipere valorem a meritis Christi: ergo per illa jam habetur totus valor, & nostræ satisfactiones non amplius sunt necessariæ. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Nam licet debita nostra per merita Christi non plene extinguantur, quin per satisfactiones nostras nobis applicentur, hæc tamen applicatio non requiritur ad supplendam insufficientiam meritorum Christi, ferme sicut juxta Adversarios requiritur fides, non quasi per illam valor satisfactionis Christi debeat suppleri, sed præcise ut nobis applicetur. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo per merita Christi jam habetur totus valor, at nondum nobis ad remissionem omnis pœnæ sufficienter applicatus, Conc. Conf. jam sufficienter applicatus, Neg. Conf. Ex antecedente tantum sequitur, quod ad plenam solutionem omnis pœnæ, neque sola satisfactio Christi, neque sola nostra sufficiat, sed necessaria sit satisfactio Christi per nostram nobis satis applicata.

497 Obj. 4. Opera Dei semper sunt perfecta; atqui nisi cum culpa remittatur omnis pœna, remissio peccati non est perfecta: ergo. Conf. Juxta nos generi humano plus obfuit inobedientia Adami, quam profuit obedientia Christi; nam peccatum Adami culpam, & pœnam simul invexit, obedientia Christi solam culpam, & pœnam æternam sustulit. Resp. Dist. Maj. semper sunt perfecta formaliter, & quantum est ex parte Dei, Conc. Maj. materialiter, quasi ex

parte ipsius operis nullus possit dari defectus negativus, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Deus opera sua non statim debet ad omnem perfectionem perducere, sed solum accommodare ad finem a se intentum, ad quem hic, & nunc magis servit remissio non plena peccati. Imo quia pœna temporalis comparate ad culpam, & pœnam æternam vix æstimari meretur, & Deus insuper homini gratis concedit sufficientia remedia etiam pœnam temporalem redimendi, remissio divina merito perfecta vocari potest. Ad Conf. Neg. sequelam, peccatum Adami nocuit quidem nobis immediatius, at non plus, eoquod dependenter a meritis Christi possimus omnem pœnam etiam temporalem delere, idque cum ingenti gloriæ æternæ augmento.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo pœna temporalis possit redimi per opera pœnitentiæ?

QUod Deus pro peccatis quandoque aliquam pœnam temporalem ita constituat, ut nullam redemptionem pro ea velit acceptare, facile concedunt Catholici. Talis est pœna mortis, quam nullus quamvis justus ullo pio opere a se avertere potest. Talis fuerat illa, quam 2 Reg. 12 Davidi impositam fuisse diximus; nam licet multis lachrymis, precibus, & jejuniis Deum deprecatus sit, his tamen non potuit redimere mortem filii sui. Talis denique fuit pœna Moysis, ne intraret in terram promissionis, rogavit enim, ut ipsemet Deuter. 3 testatur, Deum, ut pœnam hanc sibi condonaret, & non est exauditus. His tamen non obstantibus omnes contra Calvinum lib. 3 instit. cap. 14 docent, alias pœnas temporales tam in hac, quam in altera 498

vita

vita luendas operibus pœnitentiæ extingui poſſe.

499 Nam 1. Nemo ignorat Ninivitas ſubverſionem urbis ſuæ, quam ob gravia peccata meruerunt, jejuniis, & precibus deprecatos fuiſſe, Joan. 3 v. 10; Daniel quoque Nabuchodonoſori ſuaſit, ut ad avertendam pœnam temporalem, quam Deus minitabatur, peccata ſua eleemoſynis, & miſericordiis redimeret, Dan. 4 v. 24. Deus ipſe 1 Paralip. 7 v. 14 populo ſuo liberationem a pœnis temporalibus promiſit, ſiquidem egerit pœnitentiam, & exquiſierit faciem illius. 2. SS. Patres, & Scriptura nos paſſim hortantur ad opera pœnitentiæ, jejunia, fletus, & planctus: ergo cum reatus culpæ, & pœnæ æternæ per ſolam contritionem, vel Sacramentum pœnitentiæ remittatur, cætera opera pœnitentialia conducunt ad delendas pœnas temporales, & quidem etiam poſt mortem luendas; de his enim ſermo eſt Tob. 4 v. 11: *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*; & Eccleſ. 3 v. 33: *Sicut aqua reſiſtit igni, ita eleemoſyna peccatis.* In eundem ſenſum S. Baſilius in Reg. brev. & S. Auguſtinus Enchir. cap. 73 exponunt illud Luc. 11 v. 41: *Date eleemoſynam, & ecce, omnia munda ſunt vobis.*

500 Porro opera pœnitentiæ, qnibus peccata redimi poſſunt juxta concilium Tridentinum ſeſſ. 14 can. 13, ſunt triplicis generis. Ad primum pertinent pœnæ a Deo inflictæ, & patienter toleratæ, in quantum illas moraliter facimus noſtras, dum easdem malumus patienter pati, quam per indignationem, aut illicitam repugnantiam ab officio noſtro deſciſcere, & ſic in hanc punitionem Deo quaſi conſentimus. Neque neceſſe eſt, ut ejusmodi flagella a Deo ſpecialiter in pœnam immittantur, quia etiam illa, quæ vel a cauſis naturalibus, vel liberis juſte, aut inju-

ſte

ſte patimur, non ſine præſcientia, & permiſſione divina contingunt. & ab infinita ejus bonitate ad noſtram ſalutem ordinantur. Multo minus obſtat, ſi ejusmodi opera pœnitentiæ jam ſint aliunde debita, & præcepta; ſicut enim per talia opera poſſumus mereri augmentum gratiæ: ſic etiam pœnas temporales redimere. Imo in hunc finem jejunia, & corporis afflictiones præcipiuntur, hinc qui juxta præceptum divinum, & naturale pro fidei defenſione martyrium ſuſtinet, perfectiſſime debitum pœnæ exſolvit. Ex quo ipſo vel maxime elucet divina benignitas, quod talia opera nobis in mercedem, & ſolutionem imputet, quæ ex juſtitia a nobis poteſt exigere.

Secundum genus complectitur opera pœ- 501
nalia, jejunia, orationes, eleemoſynas &c. ſponte ſuſcepta; ſi enim Deus pro redemptione pœnæ temporalis acceptat opera aliunde debita, multo magis ipſi placebunt ſponte ſuſcepta. Aut quis coegit Jobum, ut pro imprudenti loquela in favilla, & cinere pœnitentiam ageret? Job. ult. Quis Davidem, ut panem ſicut cinerem manducaret, & potum ſuum fletu miſceret? Pſalm. 101. Quis Regem Ninivitarum, ut ſacco ſe indueret, & toti populo jejunium indiceret? Jon. 3. Certe Patrum libri pleni ſunt exhortationibus ad opera pœnitentiæ ſponte ſuſcipienda, quorum vis redimendi peccata, licet potiſſimum conſiſtat in actibus internis, utpote maxime liberis, nihilominus ipſum etiam opus externum ſolutionem debitorum auget, eoquod virtus redimendi peccata non ſolum in moralitate, & laudabilitate operis, ſed etiam in pœna conſiſtat, quæ in actu externo eſt major, & ab actu interno diſtincta.

Interim ut ejusmodi opera ad redimendam 502
pœnam temporalem præſertim de condigno valeant,

leant, juxta communem requiritur, ut sint 1 honesta; neque enim Deus ex opere operantis placari potest per id, quod ei displicet, vel certe non placet. 2. Libera, in quantum affectu libero assumuntur, aut saltem acceptantur; nam libertas est de essentia actus honesti, & redemptio pœnæ aliquo modo fit per modum meriti, secus ac satispassio, quæ etiam ab invito præstari potest. 3. Supernaturalia; quippe opus mere naturale non habet proportionem ad remissionem pœnæ supernaturalem & naturæ indebitam. 4. Pœnalia, quia solutio pœnæ est actus justitiæ vindicativæ, quo pœnitens injuriam Deo illatam punit, ac vindicat. Ejusmodi opus pœnale per se est omne opus honestum, quatenus semper alicui bono naturali delectabili, vel utili opponitur, & aliquam difficultatem, ac molestiam adjunctam habet. 5. Posita ab homine in gratia constituto, quia ad solutionem pœnæ necessario requiritur gratia sanctificans, sine qua opera nostra non sunt Deo accepta; hinc Tridentinum sess. cit. cap. 8 requirit, ut prius in Christo vivamus, quam fructus dignos pœnitentiæ faciamus.

503 Tertium genus operum pœnitentialium constituunt illæ pœnæ, quas Sacerdotes in ipso Sacramento pœnitentiæ ex perpetuo usu Ecclesiæ imponere solent, non utique in ordine ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, quæ e. g. moribundo remittitur, etsi nullum opus pœnale peragere valeat; ergo in ordine ad remissionem pœnæ temporalis. Nempe Sacerdotes a Christo acceperunt potestatem judicialem non solum solvendi, sed etiam ligandi per impositionem pœnæ pro peccatis subeundæ, ut explicat Tridentinum sess. 14 cap. 8, & SS. Patres nominatim S. Cyprianus serm. de lapsis, S. Gre-

Gregorius lib. 3 in 1 Reg., S. Leo epist. 19 ad Theodorum. Hinc disp. 2 quæst. 3 ex concilio Tridentino docui, satisfactionem esse partem integralem Sacramenti pœnitentiæ, cujus præcipuus effectus est remissio alicujus pœnæ temporalis, ut tradit idem concilium sess. cit. can. 13. Ubi anathema dicit asserenti, pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis a Sacerdote injunctis.

Competit autem vis redimendi peccata istis 504 pœnis ex opere operato, tum quia illam habent tanquam partes Sacramenti pœnitentiæ, tum quia imponuntur ex potestate clavium, ut per illas applicentur merita Christi, seu opus operatum ipsius. Profecto absurdum foret dicere, quod ejusmodi pœnæ sacramentales non habeant majorem vim, & efficaciam, quam non sacramentales: & si tantum prodessent ex opere operantis, nulla foret ratio, cur pars Sacramenti appellarentur. Hinc licet alia opera pœnitentialia juxta superius dicta debeant fieri in statu gratiæ, nihilominus pœnæ sacramentales ablato obice consequuntur suum effectum, etsi in statu peccati mortalis fuerint persolutæ, præsertim si absolutio a culpa præstationem satisfactionis primum consequatur, modo ejusmodi pœnitentiæ pie, ac debito modo peractæ fuerint. Interim non per quamlibet satisfactionem etiam sacramentalem statim remittitur tota pœna temporalis, sed juxta mensuram, & proportionem pœnæ impositæ cum delictis, & quantitate debiti residui.

Hinc Tridentinum sess. 14 cap. 8 ait: Sa- 505 cerdotes debere pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere. Ratio est, quia confessarius a Christo est institutus minister Sacramenti, & judex, ac medicus pœnitentis. Ut mi-

minister tenetur procurare integritatem Sacramenti, ut judex vindicare divinam injuriam, & in pœnis injungendis servare æquitatem, ut medicus curare vulnera pœnitentis, & remedia præscribere morbis proportionata. Ex quo ulterius sequitur, quod etiam pœnitens teneatur pœnam rationabilem, & proportionatam acceptare, & implere; quilibet enim subditus tenetur obedire judici, & superiori justam sententiam ferenti: neque in Sacerdote posset stare potestas, & obligatio convenientem pœnitentiam injungendi; nisi etiam in reo daretur obligatio illam acceptandi, & implendi. Videri hac de re etiam potest cap. omnis utriusque de pœnit. & remiss.

506 Cæterum opera pœnalia in Sacramento pœnitentiæ imposita præter vim redimendi pœnam temporalem multas habent utilitates, quæ a concilio Tridentino sess. 14 cap. 8 enumerantur. Nam 1 ex illis discimus, nequaquam levia esse peccata, quæ tam duris, & acerbis pœnis emendari debent. 2. Hinc peccatores reddunt cautiores, & vigilantiores in futurum, ne facile in antiqua peccata recidant, aut omnino in graviora labantur. 3. Imo etiam alios a peccatis revocant, & quasi frœno quodam peccandi libidinem coercent. 4. Medentur insuper peccatorum reliquiis, & tollunt vitiosos habitus male vivendo contractos. 5. Nos Christo capiti nostro, qui pro nobis tot dura, & acerba pertulit, magis conformes reddunt. Adde 6, quod sint in exemplum, & ædificationem aliorum: *Id agat pœnitens*, inquit S. Augustinus serm. 35 alias Homil. 50, *quod non solum ipsi prosit ad salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.*

QUÆ-

QUÆSTIO. III.

An opera pœnitentialia sint vere satisfactoria?

LUtherus, & Kemnitius quamvis admittant, 507
posse præveniri manum Dei, & pœnis sponte susceptis averti illas, quas alioqui ob nostra scelera incurreremus: negant tamen cum Calvino, ejusmodi opera sive sacramentalia, sive extrasacramentalia esse satisfactoria; imo vix nomen satisfactionis sustinent. Catholici vero satisfactionem dividunt in congruam, & condignam. Satisfactio de condigno est, quæ secundum rectam æstimationem habet æqualitatem aliquam cum pœna, pro qua satisfit: satisfactio congrua est, quæ licet pœnam, pro qua satisfit, non adæquet, fundat tamen aliquam convenientiam, vi cujus offensus ad pœnam illam remittendam prudenter moveri potest, ut uberius explicatum est in tractatu de merito, ubi plura ad præsentem quæstionem servientia videri possunt, quæ brevitatis studio hic non repeto.

Dicendum 1. Homo pro pœna temporali 508
post remissam culpam residua Deo vere potest satisfacere. Est de fide, definitum in concilio Tridentino sess. 14 can. 13 cit. quæst. præced. Prob. Imprimis juxta S. Scripturam pœna temporalis per bona opera potest redimi: *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas*, Proverb. 17 v. 6; atqui redemptio æquivalet satisfactioni; non enim illa minus, quam hæc ad justitiam pertinet. Dein in eadem Scriptura Deus Luc. 3 v. 8 exigit, ut *Faciamus dignos fructus pœnitentiæ*, per quos SS. Patres non solum intelligunt vitæ novitatem & legis obedi-

entiam, ſed etiam opera pœnitentialia, per quæ divinæ juſtitiæ ſatisfiat, ut multis oſtendit Bellarm. lib. 4 de pœnit. cap. 8, & 9, cumque ipſe Calvinus, Kemnitius, & Illiricus fateantur, SS. Patres paſſim hanc ſatisfactionem agnoſcere, ſufficiat nobis illud S. Ambroſii lib 7 in Lucam: *Sicut, qui pecunias ſolvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius ſortis quantitas ſolvatur. Sic compenſatione charitatis, actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacunque peccati pœna diſſolvitur.*

509 Dicendum 2. Homo juſtus pro pœna temporali poteſt ſatisfacere de condigno. Concluſio eſt contra Bajum, cujus damnata propoſitio 77 ita habet: *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam*; quippe Scriptura exigit fructus dignos pœnitentiæ, & concilium Tridentinum ac SS. Patres ſimpliciter dicunt, quod homo pro temporali pœna poſſit ſatisfacere; ſed qui tantum ſatisfacit de congruo, non ſatisfacit ſimpliciter; ſed tantum ſecundum quid; alias etiam poſſet dici, quod homo e. g. per contritionem ſatisfaciat pro debito pœnæ æternæ; quod tamen Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 14 expreſſe negat. Sane cum opera hominis juſti de condigno poſſint mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, non eſt ratio, cur non etiam de condigno valeant ſatisfacere pro pœna temporali, cum qua ſufficientem habent æqualitatem, in quantum omnino dignum, & juſtum eſt, ut propter illa divinus judex amicis, & filiis ſuis adoptivis tales pœnas remittat.

Objectiones.

510 OBj. 1. In S. Scriptura paſſim legitur, quod Chriſtus peccata noſtra tulerit, quod ab illis

lis non laverit in sanguine suo, quod sit advocatus, & propitiatio nostra: ergo homo pro peccatis suis non amplius potest satisfacere; alias idem debitum bis deberet solvi. Conf. Si nos ipsi pro peccatis nostris debemus satisfacere, mors Christi nihil nobis profuit: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Christus ipse voluit, ut merita sua ad plenam peccatorum remissionem non applicentur nisi per nostras satisfactiones: unde idem debitum non debet bis solvi, neque aliquid derogatur dignitati satisfactionis Christi, cum ab illa etiam nostræ satisfactiones totum suum valorem, & efficaciam accipiant. Ad Conf. Neg. Ant. Nam per mortem Christi imprimis obtinemus remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, dein omnes gratias ad agendam condignam pœnitentiam necessarias, denique ipsæ nostræ satisfactiones sunt dona Christi, & propter ejus mortem a Deo acceptantur.

Dices. Juxta S. Augustinum Christus est 511
unicum sacrificium pro peccatis nostris, & lib. de dogmat. Eccles. cap. 54 docet: *Pœnitentiæ satisfactionem esse causas peccatorum exscindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere*: ergo homo proprie non satisfacit. Conf. Ex S. Chrysostomo, qui Homil. 10 in Genes. ait: *Deum a nobis nil ultra requirere, quam ut delicta nostra apud se confiteamur.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Cum satisfactiones nostræ, & omnia Sacramenta vim suam ex meritis Christi habeant, nos ipsi fatemur omnia peccata per sacrificium crucis remitti, quamquam locus S. Augustini a Calvino non notetur. Porro in lib. de dogmat. Eccles. S. Augustinus, vel potius Gennadius satisfactionem definit ab effectu, quatenus illa est vera, seriaque satisfactio, ex qua sequitur, ut radices peccatorum evellantur, & boni virtu-

tum habitus acquirantur. Interim in eodem lib. cap. 35 expresse dicitur, per opera pœnitentialia satisfactionem præstari. Ad Conf. S. Chrysostomus loquitur de remissione culpæ, quod enim pro remissione pœnæ temporalis requiratur satisfactio Homil. de beato Philogonio, & alibi sæpius aperte docet.

512 Obj. 2. Remissio peccatorum juxta S. Paulum ad Rom. 3 v. 24 est gratuita: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu*: ergo fit sine nostra satisfactione. Conf. Quando in Scriptura dicuntur peccata redimi, sermo est de reatu culpæ, pro quo etiam juxta nos nulla pura creatura potest satisfacere. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Licet remissio pœnæ temporalis non detur sine nostra satisfactione, & huic debeatur, nihilominus est gratuita, eoquod necessario præsupponat gratiam Dei tum actualem, tum sanctificantem, & insuper a Deo gratiose acceptetur. Ad Conf. Neg. Ant. Nam vox peccatum, & iniquitas sæpe pro reatu pœnæ accipitur; redemptio autem in sensu proprio satisfactionem significat, in quo illam etiam acceperunt SS. Patres, & explicat perpetua Ecclesiæ traditio.

513 Dices. Si peccata remittuntur gratis, quia satisfactio nostra, ut fiat, necessario præsupponit gratiam, etiam dici poterit, quod peccata nostra gratis sint remissa Christo Domino, eoquod gratis acceperit divinitatem, aliaque dona, per quæ satisfecit. Conf. Satisfactiones veterum Christianorum tantum fuerunt pœnæ quædam externæ exempli, & disciplinæ causa publicis peccatoribus impositæ. Resp. Neg. sequelam. Verbum divinum libere consensit in assumptionem humanitatis, & Christus libere in suam mortem, per quam pro nobis ex propria sua virtute,

te, & dignitate satisfecit: econtra nostræ satisfactiones tantum sunt ex meritis Christi, & gratia divina intuitu illorum nobis data; hinc licet remissio pœnæ temporalis sit gratuita, & nobis indebita, debetur tamen Christo, qui ex propriis illam meruit. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium clare constat ex SS. Patribus, qui omnes peccatores indiscriminatim ad opera satisfactoria exhortantur, ut plenam per illa peccatorum remissionem accipiant. Certe Ninivitæ, David, S. Petrus &c. non tantum exempli, & disciplinæ causa tam severas pœnitentias egerunt.

Obj. 3. Offensa Dei est saltem secundum quid infinita, nostra bona opera autem aliunde Deo debita: ergo saltem homo nequit satisfacere de condigno. Conf. Ipsa bona opera, quæ homo facit, variis peccatis sunt infecta: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. ergo homo nequit satisfacere de condigno pro reatu culpæ, & pœnæ æternæ, Conc. Conf. pro pœna temporali, Neg. Conf. Licet Deus titulo creationis totum hominem, & quidquid ab eo fieri potest, exigere valeret, pro infinita tamen bonitate non omnia exigit, sed opera pœnitentialia etiam pro redemptione pœnæ temporalis acceptat, quæ cum tantum sit finita, utique per satisfactionem finitam potest adæquari. Ad Conf. Neg. Ant. quod merito anathematizat concilium Tridentinum sess. 6 can. 25, ubi ita statuit: *Si quis in quolibet opere bono hominem justum saltem venialiter peccare dixerit, anathema sit.* 514

Dices. Pœnæ purgatorii sunt longe graviores, quam pœnæ hujus vitæ: ergo nostra satisfactio cum illis non habet æqualitatem. Conf. Homo justus non potest satisfacere pro morte temporali propria, vel aliena redimenda: ergo multo minus pro pœnis purgatorii. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Satisfactio cum illis non habet 515

æqualitatem physicam quantitatis, Conc. Conf. moralem proportionis, Neg. Conf. pœnæ hujus vitæ utut leviores cum remissione pœnæ temporalis sufficientem proportionem acquirunt tum ex dignitate ipsius operis, quod est supernaturale, tum ex dignitate personæ operantis, quæ est filius Dei adoptivus, adhuc in statu viæ constitutus, tum ex meritis Christi, quæ per ejusmodi opera bona in hac vita specialiter nobis applicantur. Ad Conf. Trans. Ant. Neg. Conf. Quod homo justus nequeat satisfacere pro pœnis hujus vitæ, non est ex defectu proportionis bonorum operum ad condignam satisfactionem, sed quia Deus pro his pœnis nullam satisfactionem vult acceptare, ut notavi num. 494.

516 Obj. 4. Nisi Deus remissionem pœnæ nostris operibus promisisset, eaque pro satisfactione acceptaret, reatus pœnæ per illa non deleretur: ergo non sunt condigna. Conf. Tota virtus, & valor operum hominis justi expenditur in promerendo augmento gloriæ: ergo non potest simul obtinere redemptionem pœnæ. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Valor, & dignitas operis satisfactorii ad promissionem, atque acceptationem Dei jam præsupponitur: neque enim hæc facit, ut opus sit melius, & dignius, sed solum, ut hic, & nunc sibi æquale debitum expiet, licet Deus hanc solutionem antecedenter ad suam promissionem respuere potuisset. Ad Conf. Dist. Ant. Tota virtus merendi expenditur in augmentum gloriæ, Conc. Ant. etiam virtus satisfaciendi, Neg. Ant. & Conf. virtus merendi, & satisfaciendi non sunt ejusdem generis; illa enim respicit præmium, cujus hominem dignum reddit: hæc remissionem pœnæ, cujus dignitatem saltem remote tollit; hinc activitas unius non impedit activitatem alterius, neque cæteris paribus ille,

qui

qui non habet debitum pœnæ, plures gradus gloriæ meretur, quam alius, qui ſimul per idem opus pro pœna ſatisfacit.

Quæres. An per opera pœnitentialia aliquis etiam poſſit ſatisfacere pro alio. Reſp. affirmative. Ita enim docet certa de Sanctorum communione fides Eccleſiæ, quæ olim non alio fundamento fuerat nixa, ut in gratiam Martyrum relaxaret pœnitentibus pœnas canonicas, quam quod perſuaſum haberet, illorum merita, & ſatisfactiones Deo indulgente poſſe aliis applicari, quemadmodum magis declarabitur de indulgentiis. Hinc licet in confeſſione ordinarie non ſint imponenda talia opera, ad quæ pœnitens jam aliunde eſt obligatus, ſed pœnitentiæ vindicativæ, nempe jejunia, eleemoſynæ, orationes, aliaque ſimilia, quæ ad hæc revocantur, ut colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6 cap. 14, poteſt nihilominus quandoque injungi ſatisfactio applicanda aliis, quia hæc ſatisfactio tunc aliis non applicatur ſecundum valorem, quem habet ex opere operato, ſed ſecundum eum, quem habet ex opere operantis. Accedit, quod ipſe actus charitatis quo quis ſatisfactionem alteri applicat, habeat vim ſatisfactoriam, utpote quæ omnibus operibus meritoriis communis eſt. 517

QUÆSTIO IV.

An ſatisfactio ſacramentalis debeat præſtari ante abſolutionem?

Status quæſtionis non eſt, an ſatisfactio poſ- 518
ſit abſolutioni præmitti, aut quandoque ob ſpeciales cauſas prius a pœnitentibus exigi, quod nulla lege, aut decreto prohibitum legitur: imo antiquis temporibus, ubi pœnitentia publica in uſu fuit, abſolutionem ſacramentalem a pecca-

tis ordinarie poſt expletam ſatisfactionem datam fuiſſe, multis probare conatur Tournelyus q. 7. a. 3 concluſ. 2. Nos autem hic ſolum agemus contra quosdam Recentiores dogmatiſtas, Petrum de Oſma, Antonium de Dominis, Arnaldum, Quesnellum, Opſtret &c., qui contendunt, executionem impoſitæ ſatisfactionis ex inſtitutione Chriſti, & ipſa natura Sacramenti ita ad abſolutionem prærequiri, ut alias ſit invalida; hinc contrarium modernæ Eccleſiæ morem abuſum eſſe, & corruptelam.

519 Dicendum. Satisfactio a pœnitente non debet neceſſario impleri ante abſolutionem. Prob. Quia hoc neque requiritur ex inſtitutione Chriſti, neque ex natura Sacramenti, cum ſatisfactio tantum ſit pars integralis, ſine qua tota eſſentia Sacramenti conſiſtere poteſt, ut patet in moribundis, & ex praxi Eccleſiæ. De Eccleſia enim Græca certum eſt, quod jam ultra 1200 annos conſueverit pœnitentes ſtatim poſt confeſſionem abſolvere. Idem jam a ſex ad minimum ſæculis obſervavit Eccleſia Latina; univerſam autem Eccleſiam culpare, quod in re tanta abuſum contra inſtitutionem Chriſti, & naturam Sacramenti induxerit, eſt ſumma temeritas. Hinc Sixtus IV anno 1478 damnavit propoſitionem Petri de Oſma: *Pœnitentes non ſunt abſolvendi, niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta.* Poſtea vero anno 1690 doctrinam, & calumnias Adverſariorum adhuc clarius proſcripſit Alexander VIII tribus omnino propoſitionibus videlicet 16, 17, & 18, & anno 1713 Clemens XI propoſitione 87 Quesnelli.

520 Confirmatur. Jam in veteri Eccleſia multis in caſibus rata, & valida habebatur abſolutio a peccatis ante impletam ſatisfactionem: ergo neque ex inſtitutione Chriſti, neque ex natura Sacramenti requiritur, ut ſatisfactio impleatur ante

te abſolutionem, eoquod eſſentia Sacramenti ſemper ſit eadem, & ab Eccleſia mutari nequeat. Ejusmodi caſus autem erant primo. Si pœnitens ante expletum pœnitentiæ tempus in vitæ diſcrimen veniebat, ut patet ex can. 13 concilii Nicæni I, ex can. 76 concilii Carthaginenſis IV, ex can. 3 Arauſicani I &c. Secundo ſi periculum erat, ne pœnitens propter dilatam abſolutionem ad hæreticos, vel ſchismaticos deficeret, ut teſtatur S. Cyprianus epiſt. 52. Tertio ſi ſpes affulgebat, hac indulgentia plures ad Eccleſiam reverſuros, vel ſchisma fore extinguendum, ut videre eſt in epiſtola Cornelii Papæ ad Cyprianum. Quarto ſi Martyres datis libellis poſtulabant, ut lapſis pœnitentia relaxaretur; quamquam nimiam hac in re facilitatem Cyprianus reprehenderit. Quinto ſi pœnitens valde magnum, & vehementem dolorem de peccatis ſuis demonſtravit. Ita ſtatuit concilium Ancyranum can. 5, & S. Gregorius Nyſſenus in epiſt. canon.

Objectiones.

OBj. 1. Repugnat inſtitutioni Chriſti veniam peccatorum dare ante ſatisfactionem expletam; nam S. Cyprianus epiſt. 52 ait, ita Deo auctore, & hortatore peccatores ad pœnitentiam redigi, & epiſt. 10 in eos invehitur tanquam transgreſſores legis divinæ, qui lapſis ante expletam pœnitentiam pacem, & communionem dabant. Similia habet in tractatu de lapſis. Conf. Idem S. Doctor teſtatur, ab Eccleſia ad Sacramentum pœnitentiæ non admitti peccatores, qui illud tantum in articulo mortis poſt vitam ſcelerate actam peterent. Reſp. Neg. Ant. S. Cyprianus docet quidem, juxta legem Chriſti ſatisfactionem pro peccatis exhibendam eſſe, & ideo graviter reprehendit illos, qui in perſecu- 521

tione lapsi propter libellos Martyrum ab omni onere pœnitentiæ liberari, ac statim Ecclesiæ restitui volebant; quod autem satisfactio debeat præstari ante absolutionem, non revocat ad legem, & institutionem Christi, sed ad usum, & disciplinam Ecclesiæ Africanæ, siquidem ab illa lege in aliquibus casibus recedi posse, ipsemet affirmat. Ad Conf. Mos hic ad summum vigebat in Ecclesia particulari nempe Carthaginensi, in qua Cyprianus cum suis Episcopis ita statuit, non quod absolutionem ante peractam satisfactionem putaret invalidam, sed quia præsumebat, talium peccatorum conversionem non esse sinceram.

522 Dices. Innocentius I epist. ad Decent. cap. 7 expresse docet, Sacerdotis esse tunc dimittere pœnitentes, *Cum viderit congruam satisfactionem*, & S. Leo epist. 91 hoc refert ad institutionem Christi: *Mediator Dei*, inquit, *& hominum, homo Christus JEsus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum admitterent.* Conf. S. Augustinus serm. 54 de tempore docet: *Parum esse peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit, & in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantum, sed opera quæri.* Resp. Innocentius non loquitur de institutione Christi, sed de ritu Ecclesiæ, juxta quem publice pœnitentes ordinarie non absolvebantur ante expletam pœnitentiam; S. Leo autem tantum asserit, Sacerdotes a Christo accepisse potestatem pœnitentibus imponendi satisfactionem, & eosdem post peractam pœnitentiam absolvendi, sed non dicit ex lege Christi satisfactionem necessario absolutioni præmittendam esse. Imo uterque Pontifex locis objectis expresse docet, in casu necessitatis absolutionem

sta-

ſtatim eſſe concedendam. Ad Conf. S. Auguſtinus ſolum vult, quod merito dubia ſit illorum pœnitentia, qui ſolum in caſu neceſſitatis illam petunt, ſerm. 66 de tempore vero ipſemet ait: *Pœnitentiam veram non annorum numero cenſeri, ſed amaritudine animi.*

Obj. 2. Juxta SS. Patres nominatim Gregorium Homil. 26 in Evang. & Eligium Homil. 523
4 Sacerdotes eos duntaxat pœnitentes debent exterius abſolvere, quos merito præſumere poſſunt a Deo interius abſolvi; atqui non poſſunt præſumere a Deo interius abſolvi, niſi qui præſtiterunt ſatisfactionem: ergo. Conf. SS. Patres, & concilia ſæpe reprehendunt illos, qui ſuos pœnitentes ſtatim abſolvunt, modo emendationem ſpondeant, quin ſe multum ac diu ad pœnitentiam præparaverint. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. non poſſunt præſumere tales interius a Deo abſolvi ab omni pœna temporali, Tranſ. min. a culpa, & reatu pœnæ æternæ, Subdiſt. niſi præſtiterint ſatisfactionem reipſa, Neg. min. ſaltem in voto, quatenus ſunt parati eam præſtare, Conc. min. & Neg. Conſ. Modo aliquis vere ſit contritus, & paratus Deo pro ſuis peccatis ſatisfacere, ſatis eſt diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem a reatu culpæ, & poenæ æternæ, adeoque Sacramentum licite, & valide ipſi adminiſtrari poteſt. Ad Conf. dico, illos ſolum confeſſarios a Patribus, & conciliis reprehendi, qui in poenitentia privata ſtatim abſolvunt poenitentes, quin poſſint prudenter judicare, eos ſufficienter eſſe diſpoſitos, ad quod utique conduceret, ſi prius ſe multum, ac diu ad poenitentiam præpararent; attamen id per ſe neceſſarium non eſt.

Dices. Quod aliquis vere ſit contritus, & 524
diſpoſitus, non poteſt cognoſci, niſi ex fructibus poenitentiæ: ergo nemo poteſt abſolvi, niſi prius

prius per fletus, jejunia, orationes &c. sinceræ conversionis signa dederit. Conf. Peccatores, qui in articulo mortis ante impletam satisfactionem absoluti fuerant, per plura sæcula iterum ab Episcopo absolvebantur, & in concilio Arelatensi can. 22 omnino dicitur: apostatis in periculo mortis negandam esse absolutionem. Resp. Neg. Ant. Qui peccata sua humiliter confitetur, seque de illis dolere asserit, huic merito creditur, quod sit sufficienter dispositus, nisi aliunde adsint tales circumstantiæ, quæ ejus dispositionem dubiam reddunt. Aut quomodo possent absolvi moribundi, vel alias in propinquo mortis periculo constituti? Ad Conf. Neg. Ant. Ista absolutio Episcopi non erat sacramentalis, sed mere ceremonialis, qua publice poenitentes communioni aliorum fidelium restituebantur. Concilium Arelatense vero solum statuit, apostatis, communionem in mortis tantum periculo petentibus, denegandam esse S. Evcharistiam.

525 Obj. 3. Ipsa natura judicii postulat, ut reus satisfaciat, antequam absolvatur: ergo ex natura Sacramenti poenitentiæ absolutioni debet præmitti satisfactio. Conf. Absolutio est forma hujus Sacramenti, satisfactio illius pars integralis; sed materia debet præmitti formæ: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. Satisfactio pro culpa, & poena æterna debet præmitti absolutioni, Conc. Conf. satisfactio pro residua poena temporali, Neg. Conf. per absolutionem ordinarie solum remittitur culpa, & poena æterna, pro qua Deus nullam aliam satisfactionem exigit, quam contritionem, & confessionem dolorosam; poena autem temporalis, quæ remanet, tunc solum condonatur, si pro ea sufficiens præstetur satisfactio. Sane etiam in judicio forensi sententia communiter satisfactionem præcedit. Ad Conf.

Conf. Conc. Maj. Dist. min. materia essentialis debet præmitti formæ, Transf. min. integralis, Neg. min. dentes sunt pars materialis hominis, & tamen introductionem animæ, ac essentiam hominis primum consequuntur. Vid. num. 91.

Dices. Absolutio est merces, satisfactio 526
vero est pretium, quo debitum peccati expungitur; sed merces non datur, neque debitum expungitur, nisi præmissa solutione: ergo. Conf. In antiqua Ecclesia peccatores in periculo mortis absoluti, iterum remissi sunt ad poenitentiam publicam, & Evcharistia privati, donec poenitentiam impleverunt: ergo Ecclesia sensit absolutionem absque prævia satisfactione esse nullam. Resp. Dist. Maj. Satisfactio illa, quæ habetur per cordis contritionem, & oris confessionem, est pretium, Transf. Maj. satisfactio pro poena temporali, quæ est pars tantum integralis Sacramenti poenitentiæ, Subdist. est pretium pro remissione poenæ temporalis, Conc. Maj. pro remissione culpæ & poenæ æternæ, Neg. Maj. & sic proportionaliter Dist. min. Conf. Quando Patres dicunt, satisfactionem præmittendam esse absolutioni, vel loquuntur de contritione, & confessione, vel secundum disciplinam suo tempore receptam, quæ utpote Sacramento tantum accidentalis utique ab Ecclesia mutari potuit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Sed hoc fiebat præcise ob disciplinæ vigorem, ut tolleretur occasio poenitentiam negligendi, alias absolutio nulli ante impletam satisfactionem dari potuisset.

Cæterum licet aliqui ex Patribus aperte di- 527
xissent, juxta legem Christi, & Evangelii rigorem absolutioni satisfactionemnecessario præmittendam esse, hoc tamen ipsis, ut advertit Tournelyus, condonari deberet, & benigne exponi

poni pro more illis familiari, juxta quem, ut usum, & disciplinam Ecclesiæ suæ adversus infractores propugnarent, illam Christi institutioni, ac voluntati conformem esse demonstrare conati sunt. Ita passim loquuntur de admiscenda aqua vino evcharistico, de communione sub duplici specie, de trina immersione baptismali, de poenitentia publica &c., de qua hic varia quidem erudite tractari possent, quæ tamen pleraque jam per decursum annotata fuerunt. Certe illius obligatio per contrariam consuetudinem, & indulgentiam Ecclesiæ diu cessavit, licet etiamnum possit, ac interdum debeat peccatoribus scandalosis, & publicis aliqua poenitentia publica imponi, ut colligitur ex concilio Tridentino sess. 24 cap. 7, ipsa æquitate naturali exigente, ut publice satisfaciant, qui communitati scandalo nocuerunt.

QUÆSTIO V.

Quid, & quotuplex sit indulgentia?

528 PEr indulgentiam hic intelligitur remissio poenæ temporalis pro peccatis quoad culpam jam remissis debitæ, facta extra Sacramentum, & Missæ sacrificium ab eo, qui habet potestatem dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum. Dicitur 1 remissio, quæ non consistit in mera quadam absolutione, sed etiam in solutione ex thesauro spirituali Ecclesiæ; neque enim Prælati Ecclesiæ, & summi Pontifices sunt absoluti Domini, ut hominibus sine ulla compensatione culpas, vel poenas Deo debitas remittere valeant, sed solum habent potestatem auctoritate Dei remittendi culpam, & commutandi poenam æternam in temporalem, ita tamen, ut pro hac poena temporali divinæ justitiæ satisfiat vel per

per opera laboriosa ab ipso poenitente praestita, vel per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, quam applicationem facit, & sic loco poenitentis solvit ille, qui indulgentiam concedit.

Dicitur 2. Poenae temporalis pro peccatis 529
quoad culpam jam remissis debitae. Nam per indulgentias nec ipsa culpa, nec poena aeterna remittitur; liberant nihilominus a poena temporali, non solum per canones praescripta & Ecclesiae debita, sed etiam adhuc debita justitiae divinae, & vel in hac vita, vel in purgatorio luenda; alias usus indulgentiarum fidelibus parum prodesset, quem tamen concilium Tridentinum sess. 25 in decret. de indulgent. *Christiano populo maxime salutarem esse definit.* Hinc Sixtus IV ut erroneam damnavit hanc propositionem Petri de Osma: *Romanus Pontifex poenam purgatorii remittere non potest;* & Leo X istum articulum Lutheri: *Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud justitiam divinam.*

Dicitur 3. Facta extra Sacramentum, & 530
Missae Sacrificium ab eo, qui potestatem habet. Cum enim totus reatus poenae temporalis ordinarie nec in Sacramento poenitentiae, nec virtute Missae sacrificii deleatur, benignissimus Deus imbecillitati humanae adhuc aliud suppeditavit medium tribuendo Ecclesiae potestatem, ut thesaurum suum spiritualem applicare possit mortuis quidem per modum suffragii; vivis vero, qui Ecclesiae jurisdictioni, & judicio subsunt, etiam per modum absolutionis, & satisfactionis. Ubi tamen Cajetanus, Suarius, Navarrus &c. contra multos alios observant, eum, qui lucratur indulgentias, ideo non esse liberum ab implenda poenitentia in sacramentali ju-

dicio

dicio ſibi impoſita; tum quia indulgentiæ non dantur ad enervandam poenitentiam, & ſatisfactionem ſacramentalem, ſed præciſe ad ſupplendam fidelium imbecillitatem & impotentiam: tum quia Pontifices, quando indulgentias concedunt, ordinarie aliquam ſatisfactionem requirunt, nimirum Sacramentum poenitentiæ, quod pro parte involvit ſatisfactionem, ſumptionem Evchariſtiæ, certas preces &c.

531 Dicitur 4. Diſpenſandi ſpiritualem Eccleſiæ theſaurum, qui principaliter, & primario conſiſtit ex meritis, & ſatisfactione Chriſti, ſecundario autem etiam ex ſatisfactionibus Deiparæ, & aliorum Sanctorum. Nam 1 fide certum eſt, quod Chriſtus ſit propitiatio, & redemptio pro omnibus 1 Joan. 2 v. 2 & ad Coloſſ. 2 v. 14: ergo per ſuam ſatisfactionem, & merita (utpote infinita) reliquit infinitum theſaurum, *Quem per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque ſucceſſores, ſuosque in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum*; ut inquit Clemens VI in extravag. Unigenitus de poenit. & remiſſ. 2. Quod etiam merita B. Virginis aliorumque Sanctorum ad theſaurum Eccleſiæ pertineant, in eadem extravagante docemur, & ita credimus in articulo ſymboli apoſtolici de communione Sanctorum, quæ nihil aliud eſt, quam ſocietas, & communicatio operum, ac meritorum, ut illorum præſtantia aliorum indigentia ſuppleatur, quemadmodum loquitur Apoſtolus 2 ad Cor. 8 v. 14; ſi enim Deus juxta Scripturam intuitu meritorum Abrahæ, Iſaac, Jacob &c. aliis multa beneficia contulit, multo majora præſtabit ob tot, ac tanta Sanctorum merita, ideo a Leone X damnatus eſt etiam hic articulus Lutheri: *Theſauri Eccleſiæ, unde Papa*

pa dat, indulgentias, non sunt merita Christi, & Sanctorum.

Ut vero hic thesaurus Ecclesiæ fidelibus rite distribuatur, ad valorem indulgentiæ præter potestatem concedendi in conferente requiritur justa, & rationabilis causa; quippe, ut supra adverti, Prælati Ecclesiæ non sunt Domini meritorum Christi, & Sanctorum, sed tantum dispensatores, qui proin invalide agerent, si bona eorum dispensationi commissa sine justa, & rationabili causa prodigere vellent; hinc concilium Lateranense IV can. 62 indulgentias sine justa causa concessas appellat *indiscretas, ac superfluas*, & Martinus V in constit. post concilium Constantiense edita de hæresi suspectos jubet interrogari: *Utrum credant summum Pontificem habere potestatem concedendi indulgentias ex causa pia, & justa.* Interim ad justam causam non est necessarium, ut opus pro lucranda indulgentia injunctum adæquet ipsum debitum poenæ, alias indulgentiæ forent superfluæ; sed sufficit, modo habeatur finis aliquis pius, Deoque magis, quam satisfactio poenalis placens, isque per opus injunctum probabiliter, & juxta proportionem concessæ indulgentiæ obtineri possit, uti sunt publicum Ecclesiæ bonum, hæresum extirpatio, infidelium conversio, cultus Dei, & Sanctorum &c. 532

Cæterum indulgentia dividitur 1 in plenariam, quæ datur ad delendam totam poenam temporalem pro peccatis adhuc debitam: & in partialem, seu non plenariam, per quam solum remittitur pars poenæ temporalis e. g. pars dimidia, vel tertia, aut determinata e. g. 100 dierum, id est tanta, quanta de poena purgatorii remissa fuisset per poenitentiam 100 diebus secundum antiquos canones actam. 2. In personalem, quæ conceditur in favorem certæ per- 533

ſonæ e. g. moribundi: in localem, quæ datur in favorem certi loci e. g. ad viſitandam certam Eccleſiam: in realem, quæ eſt annexa certæ rei e. g. imagini ex metallo, vel corollæ Marianæ. Ad indulgentias plenarias pertinet jubilæum ita dictum ob quamdam analogiam cum jubilæo judaico, quod apud ipſos 50 anno recurrere ſolebat, ut videre eſt Levit. 25 & 27. In Eccleſia catholica annus jubilæus initio tantum celebrabatur anno 100, dein 50, tandem ad annum 25 reductus eſt; imo ob urgentes graves cauſas quandoque etiam aliis temporibus indulgentiæ ad inſtar jubilæi a ſummo Pontifice conceduntur. Interim jubilæum ab indulgentiâ plenaria ſolum differt accidentaliter ob annexa ſpecialia privilegia e. g. eligendi quemlibet approbatum confeſſarium, abſolvendi a cenſuris &c.

534 Dices 1. Chriſto poſt mortem tantum præmium fuit redditum, quantum meruit: ergo Eccleſiæ nullum reliquit theſaurum fidelibus diſpenſandum. Conf. Chriſtus ſua merita per ipſam mortem jam applicavit hominibus: ergo. Reſp. Neg. Ant. quod Maldonato hæreſi proximum videtur; ſi enim intelligitur de præmio eſſentiali, illud vi unionis hypoſtaticæ Chriſto fuit debitum, & connaturale: ſi vero de præmio accidentali, exaltatione ſui nominis, dilatatione ſuæ Eccleſiæ &c. merita Chriſti ob valorem infinitum omne præmium accidentale longe excedunt. Imo etſi merita Chriſti non eſſent ſimpliciter infinita, adhuc multum pretii reſtaret nobis applicandum, cum Chriſtus fuerit propitiatio pro peccatis totius mundi, nec ipſemet pro ſe ulla ſatisfactione indiguerit, utpote, *Qui non habuit neceſſitatem prius pro ſuis delictis hoſtiam offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo*, ut ait Apoſtolus ad

Hebr. 7 v. 27. Ad Conf. Neg. Ant. Quod pretium mortis Christi non omnibus hominibus, qui hactenus vixerunt, ad expianda illorum peccata applicatum fuerit, omnino certum est; nam major pars hominum morti æternæ fuit addicta testante ipso Christo Matth. 20 v. 16: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Dices 2. Satisfactio Christi fuit infinita, & superabundans: ergo indignum est in eodem 535 thesauro reponere satisfactiones Sanctorum. Conf. Est inexplicabile, quomodo per indulgentias passio Christi, & satisfactiones Sanctorum nobis applicentur, an simul, an seorsim, & qua proportione. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Sicut non fuit indignum verbum divinum hypostatice uniri naturæ humanæ, ita minime dedecet satisfactiones Sanctorum in eodem cum meritis Christi thesauro reponere, non quidem quasi essent necessariæ, aut ejusdem cum meritis Christi valoris, ac æstimationis, sed quia etiam ex meritis Christi profluunt, & æquum est, ut coram Deo non sint inanes, & otiosæ, sed etiam indigentibus applicari possint. Ad Conf. Suarius putat, ex thesauro meritorum Christi, & Sanctorum solutionem fieri per modum unius pretii indistincti, ita tamen, ut merita Christi sint causa primaria, & principalis, a qua satisfactiones Sanctorum suam vim, & efficaciam habeant. Quidquid de otiosa hac quæstione sit, certum est satisfactionem Christi, licet sit infinita, nobis tantum finito modo applicari, adeoque sine ulla injuria de Satisfactione Sanctorum ipsis aliquid addi potest.

Dices 3. Sancti pro omnibus suis operibus 536 jam supra condignum fuerunt præmiati: ergo ex illis nihil amplius superest ad expiationem nostrorum peccatorum; alias nostri redemptores dici possent. Conf. Quia vita æterna bonis ope-

operibus non tantum rependitur ut præmium amoris, & meritorum; sed etiam ut merces laborum, ac satisfactionum. Resp. Dist. Ant. Sancti jam supra condignum fuerunt præmiati pro suis operibus, quatenus sunt meritoria, Conc. Ant. quatenus sunt satisfactoria, Neg. Ant. cum sequela addita. In sensu proprio redemptor dicitur ille, qui eximit a captivitate & morte, solus autem Christus a captivitate dæmonis, & morte æterna nos liberavit. Dum igitur Sancti per opera sua, prout sunt satisfactoria, etiam partialiter nostra debita solvunt, & tanquam causa secundaria ad plenam nostram liberationem aliquid contribuunt, non nisi in sensu lato, & secundum quid nostri redemptores dici possunt. Ad Conf. Vita æterna bonis operibus Sanctorum rependitur quidem etiam ut merces laborum, & satisfactionum pœnæ temporalis, sed hanc plurimorum Sanctorum passiones longe excedunt, ut adeo hic excessus in thesauro Ecclesiæ repositus maneat, donec pro satisfactione aliorum fidelium expendatur.

537 Dices 4. Nulla remissio culpæ, aut pœnæ conceditur hominibus, nisi propter merita Christi: ergo opera Sanctorum ad remittendas nobis pœnas temporales saltem non possunt concurrere per modum solutionis, sed tantum per modum impetrationis. Conf. Quia pretium alienæ satisfactionis nulli applicatur, nisi ex intentione ipsius operantis. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis merita Sanctorum virtutem satisfaciendi habeant ex ipsis meritis Christi, adeoque ex his principaliter omnis remissio pœnæ proveniat, plurima tamen superabundantia Sanctorum merita quoad vim satisfaciendi manerent otiosa, nisi per modum solutionis ad remittendas nobis pœnas temporales possent insumi. Hinc

Hinc cum meritis Christi unum thesaurum constituunt, & a Pio V, & Gregorio XIII damnata est propositio 60 Baji: *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.* Ad Conf. Ut pretium satisfactionis Sanctorum nobis applicetur, sufficit, quod Sancti intentione generali nobis velint prodesse, quantum possunt, juxta mentem & dispensationem Ecclesiae.

QUÆSTIO VI.

An Ecclesia a Christo acceperit potestatem concedendi indulgentias?

ADversus catholicam de indulgentiis doctri- 538
nam insurrexerunt plures Sectarii, Montanistae, Waldenses, Wicleffus, Joannes Huss, & Lutherus. Hic suae ab Ecclesia defectionis initium coepit a doctrina indulgentiarum, & primo quidem reprehendit abusum, dein vero ad ipsas indulgentias impugnandas progressus est. Postquam enim Leo X provinciam indulgentias publicandi Dominicanis, non vero Augustinianis demandavit, Lutherus invidia percitus non horruit publice docere, indulgentias esse meras Pontificum imposturas, fidelibus non solum inutiles, sed etiam noxias, cum poenae temporales pro peccatis sint debitum justitiae divinae, adeoque a solo Deo remitti valeant. Lutherum postea secuti, & imitati sunt Calvinus, Zwinglius, Kemnitius, aliique eorum sectatores.

Dicendum. Ecclesia a Christo accepit po- 539
testatem concedendi indulgentias. Est de fide, & prob. 1 auctoritate Scripturae, Matth. 16 v.

19 Christus ad Petrum dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Eadem ferme repetiit ad omnes Apostolos Matth. 18 v. 18: ergo Christus Ecclesiæ dedit potestatem fidelibus concedendi indulgentias, iisque pro solutione pœnarum temporalium applicandi merita Christi, & satisfactiones Sanctorum. Nam 1 verba Christi sunt generalia, & significant potestatem universalem fideles introducendi in cælum, & tollendi omnia impedimenta consequendæ æternæ beatitudinis, inter quæ absque dubio est pœna temporalis pro peccatis adhuc debita. 2. Per hæc verba data est Ecclesiæ potestas solvendi, & ligandi fideles; ergo etiam imponendi pœnas temporales, vel easdem relaxandi; sicut enim potestas retinendi includit potestatem imponendi pœnam; sic potestas solvendi includit potestatem easdem relaxandi. 3. Modus hic solvendi est valde conveniens ad gloriam Dei, & Ecclesiæ utilitatem, quæ sunt finis omnis ministerii ecclesiastici: ergo cum verba Christi sint universalia, ac favorabilia, etiam ad illum extendenda sunt.

540 Probatur 2. auctoritate conciliorum, & SS. Patrum. Sic concilium Nicænum I can. 11 statuit, ut Episcopi illis, qui serio pœnitentiam agunt, ob fervorem, & contritionem tempus pœnitendi contrahere valeant. Idem sæculo IV indulsit Ancyranum, Neocæsariense, Laodicenum, & Carthaginense IV. Constantiense sess. 14 damnavit propositionem Joan. Huss: *Quod indulgentiæ Papæ, sive Episcoporum nihil prosint*; Tridentinum sess. 25 decret. de indulg. anathema dicit asserentibus: *Indulgentias esse inutiles, vel in Ecclesia non esse potestatem eas conceden-*

dendi. Ex Patribus Tertullianus lib. 1 ad Martyr. cap. 1 ait: *Pacem quidam in Ecclesia non habentes a Martyribus in carcere exorare consueverunt, & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis, ut si forte etiam & aliis præstare possitis;* S. Cyprianus epist. 12: *Qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* Similia de potestate relaxandi pœnitentiam docent SS. Basilius epist. ad Amphiloch., Innocentius I epist. 1, S. Leo epist. 79.

Objectiones.

OBj. 1. In Scriptura nullibi legitur, quod Deus hominibus dederit potestatem remittendi pœnas temporales peccatorum, sed illas tolerare debemus, sive velimus, sive nolimus, ut colligitur ex Psalm. 88, si deliquerint filii tui: *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum,* v. 33: ergo. Conf. Pœnæ debitæ pro peccato originali, videlicet mors, morbi aliæque miseriæ hujus vitæ per nullam indulgentiam possunt remitti: ergo. Resp. Neg. Ant. Quamvis potestas concedendi indulgentias in Scriptura non legatur verbis expressis, illam tamen satis manifestavit Christus Joan. 16, eamque Ecclesiæ competere docent SS. Patres, & constans traditio, ut uberius ex dicendis patebit. Quod autem Deus pro aliquibus pœnis nullam satisfactionem acceptet, jam notavi 498. Tales sunt, quorum non tam sumus rei in foro interno pœnitentiæ, sed quæ potius a Deo tanquam judice infliguntur in foro externo, & cri- 541

minali, & de his loquitur Psalmo 88. Ad Conf. Multo minus ad forum internum pertinent poenae peccati originalis, quæ toti generi humano sunt communes, & culpam originalem quasi naturaliter consequuntur.

542 Dices 1. Quando Christus Joan. 20 v. 23 Apostolis dedit potestatem remittendi, & retinendi, tantum locutus est de culpa, & pœna æterna; ergo etiam Matth. 16 tantum de istis sermo fuit. Conf. Solvere, & ligare nihil aliud est, quam remittere, vel retinere peccata; atqui hoc tantum potest fieri in foro pœnitentiæ: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. promissio Joannis 16 Petro facta est longe magis ampla, & generalis, quam potestas Joannis 20 data Apostolis; hæc enim determinate ad peccata restringitur: *Quorum remiseritis peccata &c.*; illa vero ecclesiasticæ potestatis tribunal illimitate Petro tribuit: *Quodcunque solveris super terram.* Imo etiam potestas remittendi peccata se extendit ad remittendas pœnas temporales, sicut ad illas infligendas se extendit potestas peccata retinendi. Hinc ad Conf. Neg. Maj. & min. Nam solvere, & ligare latius patet, quam absolvere, & retinere, vel etiam dici potest, quod potestas solvendi, & retinendi respectu peccatorum quoad culpam, & pœnam æternam jam remissorum extra tribunal sacramentale pœnitentiæ se extendat.

543 Dices 2. Potestas remittendi pœnas temporales est potestas judiciaria; atqui hæc non potest exerceri sine absolutione, quæ causæ cognitionem requirit: ergo. Conf. Quia potestas ligandi, & solvendi Matth. 18 v. 18 etiam data est reliquis Apostolis: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo &c.*; econtra potestas remittendi pœnas temporales soli Pontifici competeret. Resp. Trans. Maj. Dist. min.

min. Hæc non poteſt exerceri ſine abſolutione ſaltem generali, & conditionata, Conc. min. ſine particulari, quæ fertur ſecundum allegata, & probata, Neg. min. abſolutio ſacramentalis eſt ſententia ab homine lata ſecundum merita cauſæ, ad quod cognitio cauſæ utique per ſe requiritur: applicatio autem indulgentiarum eſt potius ſententia lata a jure, ad quam ſufficit juſta, ac legitima cauſa indulgentiam concedendi ſub conditione videlicet, ſi in eo, qui indulgentiam lucrari cupit, debita requiſita adſint. Ad Conf. Quamvis Chriſtus etiam Apoſtolis dederit poteſtatem pœnas temporales remittendi, voluit tamen, ut hæc poteſtas ſit ſubordinata Petro, cui ſupremam in omnes fideles jurisdictionem commiſit; ad ſolum quippe Petrum dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, Matth. 16 v. 19; *Paſce oves meas*, Joan. 21 v. 18.

Obj. 2. Tribunal pœnitentiæ eſt ſupremum 544
in Eccleſia: ergo hæc non poteſt remittere pœnam, quæ poſt judicium Sacerdotis adhuc exſolvi debet. Conf. Eccleſia non poteſt diſpenſare in jure divino; atqui hoc faceret, ſi pœnam poſt abſolutionem Deo adhuc debitam remitteret: ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. non poteſt remittere hanc poenam directe ſententiam Sacerdotis irritando, vel ab ea diſpenſando, Conc. Conſ. indirecte tollendo debitum, & reatum poenæ temporalis per indulgentiam, Neg. Conſ. Imprimis Eccleſia per indulgentias probabilius non remittit opera poenitentialia ab ipſo confeſſario impoſita. Dein etiam poenas reſiduas tantum remittit indirecte, ferme ſicut a poena per ſenatum impoſita reum tantum indirecte liberat, qui multam pecuniariam pro ipſo ſolvit, quin ideo ſenatus ſententiam irritet, aut in illa diſpenſet. Ad Conf. Diſt. Maj. Eccleſia

non potest dispensare in jure divino ex propria auctoritate, Conc. Maj. auctoritate a Christo accepta, cujus nomine ipsius merita, & satisfactiones Sanctorum applicat, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Quando Pontifex concedit indulgentiam, poenas Deo debitas non remittit sine omni satisfactione, nec proprie in jure divino dispensat, sed debitum nomine Christi solvit, ut indicat Apostolus 2 ad Cor. 2 v. 10 dicens: *Quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

545 Dices 1. Quod non debetur, non amplius potest solvi: atqui post absolutionem sacramentalem nulla amplius poena debetur, cum ipse confessarius poenam proportionatam imposuerit, poenitentiæ autem, quas antiqui canones præscripserunt, jam diu sint abrogatæ. Conf. Juxta Scripturam ad Coloss. 2 v. 13, & ad Rom. 5 v. 8 per Christum, & mysterium reconciliationis omnia peccata donantur, & non amplius imputantur: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg min. Cum pro humana infirmitate vix pares simus, ut omnes poenas pro peccatis nostris debitas in hoc mundo solvamus, confessarii ordinarie imbecillitati nostræ se accommodant; hinc quia prorsus incertum, quæ mensura, & magnitudo poenarum ad omne debitum expungendum sufficeret, pia mater Ecclesia poenitentiæ a confessariis injunctæ defectum supplet per indulgentias, ne eundem in altera vita gravius luere debeamus. Ad Conf. Scriptura solum docet, quod per Christum omnia delicta nobis condonentur quoad sufficientiam pretii ab ipso persoluti, & quod post mysterium reconciliationis nobis non amplius imputentur quoad culpam, & poenam æternam, vel etiam temporalem, quantum pro illa satisfecimus,

Di-

Dices 2. Extra tribunal poenitentiæ poenas temporales remittere idem esset, ac illarum partem retinere, & potestatem clavium truncare; ergo indulgentiæ huic tribunali adversantur. Conf. Per indulgentias magnitudo peccati extenuatur, vilipenditur Dei justitia, & operum poenitentialium oscitantia inducitur: ergo. Resp. Neg. Ant. Quia concessio indulgentiæ nec tollit culpam, nec reatum poenæ æternæ, multo minus obstat, quo minus in confessione aliqua poenitentia debeat imponi, & a poenitente peragi. Adde, quod ad ipsius indulgentiæ valorem requiratur justa causa, nec illam sine præscriptis operibus bonis, ac satisfactoriis lucrari possimus. Hinc ad Conf. Mera sectatorum calumnia est, quod per indulgentias extenuetur magnitudo peccati &c., cum non concedantur nisi vere contritis, & ad Deum conversis, qui satisfactionis Christi, & Sanctorum per opera poenitentiæ se dignos reddunt. Unde, quæ hic Catholicis objiciunt, longe majori jure in sectarios retorquentur, juxta quorum principia ad expianda peccata nihil aliud requiritur quam fides, qua fiducialiter credant, illa sibi ob merita Christi sine aliis operibus non amplius imputari. 546

Obj. 2. SS. Patres, & concilia solum loquuntur de remissione canonica, quæ poenitentibus dabatur tunc, quando poenæ peccatis debitæ jam a Deo remissæ præsumebantur: ergo. Conf. SS. Martyres pro lapsis non petierunt indulgentiam, sed tantum pacem: ergo ex istis nihil probatur pro nostra sententia. Resp. Dist. Ant. quando poenæ jam a Deo præsumebantur remissæ quoad partem, Conc. Ant. quoad totum reatum temporalem, Neg. Ant. & Conf. Equidem primis temporibus remissio non dabatur, 547

tur, nisi postquam magna poenæ pars per poenitentiam canonicam soluta credebatur; quia tamen juxta Patres, & concilia poenitentia canonica, quæ tunc valde severa erat, ad brevius tempus potuit contrahi, remittendo poenas canonicas poenitentibus, simul tantum poenæ Deo debitæ remittebatur, quantum per continuatam diutius poenitentiam canonicam adhuc solvere debuissent. Ad Conf. Neg. Ant. Nam pax, quam Martyres petebant, erat reconciliatio, qua lapsi Ecclesiæ communioni, & Evcharistiæ participationi restituebantur, & tunc extra mortis articulum nulli concedebatur nisi poenitentia canonica integre præstita; adeoque Ecclesia hanc pacem lapsis non potuit concedere, nisi simul relaxaret residuam poenam canonicam, & satisfactionem debitam justitiæ divinæ.

548 Dices. SS. Patres, nominatim S. Chrysostomus Homil. 1 ad Philem. S. Bernardus serm. 1 de adventu, & S. Augustinus serm. de Martyr. indulgentias refutant: ergo. Conf. S. Petrus clavibus regni cælorum, quas a Christo accepit, sine dubio usus est, & tamen Simoni Mago nullam dedit indulgentiam, sed potius Act. 8 v. 20 ad ipsum dixit: *Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri.* Resp. Neg. Ant. Patres citati imprimis tantum loquuntur de justificatione impii, & remissione culpæ. Dein solum dicunt ad remissionem peccatorum non esse absolute necessarium instituere peregrinationes, dare eleemosynas, adhibere illa opera bona, quæ nonnunquam pro lucrandis indulgentiis præscribuntur, eoquod etiam per internam conversionem ad Deum aliisque modis satisfieri possit, alias pauperes, & ægroti sæpe omni spe plenæ remissionis carerent. Ad Conf. An S. Petrus dederit indulgentias, vel non, ex Scriptura, ubi paucissima illius acta exponuntur,

tur, non poteſt probari. Simon Magus autem, cum pecunias offerret, non petiit indulgentias, ſed poteſtatem per impoſitionem manuum dandi Spiritum ſanctum.

Dices 2. S. Cyprianus tum in libro de lapſis, 549
tum in ſuis epiſtolis ſæpius reprehendit indulgentias Martyrum. S. Auguſtinus tract. 84 in Joan. inquit: *Nullius martyris ſanguinem fundi in remiſſionem peccatorum;* S. Leo epiſt. 81 ad Palæſt: *Neminem juſtorum ſua morte alterius debitum perſolviſſe:* ergo. Reſp. S. Cyprianus non reprehendit ipſas indulgentias, ſed tantum illarum abuſum, eoquod aliqui presbyteri ad libellos martyrum peccatoribus poenas canonicas relaxarent inconſulto Epiſcopo, & ipſi martyres ab Epiſcopis ſine delectu indulgentias expoſcerent etiam pro iis lapſis, qui nullam poenitentiam egerunt. S. Auguſtinus loquitur de remiſſione peccatorum, quam in juſtificatione accipimus. S. Leo ſolum vult, quod nemo ſolverit alterius debitum culpæ, & poenæ æternæ, eoquod ſolus Chriſtus fuerit propitiatio mundi, a quo donum juſtitiæ, & coronam gloriæ accipimus.

QUÆSTIO VII.

An indulgentiarum uſus in Eccleſia ſemper fuerit?

KEmnitius 4 part. exam. concil. Trident. di- 550
ſcutiens decretum de indulgentiis circa illas tria tempora diſtinguit. Primum juxta ipſum computatur ab initio Eccleſiæ usque ad annum circiter 900, in quo ait indulgentias nihil aliud fuiſſe, quam relaxationes publicæ poenitentiæ, quæ cum noſtris indulgentiis nihil habuerint commune. Alterum ab anno 900 extendit usque ad annum 1200, in hoc tempore contendit

in-

indulgentias tantum fuiſſe redemptiones quasdam; ut enim ex poenitentiali Romano ſcribit Burchardus, qui uno die in pane, & aqua jejunare debuiſſet, potuit illud jejunium redimere, ſi 50 Pſalmos flexis genibus recitavit, & pauperem unum eo die pavit. Simili modo aliæ poenitentiæ in alias commutari potuerunt. Tertium tempus vult duraſſe ab anno 1200 usque ad annum 1517, quo indulgentiæ auctore Luthero abolitæ ſunt, ſed a Catholicis adhuc retinentur. Certe illas ſemper in Eccleſia viguiſſe non ſolum negant reliqui ſectarii, ſed etiam quidam Catholici non ſatis diſtinquentes inter naturam, & ſubſtantiam indulgentiarum, & inter modum illas concedendi. Nos hic potiſſimum diſputabimus de indulgentiis quoad ſubſtantiam conſideratis.

551 Dicendum. Indulgentiæ jam a primis Eccleſiæ temporibus fuerunt in uſu. Prob. Sæcul. I S. Paulus Corinthio inceſtuoſo, ſed ſerio poenitenti ad preces Corinthiorum nomine Chriſti remiſit partem poenitentiæ adhuc exſolvendam, 2 adCor.ita ſcribens: *Cui autem aliquid donaſtis*, id) eſt,donari petiiſtis) *& ego* (dono)2 v.10 : *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* In quibus verbis omnia continentur, quæ ad indulgentiam requiruntur, videlicet poteſtas in concedente, pietas in cauſa & capacitas in accipiente; nam Apoſtolus ait, ſe donare in perſona Chriſti, & Corinthius inceſtuoſus in cit. epiſt. tantum dolorem de peccato ſuo concepiſſe dicitur, ut periculum eſſet, ne nimia triſtitia abſorberetur. Sæculo II & III lapſis ad preces martyrum indulgentias conceſſas fuiſſe teſtantur Tertullianus lib. 1 ad martyr. cap. I, & S. Cyprianus epiſt. 12. Sæculo IV Epiſcopis datam fuiſſe poteſtatem aliquid de ſatisfactione remittendi, & pro fervore poenitentiam tempus

pus contrahendi, patet ex conciliis citatis num. 540.

Pro posterioribus sæculis idem usus Ecclesiæ manifestius patet ex indulgentiis concessis a summis Pontificibus. Nam Gregorius Magnus pro indulgentiarum consecutione instituit stationes ad SS. Basilicas, Leo III per Germaniam, & Galliam plures Ecclesias consecravit, easque multis indulgentiis donavit. Paschalis II visitantibus limina Apostolorum dedit indulgentias 40 dierum. Urbanus II in concilio Claromontano indulgentias plenarias concessit eis, qui expeditionem bellicam in terram sanctam contra Saracenos susciperent; easdem indulsit Callixtus II in concilio Lateranensi I ad expeditionem contra Mauros, & Eugenius III, ac Clemens III ad similes causas. Indulgentias autem ad subsidium terræ sanctæ dari solitas in concilio Lateranensi III approbavit Alexander III. Jam isti omnes Pontifices ante annum 1200, imo quidam sæculo VI, & VIII floruerunt, neque de indulgentiis loquuntur tanquam de re nova, quam ne quidem fuissent ausi instituere, nisi a prædecessoribus id accepissent. Hinc etiam subsequentes Pontifices ob varias occasiones, & causas multas indulgentias concesserunt, ut ipsi sectarii non negant. 552

Objectiones.

OBj. 1. De indulgentiis nullam faciunt mentionem S. Anselmus, Rupertus, & Bernardus, qui proxime annum 1200 præcesserunt. 2. Similiter de iis tacent Petrus Lombardus, Gratianus, & Burchardus. Imo 3. S. Antoninus, Durandus, & Roffensis expresse testantur illas veteri Ecclesiæ per duodecim sæcula incognitas fuisse: ergo. Resp. ad 1, cum S. Anselmus flo- 553

rue-

ruerit tempore Urbani II, Rupertus tempore Paſchalis II, & S. Bernardus tempore Eugenii III, qui omnes indulgentias conceſſerunt, ipſis indulgentiæ non potuerunt eſſe incognitæ, quin S. Bernardus indulgentias ab Eugenio datas prædicavit, & populos ad bellum ſacrum accendit. Ad 2. Petrus Lombardus, & Gratianus pariter floruerunt tempore S. Bernardi, Burchardus vero jam circa annum 1020 ſcripſit de more poenitentias canonicas redimendi per alia opera pia, de quo etiam fit mentio anno 895 in concilio Triburienſi. Ad 3. Ex eo, quod duo, vel tres auctores indulgentias non legerint in libris veterum, neutiquam ſequitur, quod non ſint antiquæ. Certe a Waldenſibus ante ſæculum XII fuerunt impugnatæ; hinc quamvis non ſatis conſtet, quando cœperint concedi eodem modo, quo nunc in Eccleſia fieri ſolet, dubium non eſt, quin quoad ſubſtantiam fuerint a tempore Apoſtolorum, & indulgentiæ ſtationum jam inceperint a tempore S. Gregorii, qui Sæculo VI Pontificatum geſſit.

554 Dices 1. Quando S. Paulus Corinthium inceſtuoſum reſtituit Eccleſiæ, illum tantum abſolvit a culpa, & poena excommunicationis, ne nimia triſtitia abſorberetur, eoquod ſathanæ eſſet traditus: ergo illi nullam conceſſit indulgentiam. Conf. Quod S. Gregorius inſtituerit indulgentias ſtationum, non invenitur in ipſius ſcriptis, aut hiſtoricis illorum temporum: ergo. Reſp. Neg. Ant. Licet Corinthius juſſu Pauli videatur recepiſſe abſolutionem a culpa, & excommunicatione, ſimul tamen admixta fuit remiſſio reſiduæ ſatisfactionis; nam S. Paulus dicit, ſe remiſſionem nomine Chriſti eidem donare: ergo adhuc alicujus ſatisfactionis fuit debitor. Neque neceſſe eſt, ut indulgentia detur alio tempore, quam abſolutio. Abſolvit igitur Paulus Co-

rin-

rinthium, eique poenas adhuc debitas ad preces Corinthiorum donavit, ne nimia tristitia consiceretur, si reconciliatio diutius differretur, ut hunc locum exponunt Theophilactus, Theodoretus, Oecumenius, S. Chrysostomus Homil. 4 in epist. 2 ad Cor. S. Ambrosius lib. 1 de poenit. cap. 6. Ad Conf. Trans. Ant. Neg. Cons. Res, quæ sunt in communi usu fidelium, non solebant scriptis mandari, nisi cogentibus hæreticis, aut alia quadam necessitate. Interim quod S. Gregorius indulgentias stationum instituerit, testatur S. Thomas in 4 Sent. Dist. 20 q. 1 a. 3, & Guilielmus Altisiodorensis lib. 4 Summ. theolog. tract. 6 cap. 9.

Dices 2. S. Paulus Corinthio utpote impoe- 555
nitenti nullam imposuit satisfactionem Deo præstandam; de hac enim nec verbum legitur, sed solum exegit, ut sincero dolore, & poenitentia ostenderet se vere resipuisse: ergo. Conf. Corinthius integrum annum poenitentiam egerat; ergo si ipsi aliqua satisfactio fuisset imposita, illam jam præstitisset. Resp. Neg. Ant. Licet incertum sit, quæ mensura, & species poenæ Corinthio assignata fuerit, constat nihilominus, aliquam, & quidem gravissimam illi impositam fuisse. Nam S. Paulus tradidit eum satanæ in interitum carnis, separavit eum a cœtu fidelium, & jussit admoneri, ut ageret poenitentiam non solum ad ostendendam resipiscentiam, sed etiam ad satisfactionem, alias non dixisset, se illi condonare in persona, & auctoritate Christi. Porro quamvis Corinthius ab initio fuerit impoenitens; tamen post increpationem publicam, & concivium admonitionem resipuit, magnoque dolore severam egit poenitentiam, per quam coram Deo a culpa jam fuerat absolutus. Hinc ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. jam præstitisset satisfactionem, sed necdum integram, quam de-

bebat, Conc. Conf. integram, & gravitati delicti æqualem, ac commensuratam. Neg. Conf.

556 Obj. 2. Indulgentiæ nostræ longe sunt aliæ, quam in antiqua Ecclesia, nam 1 nostris temporibus alligantur certis conditionibus, determinato tempori, piis operibus &c., sed nihil de certo tempore legitur apud S. Paulum, & ad petitionem martyrum sine injuncto opere concessæ fuerunt. 2. Antiquitus redimebantur per alia opera pia, nunc emuntur pro pecuniis, hinc nundinatio indulgentiarum a multis viris piis, & doctis deploratur. Resp. Dist. Ant. sunt aliæ quoad naturam, & substantiam, Neg. Ant. quoad modum, qui pro varietate temporum, & circumstantiarum in Ecclesia mutari potest, Conc. Ant. Ad 1 Prob. Quod S. Paulus Corinthio nullum certum tempus determinaverit, ratio est, quia gravem pœnitentiam jam antea egerat, qualem prius etiam præstiterunt, quibus poena residua ad preces martyrum fuit condonata. Imo ipsa petitio martyrum sufficiens causa fuit aliquid pœnæ remittendi, ut sic homines magis ad sustinendum martyrium allicerentur. Interim per indulgentias semper remittebatur pars pœnæ temporalis residuæ ab iis, qui habebant potestatem thesaurum Ecclesiæ extra Sacramentum dispensandi, in quibus natura indulgentiarum consistit. Ad 2 prob. Quando ad lucrandas indulgentias præscribuntur pecuniæ vel in pauperes, vel in alias necessitates expendendæ, id solum fit, ut fideles exerceantur in operibus satisfactoriis, neutiquam vero, ut indulgentiæ pretio emantur; hinc ipsi Pontifices abusum nundinationis vehementer improbant, contra quem etsi viri pii, ac docti scripserint, ideo propter aliquos abusus non debet tolli usus bonus, & fidelibus maxime salutaris.

Di-

Dices. Indulgentiæ ab initio introductæ 557
sunt ad relaxandas pœnas canonicas: ergo postquam hæ pœnæ non amplius sunt in usu, indulgentiæ sunt inutiles. Conf. Indulgentiæ quandoque conceduntur ex levibus causis, & ex eadem interdum modo majores, modo minores, ideo juxta commune axioma tantum valent, quantum sonant, & Pontifex concedere intendit; atqui ad valorem indulgentiæ requiritur causa proportionata: ergo. Resp. Dist. Ant. præcise ad relaxandas pœnas canonicas, Neg. Ant. simul ac principaliter ad solutionem pœnarum Deo debitarum, Conc. Ant. & Neg. Conf. Pœnæ canonicæ principaliter ex hoc ipso fine fuerunt statutæ, ut justitiæ divinæ pro offensis satisfiat; quo minus igitur post relaxatas pœnas canonicas id a poenitentibus fit, eo magis indulgentiis indigent. Ad Conf. Equidem causæ, ob quas indulgentiæ concedi solent, nonnunquam secundum se videntur esse leves, sunt autem satis magnæ, si spectentur cum adjunctis circumstantiis, & fine, ad quem ordinantur e. g. ad æstimationem, & venerationem sedis apostolicæ, ad augendum cultum, & imitationem Sanctorum &c., pro quarum circumstantiarum diversitate eadem causa nunc potest esse levior, nunc gravior, & magis proportionata ad indulgentias majores. Sensus autem dicti axiomatis est, indulgentias valere tantum, quantum sonant considerata præter voluntatem concedentis etiam concedendi causa.

Obj. 3. Per indulgentias plurimi, & gra- 558
vissimi abusus in Ecclesiam introducti fuerunt; nam quandoque dabantur indulgentiæ 15 vel 20 millium annorum. Alexander III Anconitanis dedit tot, quot arenas possent capere ambæ manus simul conjunctæ. Urbanus II capessentibus arma contra infideles immensas. Bonifacius VIII

lucrantibus jubilæum, *Non ſolum plenam, & largiorem, ſed pleniſſimam omnium peccatorum veniam* conceſſit. Reſp. Si circa indulgentias aliqui abuſus in Eccleſia contigiſſent, ideo noſtra doctrina non eſſet mala, quæ tantum legitimum illarum uſum approbat. Quæ vero ſectarii hic congerunt, aut mala fide, aut perverſa interpretatione laborant, ut oſtendit Bellarm. lib. 1 de indulg. cap. 9, & auctor Rei Sacrament. lib. 6 q. 7. Sic mera fabula eſt, quod dicitur de indulgentiis 15, aut 20 millium annorum, & quod de Alexandro III refertur. Urbanus II per indulgentias immenſas ſolum ſignificat tales, quæ æquiparari poſſent longiſſimis poenitentiæ canonicæ ſatisfactionibus, ſi pro peccatis ſingulis ſeparatim deberet ſatisfieri. Bonifacius VIII ipſemet in conſiſtorio explicavit, ſe per veniam plenam, pleniorem, ac pleniſſimam nihil aliud intelligere, quam adeo plenam, prout clavium poteſtas ſe extendit. Cæterum hos ipſos aliosque Pontifices in largiendis indulgentiis valde moderatos fuiſſe, videri poteſt apud cit. auctorem Rei Sacramentariæ.

559 Dices. Negari tamen non poteſt, ex quo a Pontificibus theſaurus Eccleſiæ ex variis occaſionibus tam liberaliter apertus eſt, tantam remiſſionis copiam in peccatores effluxiſſe, ut lex ſatisfaciendi fere penitus evanuerit; hinc multi ex catholicis docent, diebus indulgentiarum, jubilæi præcipue, vel nullam, vel ſaltem leviſſimam ſatisfactionem a poenitentibus exigendam eſſe. Reſp. Neg. Ant. Quamvis indulgentiæ fidelibus copioſe concedantur, pauci tamen ſunt, qui plenarias perfecte lucrantur, eoquod raro omnes conditiones, quæ ad plenam peccatorum remiſſionem requiruntur, prout oportet, adimpleri ſoleant, unde plerumque adhuc aliquod ſa-

ſatisfactionis debitum remanet, & per frequentia peccata venialia facile novum contrahitur. Præterea ipſæ indulgentiæ non ſine onere cujusdam poenitentiæ, & ſatisfactionis conceduntur, ut quæſt. præced. adverti. Poteſt itaque tempore indulgentiarum, & jubilæi levior quidem poenitentia vindicativa imponi, debet nihilominus ſtatui poenitentis eſſe congrua, neque confeſſario unquam licet ſine omni impoſita ſatisfactione iis, qui aliquam exſequi poſſunt, hoc Sacramentum adminiſtrare, illudque parte ſua integrali mutilare. Imo Suarius aliique apud Joan. Boſco D. 7 S. 13 exiſtimant, poenitentias medicinales nequidem minuendas eſſe, eoquod æque ac alias relapſus debeat impediri. Vid. etiam num. 530.

Quæres 1. Quinam habeant poteſtatem con- 560
cedendi indulgentiam? Reſp. 1. Summus Pontifex tam plenarias, quam partiales pro tota Eccleſia, ſicut enim in univerſam Eccleſiam habet jurisdictionem, & primatum ſuper omnes Epiſcopos, ita jure quaſi innato ad ipſum pertinet theſaurum ſpiritualem fidelibus totius Eccleſiæ diſpenſare, ut ſtatutum eſt in concilio Lateranenſi IV can. qui 62 cap. cum ex eo de poenit. & remiſſ. refertur. 2. Epiſcopi in ſua dioeceſi, & metropolitani in tota ſua provincia poſſunt de jure communi concedere indulgentias unius anni in dedicatione templi, in anniverſario dedicationis autem, vel ex alia juſta cauſa duntaxat 40 dierum, ut colligitur ex concilio Lateranenſi cit. & cap. indulgentiæ de poenit. & remiſſ. in 6. Quia autem conceſſio indulgentiarum eſt actus jurisdictionis, illas tantum poſſunt concedere ſuis ſubditis, & dioeceſanis, inter quos etiam numerantur Religioſi exempti, in eadem dioeceſi habitantes, quia ſunt membra communitatis, & quoad hunc favorem Epiſcopo ſe ſub-

jicere possunt. 3. Abbates Religiosorum, Prælati, & Parochi neque suis subditis possunt indulgentias concedere nisi ex commissione, aut privilegio Papæ, vel Episcopi, ut docet S. Thomas in 4 Dist. 2 q. 1 a. 4 quæst. 1. & colligitur ex cap. accedentibus de exceff. Prælat. & concilio Lateranensi can. 60.

561 Quæres 2. Quidnam ad lucrandas indulgentias requiratur in suscipiente? Resp. 1. ut sit baptizatus, indulgentiam concedenti subditus, nulla excommunicatione majore ligatus, & poenæ temporalis adhuc reus; indulgentiæ enim conceduntur solis subditis Ecclesiæ in ordine ad remittendas poenas temporales, excommunicati autem bonorum spiritualium communione privati sunt. 2. Ut exsequatur omnia opera præscripta integre saltem moraliter; nam indulgentiæ non nisi sub ista conditione dantur, adeoque nisi illa simpliciter, & integre sit impleta, nihil obtinetur. Unde si præscripta est intentio orandi pro certis necessitatibus, debet oratio ad illas ordinari per intentionem saltem implicitam e. g. orandi ad finem, quem intendit Ecclesia. 3. Ut sit in statu gratiæ, quia indulgentiæ tantum dantur ad remissionem poenæ temporalis, quæ non remittitur nisi condonata prius culpa, ac poena æterna. Juxta communiorem tamen sufficit, si opus ultimum in statu gratiæ peragatur (nisi Bulla indulgentiæ expresse aliud exigat) modo opera præcedentia facta sint animo poenitenti, ac Religioso sine actuali affectu ad peccatum, eoquod ad finem indulgentiæ obtinendam non videatur requiri, ut omnia opera sint satisfactoria de condigno. 4. Ad indulgentias plenarias insuper requiritur seria detestatio omnium peccatorum venialium, & depositio affectus ad quodvis; nam sicut nulla poe-

poena remittitur sine culpa, sic nulla culpa condonatur sine detestatione. Unde patet, quam difficile sit lucrari indulgentiam plenariam.

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo indulgentiæ prosint animabus defunctorum?

SEctarii, qui Ecclesiæ negant potestatem con- 562
cedendi indulgentias, id vel maxime intelligunt de illis, quæ defunctis applicari solent. Neque hoc de animabus beatis, aut damnatis Catholici asserunt, eoquod illæ nullum amplius reatum pœnæ habeant, istæ vero nullius liberalis remissionis capaces sint, cum in inferno nulla sit redemptio. Controversia igitur solum est de animabus, quæ remissis jam delictorum suorum culpis, adhuc pro solvendis poenis temporalibus in purgatorio detinentur, an etiam illis per indulgentiam succurri possit modo absolutionis, aut saltem suffragii? per modum absolutionis indulgentiæ dari dicuntur, quando per illas poena remittitur proxime, & immediate ab ipso dante tanquam ministro Dei, & judice ejus locum tenente, qui ex thesauro Ecclesiæ divinæ justitiæ debitum solvit. Per modum suffragii dari dicuntur, quando per illas poena solum remittitur mediate, & remote, quatenus Deo exhibita satisfactione Christi, & Sanctorum supplicatur, ut ipse illarum intuitu poenam condonet.

Dicendum. Indulgentiæ prosunt in gratia 563
defunctis, & necdum plene purgatis non quidem per modum absolutionis, attamen per modum suffragii. Pars 1 est communissima contra Medinam; quippe concedere indulgentias per modum absolutionis est actus jurisdictionis;

atqui Ecclesia non habet jurisdictionem in defunctos, qui eidem non amplius sunt subditi; neque enim animas defunctorum potest citare, cognoscere earum causas, easque judicare, absolvere, aut ligare; hinc summus Pontifex tantum est judex, & pastor Ecclesiæ visibilis, ut colligitur ex can. 1 & 2 caus. 24 q. 2. Ideo ipsi Pontifices, quando indulgentias ad mortuos extendunt, ordinarie solent addere: Per modum suffragii, ut perspicuum est ex constitutionibus Alexandri VI, Clementis VIII, Julii III, Gregorii XIII &c. Si igitur Ecclesia defunctos excommunicasse, vel absolvisse legitur, hæc excommunicatio, & absolutio fuit potius declaratio sententiæ, quæ ferenda fuisset, si meritum eorum patuisset, quam nova aliqua poena, vel absolutio, quæ ad ipsas animas pertingit, ut explicat Bellarm. lib. 1 de indulg. cap. 14.

564 Pars 2. defacto est omnino certa, nec sine errore negari potest. Nam 1 thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum potest prodesse vivis: ergo etiam defunctis, ad quos Ecclesiæ charitas se non minus extendere debet, cum æque ad communionem Sanctorum pertineant, & ejusdem Ecclesiæ membra sint, vinculo fidei, & charitatis copulata. 2. Animæ fidelium defunctorum possunt in purgatorio juvari non solum per orationes Ecclesiæ, & Missæ sacrificium, sed etiam per preces, eleemosynas, aliaque vivorum bona opera, ut constat ex fide, ac concilio Tridentino sess. 25 decret. de purgat. sess. 6 de justif. can. 30 & sess. 22, de sacrif. Missæ: ergo etiam possunt juvari per indulgentias, & applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum. 3. Ipsi Pontifices Paschalis I, Innocentius VIII, Pius II, aliique posteriores consentientibus, & approbantibus Episcopis indulgentias

tias pro animabus in purgatorio concesserunt, easque defunctis prodesse teste Bellarmino lib. 1 de indulg. cap. 14 declaravit Sixtus IV, Leo X autem tanquam erroneam damnavit propositionem Lutheri: *Sex generibus hominum indulgentiæ non sunt necessariæ, nec utiles, videlicet mortuis &c.*

Objectiones.

OBj. 1. Christus Matth. 16 v. 17 Petro dedit 565
potestatem omnia solvendi super terram: ergo Pontifex habet potestatem absolvendi defunctos. Nam 1 peccata animarum purgantium in terra fuerunt commissa. 2. Ipsæ animæ purgantes non sunt in loco infimo terræ, sed aliquo modo super terram. 3. Certe Pontifex proprissime super terram degit. Conf. Satisfactiones Christi, & Sanctorum non amplius sunt super terram, & tamen subsunt administrationi Pontificum: ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Nam 1 in concessione indulgentiarum judicium non instituitur super peccata, sed super personas, quæ tunc solum a peccatis absolvi possunt, quando adhuc subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. 2. Animæ purgantes nullatenus ita supra terram existunt, ut adhuc pertineant ad ovile, & numerum ovium, quas Deus Pontifici regendas commisit. 3. Vox super terram non refertur ad Pontificem, sed ad eos, quos solvit, ut a Gelasio can. cit. exponitur, vel certe solum debet intelligi de solutione circa eos, qui sunt ipsi subjecti; alias posset etiam solvere, & ligare existentes in cælo, vel inferno. Ad Conf. Nego paritatem. Satisfactiones Christi, & Sanctorum in terris relictæ, & administrationi Pontificis commissæ sunt, quia illis non amplius sunt usui, fidelibus vero plurimum prosunt, quæ

 ratio

ratio non pugnat pro peccatis, ad quæ expianda animæ in purgatorio detinentur.

566 Dices. Omnes viatores baptizati subjecti sunt jurisdictioni Pontificis; sed defuncti in purgatorio adhuc sunt viatores, & ope Ecclesiæ maxime indigent. Imo S. Gregorius lib. 2 Dialog. cap. 23 de sanctimonialibus a B. Benedicto excommunicatis narrat, quod visæ sint de sepulchris exire, & ab Ecclesia recedere, quando inter Missarum solemnia diaconus clamabat: qui non communicant, recedant. Conf. Quia jurisdictio voluntaria etiam in territorio alieno potest exerceri. Resp. Dist. Maj. omnes viatores, qui sunt oves, & membra visibilia Ecclesiæ sunt subjecti Pontifici, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. animæ in purgatorio proprie non amplius sunt in via, quæ cum hac vita terminatur; quod autem terminum necdum perfecte attigerint, & indigeant ope Ecclesiæ, cui per fidem, & charitatem adhuc conjunctæ manent, tantum probat, illas juvari posse suffragiis. B. Benedictus sanctimoniales non excommunicavit, sed adhuc viventibus excommunicationem tantum minatus est; si igitur post mortem excommunicationis pœnam sustinere sunt visæ, id inter miracula est referendum, ut Deus ostenderet, quantum admonitiones Sanctorum sint faciendæ, postquam tamen B. Benedictus pro illis apud Deum intercessit, ab his pœnis liberatæ dicuntur. Ad Conf. Dico, jurisdictionem voluntariam in alieno territorio solum in personas subditas exerceri posse.

567 Obj. 2. Potestas concedendi indulgentias est potestas clavium; atqui hæc se non extendit ad defunctos; nititur enim verbis Christi Matth. 16 v. 19: *Quæcunque solveritis super terram &c.* adeoque nihil aliud est, quam potestas solvendi. Conf. Quia concilium Tridentinum nullam facit

men-

mentionem indulgentiarum pro mortuis. Resp. Transf. Maj. Neg. min. Si enim potestas clavium in sensu latiore accipiatur, adæquate sumpta ad multos alios effectus quam ad absolutionem a peccatis se extendit, nempe ad omnes illos, per quos homines ad regnum cælorum duci, & impedimenta beatitudinis tolli possunt. Tales sunt per leges, & ordinationes Ecclesiam regere, quæ ad fidem, & mores pertinent, cum auctoritate docere, a censuris ecclesiasticis absolvere, nomine Dei in votis, & juramentis dispensare, pœnas justitiæ divinæ debitas remittere, & per concessionem indulgentiarum pro iis offerre pretium, ut jam indicavi num. 542. Ad Conf. Licet Tridentinum indulgentiarum pro mortuis non fecerit mentionem specialem, & expressam, nihilominus illas mortuis prodesse sufficienter, & implicite docuit, dum generatim definivit, indulgentias ab Ecclesia concessas esse utiles, & animas defunctorum suffragiis vivorum juvari posse.

Dices. Potestas concedendi indulgentias 568
saltem est potestas jurisdictionis; atqui potestas jurisdictionis ad defunctos se non extendit: ergo. Conf. Sententia definitiva sustinendi pœnas purgatorii supra defunctos jam est lata: ergo non amplius potest immutari, nec ulla ratione istæ pœnæ remitti. Resp. Dist. Maj. Est potestas jurisdictionis, quatenus est potestas solvendi stricte dicta, Conc. Maj. quatenus est potestas dispensandi spiritualem thesaurum Ecclesiæ, Subdist. si per hanc dispensationem pœnæ remittantur immediate, & directe, Conc. Maj. si tantum remittantur mediate, & indirecte, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Quando Pontifex largitur indulgentiam pro defunctis, proprie nec in thesaurum Ecclesiæ, nec in defunctos jurisdictionem exercet, sed præcise ut constitutus a Chri-

Christo thesauri Ecclesiastici administrator partem satisfactionum Christi, & Sanctorum Deo exhibet, eique supplicat, ut illam pro remittendis defunctorum pœnis acceptare dignetur. Ad Conf, Dist. Ant. Sententia definitiva est lata absolute, Neg. Ant. conditionate, Conc. Ant. Neg. Conf. Per sententiam definitivam animæ condemnantur quidem, ut pœnas purgatorii ad certum tempus sustineant, sed sub hac conditione, nisi ipsis applicentur satisfactiones alienæ, quibus justitiæ divinæ solutio fiat.

569 Obj 3. Nemo potest mereri pro alio, seu alteri applicare suum meritum: ergo nec satisfactionem pro alio offerre; alias Pontifex per indulgentiam totum purgatorium simul evacuare posset. Conf. Animæ defunctorum maxime indigent aliorum auxilio, earumque liberatio cedit ad majorem Dei gloriam: ergo Pontifex quibuslibet altaribus, & Sacerdotibus posset tribuere privilegium per quodlibet sacrum liberandi animam, imo si non faceret, esset crudelis. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Meritum est aliquid mere personale, faciens hominem acceptum Deo, & augens gratiam sanctificantem; satisfactio autem est tantum solutio pœnæ, nec ex se hominem facit intrinsece meliorem, & magis sanctum, adeoque etiam pro altero offerri potest. Ut tamen indulgentiæ defunctis valide, & fructuose possint applicari, juxta dicta requiritur justa causa, qualem Pontifices, & Ecclesiæ Doctores hactenus nunquam adesse judicarunt, ut totum purgatorium simul evacuaretur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quia tam larga vel potius profusa thesauri elargitio facile magnam negligentiam piorum operum induceret. Sed neque indigentia defunctorum, nec gloria ex illorum liberatione in Deum redundans videtur

esse

eſſe tanta, ut hæc profuſio Deo magis placeret, quam divinæ juſtitiæ exſecutio; hinc nec ipſe Chriſtus, licet facile potuiſſet omnes homines ſtatim poſt mortem ſine pœnis purgatorii ſalvare voluit.

Dices. Vel igitur indulgentiæ proſunt de- 570
functis infallibiliter, & ex juſtitia, vel ſolum ex benignitate, & de congruo? Non primum, quia reſpectu defunctorum non habent vim abſolutionis, ſed tantum ſuffragii; unde ſolutionis hujus acceptatio in mera Dei miſericordia poſita videtur. Sicut enim in foro externo judex non tenetur pœnam corporalem unius concivis vel conſanguinei acceptare e. g. pro flagellatione alterius, ita nec Deus ſatisfactionem Chriſti, & Sanctorum pro pœnis defunctorum, præſertim quia pœnæ purgatorii ſunt longe alterius ordinis. Non ſecundum, quia Chriſtus Petro ejusque ſucceſſoribus abſolute promiſit claves regni cælorum, vi cujus quidquid ſolverint ſuper terram, futurum ſit ſolutum in cælo: ergo Deus vi hujus promiſſionis non minus ex juſtitia, & infallibiliter debet acceptare indulgentiam pro defunctis, quam pro vivis; utriusque enim conceſſio eſt exercitium poteſtatis clavium, quod apud Deum ſemper eſt validum, & ratum, ſi legitime, & ex rationabili cauſa fiat. Reſp. hanc difficultatem inter ipſos Catholicos valde controverſam eſſe, & pro utraque minoris parte ſtare graves auctores, Bellarminus vero neutram audet reprobare, eoquod prima ſit valde rationabilis, ſecunda admodum pia. Quamvis igitur facile credam, quod Deus indulgentias pro defunctis rite applicatas ſemper acceptet, nolo tamen abſolute affirmare, quod illas ſemper acceptet pro eo defuncto, pro quo a nobis oblatæ fuerunt. Vid. Bellarm, lib. 1 de indulg. cap. 14.

Quæ-

571 Quæres 1. Quando indulgentiæ pro defunctis prosint? Resp. Præter ea, quæ quæst. præced. dicta sunt, adhuc requiritur 1, ut expresse pro defunctis sint concessæ; indulgentia enim est favor voluntarius, qui non operatur, nisi juxta voluntatem concedentis: hinc si Papa tantum concessit indulgentias pro vivis, non possunt applicari pro defunctis, nec vicissim. 2. Ut ipse suscipiens defuncto indulgentiam per suam intentionem applicet; alioqui pro illo non fieret. 3. In suscipiente sæpe etiam requiritur confessio, quoties nempe est in statu peccati mortalis, & ad lucrandas indulgentias sacra communio exigitur, cui confessio sacramentalis semper præmitti debet. Addunt aliqui 4, in ipsis etiam defunctis præter statum gratiæ requiri, ut in vita fuerint devoti clavium Ecclesiæ cultores, mortuosque suffragiis juvare studuerint, & non neglexerint pro suis peccatis satisfacere. Verum hæc sententia a Bellarmino rejicitur, quia omnes, qui in charitate Dei, & gratia decesserunt, ad Ecclesiæ communionem pertinent, quæ communio, & non tantum aliqua particularis devotio fundamentum est, quod defuncti suffragiis nostris juvari possint.

572 Quæres 2. Quo tempore confessio peragi debeat? Resp. Quamvis Clemens XIII Brevi anno 1759 19 Maji edito declaraverit, confessionem saltem in vigilia festivitatis debere peragi etiam ab illis, qui sibi peccati lethalis conscii non sunt, quoties in Bulla concessionis habetur hæc vel similis formula: *Qui vere pœnitentes, & confessi fuerint,* nihilominus ut indulgentiarum thesaurus a fidelibus facilius comparari valeat, anno 1763 9 Decembris indulsit: *Ut, qui frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel*

mel saltem per hebdomadem ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, & nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sunt; omnes, & quascunque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin juxta præfati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias jubilæi tam ordinarii, quam extraordinarii, aliasque ad instar jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut & alia opera injuncta, ita & sacramentalis confessio, tempore in earum concessione præscripto, peragantur.

Quæres 3. An aliquis ad lucrandas indulgentias opus injunctum possit perficere per alium, vel uno opere lucrari indulgentias plures? Resp. ad 1 cum Suario disp. 52 sect. 7 negative. Quoties enim opus simpliciter injungitur, qui lucrari vult indulgentias, personaliter illud debet implere, alias non posset dici orasse, jejunasse &c. Aliud foret, si tenor Bullæ opus tantum injungeret sub disjunctione, per se, vel per alium, aut si alter se haberet præcise ut instrumentum e. g., si dares eleemosynam famulo, ut id pauperibus porrigeret; nam in hoc casu adhuc ipsemet eleemosynam dare censereris. Ad 2 respondet P. Layman lib. 5 tract. 5 cap. 6 affirmative, si indulgentiæ diversæ v. g. diversarum confraternitatum, vel Ecclesiarum ex diversis titulis concessæ fuerint ad eundem diem, & opus præscriptum eodem die repeti non possit, vel non soleat, uti contingit, si præscriptum sit jejunium, communio &c. Si vero concurrant indulgentiæ ex eodem titulo concessæ 573

ſæ cum onere operum iterabilium, non viderentur plures indulgentiæ eodem opere impetrari poſſe, niſi opera iterentur, tum quia hæc videtur eſſe mens concedentis, tum quia plures indulgentiæ præſertim partiales requirunt majorem cauſam, ſicut etiam ipſæ ſimul ſumptæ majores ſunt. Huc etiam pertinet decretum congreg. de indulg. anno 1678 ſub Innocentio XI editum, ubi dicitur: *Semel duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam vel aliud opus bonum peragentibus lucrifieri.*



PARS



PARS II.

De Sacramento extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

DISPUTATIO I.

De extrema Unctione.

EXtrema Unctio definiri potest, quod sit Sacramentum institutum pro ægrotis, ac de vita periclitantibus ad conferendam ipsis per unctionem olei benedicti, & orationem sacerdotis salutem animæ, & quandoque etiam corporis. Instituit illam Christus probabilius, quando post resurrectionem Joan. 20 v. 22 Apostolis dedit potestatem remittendi peccata; nam Sacramentum extremæ unctionis est consummativum poenitentiæ, totiusque vitæ christianæ, & potestas illud conferendi potestatem remittendi peccata quasi includit, ac supponit, ut insinuat Origenes Hom. in Levit. & S. Chrysostomus lib. 3 de Sacerd. Hinc concilium Trident. sess. 14 cap. 1 de extrema unctione observat, Sacramentum hoc Marci 6 v. 13 per verba: *Ungebant oleo multos ægros, & sanabant*; a Christo tantum insinuatum, ac præfiguratum fuisse, eoquod Apostoli tunc necdum erant Sacerdotes, & potestas illis data solum, aut præcipue, referebatur ad curationem morbi corporalis, ideoque ungebant quoslibet ægrotos, cæcos, claudos &c.: econtra Sacramentum extremæ unctionis principaliter ad animam spectat, & solum confertur iis, qui decumbunt cum periculo vitæ. 574

575 Contendunt quidem Lutherani, Calviniſtæ, aliique novatores de ſola curatione corporis etiam intelligenda eſſe verba S. Jacobi cap. 5 v. 14 & ſeqq : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Verum in his expreſſe fit mentio de remiſſione peccatorum per gratiam, ſimulque exprimitur ritus externus, materia, forma, miniſter, quapropter univerſa Eccleſia ſemper credidit, extremam unctionem eſſe Sacramentum novæ legis, ut conſtat ex dictis de Sacramentis in genere, & concilio Tridentino, quod ſeſſ. cit. per quatuor canones definit 1, extremam unctionem eſſe verum, ac proprie dictum Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum. 2. per eam conferri gratiam, remitti peccata, & infirmos alleviari. 3. Ritum illius, & uſum, quem ſervat Romana Eccleſia non repugnare ſententiæ beati Jacobi, nec ideo eſſe mutandum, aut a Chriſtianis contemni poſſe. 4 Proprium extremæ unctionis miniſtrum eſſe ſolum Sacerdotem ab Epiſcopo ordinatum.

QUÆSTIO I.

Quænam ſit materia extremæ unctionis ?

576 DIcendum. Materia remota extremæ unctionis eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum. Concluſio conſtat ex perpetua praxi Eccleſiæ, & pars 1 ulterius prob. 1 ex verbis S. Jacobi cap. 5 v. 14: *Ungentes eum oleo* ; 2 ex concilio Florentino, quod in decret. ad Armen. ait : *Quintum Sacramentum eſt extrema unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum* ; 3. ex

ex Tridentino dum sess. 14 cap. 1 inquit: *Intellexit Ecclesia oleum ab Episcopo benedictum*; jam vero solum oleum olivarum in sensu communi, ac proprio oleum nuncupatur, idque ad effectus hujus Sacramenti significandos aptissimum est; nam sanat, linit dolores, & corroborat. Quando igitur Innocentius I epist. 1 ait, extremam unctionem cum chrismate administratam fuisse, to chrisma accipit in sensu latiore, prout generatim quamvis unctionem designat; si vero oleo admisceretur balsamum, aliique liquores, aut aromata in tanta quantitate, ut natura, & denominatio olei mutaretur, Sacramentum foret invalidum, & chrismate collatum saltem sub conditione repeti deberet.

Pars 2 rursus Prob. 1 ex verbis S. Jacobi 577
citatis: *Ungentes eum oleo in nomine Domini. Hoc est oleo consecrato in nomine Domini;* inquit Vener. Beda in hunc locum; 2 ex concilio Florentino, & Tridentino supra laudatis, quae expresse dicunt, materiam extremae unctionis esse *Oleum ab Episcopo benedictum*. 3. Ex communi doctrina auctorum ecclesiasticorum, qui post Innocentium I pro materia hujus Sacramenti passim assignant oleum sanctum, consecratum, benedictum &c. Quibus tamen non obstantibus Cajetanus, Maldonatus, aliique existimant, benedictionem olei non esse de necessitate Sacramenti, sed tantum de necessitate praecepti; nam verba *in nomine Domini* non videntur referri ad oleum, sed ad actum ungendi, adeoque solum indicare, quod unctio fieri debeat vice, & auctoritate Christi, quam interpretationem etiam adducit Beda loc. cit. Neque concilium Florentinum, & Tridentinum exprimunt, benedictionem Episcopi ad ipsam essentiam Sacramenti pertinere; Auctores vero ecclesiastici multa commendant, quin ideo sint essentialia, ut

 pa-

patet exemplo aquæ vino evcharistico miscendæ. Multo minus de necessitate Sacramenti esse videtur, ut hæc benedictio fiat ab Episcopo, sed a summo Pontifice etiam presbyteris concedi potest; nam licet teste Arcudio Episcopi græci feria quinta majoris hebdomadæ oleum per se consecrare soleant, tamen reliquo anni tempore, id presbyteris committunt. Neque hic mos, jam ante exortum schisma apud ipsos usitatus unquam ab Ecclesia Latina fuit reprehensus, imo approbatus a Clemente VIII in instruct. de ritibus Græcorum anno 1593 edita.

578 Præterea ex præcepto Ecclesiæ in administratione extremæ unctionis debet adhiberi oleum novum, id est consecratum eo anno, computando annum a cœna Domini ad cœnam Domini, qua oleum infirmorum debet ab episcopo consecrari, & ad reliquas Ecclesias mitti. Si tamen oleum novum haberi nequeat, licet adhuc uti antiquo, aut si etiam hoc non sufficiat, addere aliud consecratum, vel in necessitate non consecratum, semper tamen in minori quantitate, quam vetus est; nam per illam unionem oleum non consecratum etiam quamdam consecrationem contrahit, non quidem ratione contactus physici, sed ex intentione Ecclesiæ, quæ vult, ut ab Episcopo consecratio etiam ad oleum postea admixtum extendatur. Neque obstat, quod ista infusio quandoque toties debeat repeti, ut partes simul spectatæ tandem quantitatem olei primitus benedicti superent; quamvis enim multi apud Cardenas in crisi 2 dissert. 2 contrarium sentiant, nihilominus tale oleum adhuc adhiberi posse, probat consuetudo plurium Ecclesiarum, Rituale Romanum, & decretum anno 1682. 23 Septemb.

Septemb. editum a S. Congregatione, cui Cardenas hoc dubium propoſuerat.

Dicendum 2. Materia proxima extremæ unctionis eſt unctio facta a Sacerdote, Prob. tum ex verbis S. Jacobi: *Ungentes eum oleo*; tum ex verbis formæ: *Per iſtam ſanctam unctionem &c.*; & ratio eſt, quia in omni Sacramento, quod conſiſtit in uſu, materia proxima eſt applicatio materiæ remotæ; atqui applicatio olei eſt unctio, ſeu actio inungendi: ergo. Porro modus inungendi in Eccleſia non ſemper unus ac idem, ſed pro diverſis temporibus, & locis varius fuit, eoquod modo plures, modo pauciores, aut aliæ corporis partes inunctæ fuerint, ut teſtatur Albertus Magnus in 4 diſt. 23 art. 16, & oſtendit Menardus ex variis antiquis codicibus, ac Tournelius de Sacram. extrem. unct. quæſt. 2 art. 1. Concilium Florentinum in decret. ad Armen. ſeptem unctiones præſcribit, videlicet in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Nihilominus unctio pedum, & renum non ubique eſt recepta, imo in renibus convenientius omittitur præſertim in fæminis, & viris religioſis. 579

Hinc gravis inter auctores oritur controverſia, an omnes, aut quænam unctiones ſint de eſſentia Sacramenti? S. Thomas, S. Bonaventura, Sotus, Dicaſtillo &c. docent, ſingulas ſenſuum unctiones ita eſſe de eſſentia, ut ſine unica Sacramentum non exiſtat, nec ante ultimam poſitam gratiam cauſet. At probabilius contradicunt Suarius, Coninck, Layman &c.; quamvis enim ſingulorum ſenſuum unctiones non ſint Sacramentum integrum, & completum, ſunt tamen quaſi incompletum, ſingulæque cauſant gratias 580

 fal-

ſaltem ſpeciales, & ſibi correſpondentes ferme ſicut diaconatus, & presbyteratus in Sacramento Ordinis. Hinc juxta Tournelium, aliosque apud Benedictum XIV de ſynod. diœceſ. lib. 7 cap. 16 ad valorem extremæ unctionis ſufficit, ſi vel unica, ac quæcunque pars corporis inungatur, tum quia a S. Jacobo nec ullius certæ, nec plurium partium ſit mentio, tum quia varius ungendi modus in Eccleſia fuit obſervatus, & etiam recentiora Ritualia permittunt fieri unicam unctionem, ſi plures perfici nequeant. Ex quibus patet, multo minus neceſſarium eſſe, ut inungatur utrumque organum ejusdem ſenſus e. g. uterque oculus. Interim in praxi utique a quolibet obſervari debet ritus, & conſuetudo in ſua Eccleſia recepta.

581 Pro quo ex variis Ritualibus præſertim Romano notandum 1, unctio peragenda eſt in formam crucis, ac ita, ut tam unctiones inter ſe, quam cum forma moraliter conjungantur. Hinc 2 quando inungitur utrumque ſenſus organum e. g. uterque oculus, forma non debet abſolvi, antequam ambo inuncta ſint. Incipit autem unctio ab organo dextro: in presbyteris manus unguntur exterius, aliis interius, pedes in planta, oculi in palpebris, os in labiis. 3. Si quis careat aliqua parte corporis e. g. manu, inungenda eſt pars brachii proxima; ſi vero aliquo ſenſu e. g. viſu omnino ſit deſtitutus, tamen adhibetur unctio, quia per illum peccare potuit ſaltem affectu, & concupiſcentia. 4. In periculo ne infirmus absque Sacramento ſtatim moriatur, poſſunt unctiones omnium partium conjungi ſub una forma dicendo: Quidquid deliquiſti per viſum, auditum &c. Quod ſi durante ipſa unctione decedat, non eſt ulterius procedendum; ſi vero dubium ſit, utrum adhuc vivat, forma eſt pronuncianda ſub

con-

conditione: Si vivis per istam sanctam unctionem &c 5. In pestiferis uti licet virgula oblonga oleo uncta, quæ dein comburatur, aut servanda purgetur.

QUÆSTIO II.

Quænam sit forma extremæ unctionis?

DIcendum 1. Forma extremæ unctionis consistit in his, aut æquivalentibus verbis: Per hanc sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum (& sic de aliis sensibus) deliquisti. Amen. Constat ex concil. Florentin. in decret. ad Armen. & Tridentino sess. 14 cap. 1, idemque indicat S. Jacobus, dum cap. 5 v. 14 ait: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: per quæ verba satis docet, ad conficiendum Sacramentum extremæ unctionis non tantum oleum, sed etiam orationem necessariam esse, quemadmodum omnia reliqua Sacramenta ex materia, & forma constituuntur. Quænam vero præcise verba essentiam formæ constituant, dissentiunt Theologi. Aliqui requirunt omnia supra recitata excepta particula Amen, & voce sanctam, eoquod hæc nec in concilio Florentino, nec in Tridentino, sed tantum in Rituali Romano habeatur. Alii his solis contenti sunt: Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quia per hæc actio ministri, deprecatio Dei, & effectus Sacramenti satis exprimuntur. Nihilominus in eo consentiunt, quod ex præcepto, & praxi Ecclesiæ omnia verba in Rituali Romano contenta proferri debeant. 582

Dicendum 2. Forma extremæ unctionis necessario debet esse deprecatoria saltem implicite, & virtualiter. Prob. 1 ex verbis S. Jacobi loco citato: *Orent super eum, ungentes eum oleo. & oratio fidei salvabit infirmum*; quæ manifeste 583

 for-

formam deprecatoriam significant; atqui ex istis Ecclesia materiam, & formam Sacramenti hujus intellexit, ut declarat concilium Tridentinum loc. cit., eique consentit Florentinum in laudato decreto ad Armenos. Prob. 2 ex praxi universalis Ecclesiæ; nam forma deprecatoria in Ecclesia græca semper, in Latina vero jam a longo tempore sola fuit in usu, ut colligitur tum ex Euchologiis Græcorum, tum ex Ritualibus Latinorum, quæ jam a sexcentis annis Sacerdotibus inviolabiliter observanda præscripta sunt. Prob. 3 ex S. Thoma in 4 dist. 23 q. 1 a. 4 quæst. 2, & S. Bonaventura dist. eadem a 1 q. 4 aliisque Theologis compluribus, qui jam a sæculo XIII formam deprecatoriam tam constanti usu confirmatam videbant, ut indicativam quasi insufficientem rejicerent, ac improbarent.

584 Dixi tamen deprecatoria saltem implicite, & virtualiter; nam quod in Ecclesia Latina olim adhibita fuerit forma explicite tantum indicativa, ex codice Ambrosiano, Tiliano, Veneto, aliisque pluribus ostendit Tournelyus q. 2 art. 2. Verum natura formæ sacramentalis non tam ex sensu exteriori, & grammaticali, quam interiori, & ecclesiastico desumi debet, ut loco citato notat S. Bonaventura. Cum igitur S. Jacobus ad extremam unctionem expresse requirat orationem, eamque postea Ecclesia aperte præscripserit, dicendum, quod olim ipsa etiam forma indicativa implicite, & virtualiter fuerit deprecatoria utpote tam ex intentione ministri, quam Ecclesiæ prolata ad divinum nomen invocandum, & gratiam per extremam unctionem infirmo impetrandam. Nunc autem probabilius debet esse deprecatoria etiam explicite; nam ut Sacramenta suum valorem habeant, forma debet exprimi eo sensu, quem determinat Ecclesia, cui Deus potestatem determinandi verborum vim; ac

ac significationem reliquit, quemadmodum adverti num. 448.

Dices 1. Per formam deprecatoriam nec in- 585
tentio, nec actio ministri, nec certus effectus exprimitur; oratio enim non est semper efficax, sed tantum habet vim causandi ex opere operantis, quin minister per illam aliquid agat: ergo ad extremam unctionem non sufficit forma deprecatoria. Conf. Quia alia Sacramenta non habent formam deprecatoriam, sed indicativam. Resp. Neg. Ant. Quamvis oratio extrasacramentalis non habeat virtutem exprimendi, & ex opere operato causandi certum effectum; aliud tamen est de oratione sacramentali, cui Christus tanquam formæ vim, & efficaciam Sacramenti contulit, ad quod sufficit, si suum effectum causet certo, quantum est in se, & in actu primo. Quare minister formam extremæ unctionis applicando materiæ satis operatur, suamque intentionem, & actionem per ipsam unctionem in nomine Domini factam satis exprimit. Ad Conf. Christus vim causandi gratiam æque potuit tribuere formæ deprecatoriæ, quam indicativæ, quod autem in extrema unctione illam contulerit orationi, patet ex nostra probatione.

Dices 2. Christus pro extrema Unctione 586
nec instituit formam deprecatoriam, nec indicativam, alias hæc ab Ecclesia nunquam potuisset adhiberi, neque mutari. Conf. Quando concilium Florentinum, & Tridentinum assignant formam deprecatoriam, solum docent, illam valide adhiberi posse, & juxta Ecclesiæ disciplinam adhibendam esse. Resp. Dist. Ant. Christus non instituit formam implicite deprecatoriam, Neg. Ant. explicite deprecatoriam, Subdist. absolute, Conc. Ant. conditionate, si nempe Ecclesia huic soli vim orationem exprimendi tribuat, Neg. Ant. Quod Christus instituerit orationem, colligitur ex

S. Jacobo, cum autem determinationem formæ explicite reliquerit Ecclesiæ, hæc pro diversis temporibus hanc orationem potuit exprimere per verba indicativa, vel deprecatoria, quin ideo substantiam formæ mutaverit directe, ut explicavi num. 453. Ad Conf. Quando hæc concilia statuerunt, ut defacto ab omnibus adhibeatur forma explicite deprecatoria, satis determinarunt, per quæ verba sensus a Christo institutus, & a S. Jacobo promulgatus nunc exprimendus sit: ergo ut Sacramentum valeat, forma debet poni modo ab Ecclesia requisito; alias ex doctrina Ecclesiæ vix unquam necessitas certæ formæ colligi posset.

587 Dices 3. Post concilium Florentinum, & Tridentinum adhuc non pauci ex Catholicis cum Menardo, Lanoyo, Tournelyo &c. docuerunt, ad valorem extremæ unctionis adhuc sufficere formam indicativam: ergo Ecclesia de hac re nihil definivit, ut advertit Benedictus XIV de synod. Diœcef. cap. 17. Conf. Facultas theologica Parisiensis anno 1635 permisit, ut defenderetur hæc propositio: *Etiam unica unctione, verbisque indicative prolatis Sacramentum extremæ unctionis perfici posset.* Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Ecclesia de hac re nihil definivit clare, & explicite, Conc. Conf. illam non satis docuit, & fidelibus manifestavit, Neg. Conf. Quamvis sententia Adversariorum non sit proscripta, nihilominus nostra menti Ecclesiæ longe magis conformis, & in praxi ab omnibus tenenda est, ut indicat ipse Benedictus XIV loc. cit. concludens, injungendum esse Parochis, ut formam adhibeant in Rituali præscriptam, quæ certe sine gravi flagitio non potest privata auctoritate immutari. Ad Conf. Ex hac permissione neutiquam sequitur, quod facultas

cultas Parisina hanc sententiam agnoverit, ut magis verisimilem, & multo minus ut veram.

QUÆSTIO III.

Quis sit minister extremæ Unctionis?

DIcendum. Minister extremæ unctionis est solus Sacerdos rite ordinatus. Ita docet concilium Florentinum in decret. ad Armen. & contra Lutheranos, ac Calvinistas definit Tridentinum sess. 14 can. 4. Prob. 1 ex verbis S. Jacobi cap. 5 v. 14: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ,* quibus pro ministro extremæ unctionis non requirit simpliciter presbyteros, sed presbyteros Ecclesiæ, eosque jubet orare super infirmum, ac illum ungere in nomine Domini, ut remissionem peccatorum obtineat, quæ solum cadunt in presbyteros dignitate, & ordinatione, non item in eos, qui tantum ob ætatem sic vocantur, ut Novatores prætendunt. 2. Ex auctoritate Patrum, & perpetuo usu Ecclesiæ; quotquot enim ex Patribus textum S. Jacobi exposuerunt, illum de solis Sacerdotibus interpretati sunt, nec Ecclesia unquam permisit, ut Sacramentum extremæ unctionis ab alio administraretur. 588

Porro nomine Presbyterorum tam Sacerdotes, quam Episcopi veniunt, quidquid enim potest simplex Sacerdos, potiore jure potest Episcopus. Hinc sacram unctionem valide confert quivis legitime ordinatus, quia illius administratio non est actus jurisdictionis, sed ordinis tantum; licite vero solus pastor proprius, vel qui ab illo licentiam habet; nam Sacramenta fidelibus ministrare proprium est pastoris officium, in quod si quis illo invito se ingerat, peccat graviter, & Religiosus ipso facto incurrit excommunicationem soli Pontifici reservatam, ut habetur Clement. I 589

de

de privileg. & Clement. dudum de ſepult. Excipitur tamen caſus neceſſitatis, eoquod Parochus abſit, vel non poſſit, aut per manifeſtam injuriam unctionem adminiſtrare nolit, neque illius ſuperior pro obtinenda licentia poſſit adiri. Quippe tunc ſuperior, vel ſummus Pontifex cenſendus eſt licentiam dare, ut quilibet Sacerdos non ſuſpenſus, aut excommunicatus id faciat, ne infirmus in periculo mortis tam utili, & quandoque etiam neceſſario ſalutis remedio privetur.

590 Dicendum 2. Sacramentum extremæ unctionis tam a pluribus, quam ab unico Sacerdote adminiſtrari poteſt. Pars 1 conſtat tam ex praxi Eccleſiæ Græcæ, quam Latinæ. Nam Græci teſte Arcudio, & Simeone Theſſalonicenſi ſeptem Sacerdotes adhibent; a Latinis quoque plures aliquando ad conferendum hocSacramentum advocatos fuiſſe, diſcimus ex libro Sacrament. S. Gregorii apud Menardum, ex codice Filiano Rhemenſi &c. apud Tournel. q. 2 a. 4. Ideo dum Waldenſes Eccleſiam Romanam culparunt, quod ad extremam unctionem plures Sacerdotes advocaret, indeque inferrent, hoc Sacramentum non eſſe pauperum, ſed divitum, quorumdam turpem avaritiam repreſſit ſynodus Andegavenſis anno 1283, Rhemenſis initio ſæculi XV, & Senonenſis anno 1524. Rationem congruam pluralitatis miniſtrorum dat S. Thomas lib. 4 contra gentes cap. 73 dicens: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes interſint.*

591 Pars 2 præcipue eſt contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui viciſſim Eccleſiæ Romanæ objecerunt, quod nunc unum tantum Sacerdotem adhibere ſoleat; ſed S. Thomas loc. cit. expreſſe docet, ad adminiſtrationem hujus Sacramenti eti-

am ſufficere unicum Sacerdotem. Idem indicat Innocentius I epiſt. ad Decentium, ubi declarat, Epiſcopum eſſe miniſtrum hujus Sacramenti, quin requirat, ut collegam advocet, & Alexander III cap. quæſivit de verb ſignif. dicens: *Sacerdos uno præſente clerico etiam ſolus poteſt infirmum inungere.* Neque deſunt hujus rei exempla ex veteri Eccleſia. Sic S. Augendus ſæculo V ab unico Sacerdote inunctus legitur. Idem de beata Maura teſtatur Prudentius Fricaſinus. Nec plures requirunt canones ex SS. Patribus ſæculo VIII collecti, concilium Aquisgranenſe can. 5, & decreta pro ordine S. Benedicti a Lanfranco Cantuarienſi ſæculo XI digeſta, ut videre eſt apud auctorem rei ſacramentariæ de extrem. unct. q. 4 cap. 2. Quare concilium Tridentinum ſeſſ. 14 can 3, merito hanc concluſionis partem definivit.

Dices 1. Quando in Scriptura dicitur, ad in- 592
firmos vocandos eſſe presbyteros, non determinate requiruntur Sacerdotes; nam vox græca presbyter tantum ſeniorem ætate ſignificat: ergo non ſolus Sacerdos eſt miniſter extremæ unctionis. Conf. Venerab. Beda exponens textum S. Jacobi ait: *Infirmi moneri debent, ut ſeniorum adjutorio curari ſe meminerint, neque ad juniores, minusque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis referant.* Reſp. Neg. Ant. Vox presbyter in Scriptura novi teſtamenti vix unquam eſt nomen ætatis, ſed plerumque aut populi magiſtratus, aut Sacerdotes ſignificat, hosque a S. Jacobo intelligi colligitur ex contextu; alias ex defectu ætatis nequidem S. Timotheus hoc Sacramentum potuiſſet conficere, licet a S. Paulo Epiſcopus creatus fuerit. Ad Conf. Venerab. Beda ſolum vult, quod ad infirmos ordinarie potius vocandi ſint Sacerdotes ſeniores, utpote auctoritate, doctrina, & experientia antecellentes. Interim Sap. 4 v. 8 &

ſeq.

ſeq. dicitur: *Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

593 Dices 2. Innocentius I epiſt. ad Decent. ait chriſmate, ſive oleo infirmorum ab Epiſcopo confecto *Non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo.* Conf. In hiſtoria eccleſiaſtica legitur, viros quosdam ſanctitate præcipuos oleum ad infirmos transmiſiſſe, ut ſeipſos inungerent, & S. Genovefa ipſamet infirmos oleo lenire conſuevit. Reſp. Innocentium quidem permiſiſſe, ut quilibet Chriſtianus occurrente neceſſitate ſe vel alios ſacro oleo ungere poſſit, ſed absque forma, & ritu ſacramentali ex mera devotione erga rem ſacram, & epiſcopali benedictione conſecratam, quo modo fideles etiam aqua benedicta aliisque rebus conſecratis uti ſolent. Ad Conf. eadem eſt reſponſio, nam ut S. Thomas in ſupplem. q. 31 a. 1 ad 2 ait: illæ unctiones non erant ſacramentales, ſed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis mittentium, vel etiam ungentium conſequebatur effectus ſanitatis corporalis per gratiam ſanitatum, non autem per gratiam ſacramentalem.

594 Dices 3. S. Jacobus ad extremæ unctionis adminiſtrationem expreſſe requirit, ut plures inducantur presbyteri: ergo non poteſt perfici a Sacerdote unico. Conf. Quia ſaltem convenientius, & ad majorem gratiæ copiam obtinendam utilius eſt, ſi plures Sacerdotes adhibeantur. Reſp. Neg. Ant. Nam Apoſtolus utitur enallage, & numerum pluralem pro ſingulari adhibet, quemadmodum in communi modo loquendi, & ipſa Scriptura fieri ſolet. Sic Luc. 17 v. 14 Chriſtus ad leproſos mundatos dixit: *Oſtendite vos Sacerdotibus*, id eſt, uni ex Sacerdotibus; ſuffeciſſe enim ſe

ſe oſtendere uni ex Leviticis cap. 14 v. 2 habetur. In eodem ſenſu Apoſtolum locutum fuiſſe, declarat eccleſiaſtica diſciplina per totum occidentem recepta. Ad Conf. Eſto, quod pluralitas miniſtrorum ſecundum quid decentior, & utilior foret, nihilominus Eccleſiæ non defuerunt ſufficientes cauſæ, ob quas maluit unum tantum Sacerdotem; nam ſæpe plures non poſſunt haberi, & ſic magis ſervatur uniformitas, ſimulque ſectariis præſcinditur occaſio calumniandi, quaſi hoc Sacramento complures ſolum ad oſtentandam pompam, aut turpem queſtum abutantur.

Audiamus de hac re Benedictum XIV, qui 595
in tractat. de ſynod. diœceſ. cap. 19 ita ſcribit: Ritus ſacræ unctionis ab unico recipiendæ Sacerdote adeo in Eccleſia Latina invaluit, ut theologi ſcholaſtici cum Suarez diſp. 43 ſect. 2, & Cardinale de Lauræa in 4 ſent. tom. 3 diſp. 11 a. 9 num. 114 illicitum nunc reputent, ſecluſa neceſſitate ejuſmodi Sacramentum a pluribus ſimul adminiſtrari; quoniam nemini integrum eſt, in Sacramentis adminiſtrandis a norma recedere in Rituali præſcripta. Si autem plures ſimul Sacerdotes reipſa Sacramentum hoc conficiant, nemo ambigit, illud eſſe ratum, modo ſinguli diverſos inungant infirmi ſenſus, & quilibet congruentem inuncto ſenſui formam pronuntiet, quemadmodum iidem auctores ſcite animadvertunt. Præterea etiam ſpectata hodiernæ Eccleſiæ diſciplina necdum licitum, ſed etiam laudabile eſt, ut uni Sacramentum adminiſtranti alii plures aſſiſtant Sacerdotes ob rationem, quam adducit S. Thomas loco a nobis citato num. 590.

QUÆSTIO IV.

Quodnam ſit ſubjectum extremæ unctionis?

Dicendum 1. Subjectum capax extremæ un- 596
ctionis ſunt ſoli baptizati, uſum rationis adepti,

pti, qui ex gravi morbo, aut corporis infirmitate sunt in periculo mortis. Ita omnes theologi contra Græcos Recentiores, qui eandem etiam pœnitentibus sanis administrant. Pars 1 patet, quia Baptismus est janua vitæ spiritualis, per quam in Ecclesiam ingredimur, ejusque membra efficimur; hinc sine Baptismo nullus est capax aliorum Sacramentorum, quæ Christus tantum pro salute, & profectu suæ Ecclesiæ instituit. Pars 2 colligitur ex S. Jacobo cap. 5 v. 15: *Si in peccatis sit, remittentur ei*; ac ipsa forma hujus Sacramenti: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti &c.* Quia tamen non tantum est institutum ad peccata, & peccati reliquias tollendas, sed principaliter ad roborandam imbecillitatem per peccatum originale contractam, atque ad superandos dæmonum insultus ad illud recipiendum sufficit, modo aliquis sit peccati capax, & aliquando peccare potuerit, etsi actu nunquam personaliter peccaverit.

597 Pars 3 Prob. 1 ex verbis S. Jacobi cap. 5 v. 14: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ &c.*, per quæ sani excluduntur, ut constat ex unanimi Doctorum sensu, & perpetua praxi Ecclesiæ. 2. Ex concilio Florentino, quod in decreto ad Armenos expresse ait: *Hoc Sacramentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet.* 3. Ex concilio Tridentino sess. 14; nam cap. 1 extremam unctionem vocat unctionem infirmorum, & cap. 3 ait: *Hanc unctionem infirmis adhibendam esse, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur. Unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* 4. Ex Rituali Romano, quod ita de hoc Sacramento habet: *Debet infirmis præberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur.* Ex quibus vides, per gravem morbum, & infirmi-

mitatem intelligi illam, ex qua videtur imminere mortis periculum grave, ac probabile, non vero tantum leve, ac nimis remotum.

Dicendum 2. Pro administratione extremæ 598
unctionis non est exspectandum, donec infirmus sit morti proximus, sed debet ei conferri, dum adhuc ratione utitur. Probatur ex antiquæ Ecclesiæ praxi apud P. Martene lib. 1 de antiq. Eccles. ritibus cap. 7 a. 2, & ex decretis variorum conciliorum, Rhemensis, Burdigalensis, Bituricensis, & Mediolanensis apud Tournelyum q. 3. Ratio est, quia infirmus tunc melius ad fructum hujus Sacramenti se disponere, eumque certius, ac uberius percipere potest. Hinc concilium Tridentinum tantum ait, extremam unctionem adhibendam esse *Illis præsertim, qui in exitu vitæ sunt constituti:* Florentinum vero omnibus infirmis, *De quorum morte timetur.* Imo catechismus Romanus part. 2 de extrem. unct. num. 9 peccati mortalis arguit Parochos, qui eam culpabiliter differunt, donec infirmus usu rationis, & sensuum privetur, quamvis etiam tunc eandem adhuc dare teneantur.

Colliges, extremam unctionem non esse im- 599
pertiendam 1 infantibus, qui perfectum usum rationis nondum fuerunt consecuti. Imo juxta quorumdam locorum consuetudinem ipsis non conceditur ante 14 vel 15 annum ætatis. 2. Amentibus, phreneticis, & furiosis, si nunquam habeant lucida intervalla, aut saltem antea usum rationis non habuerint, & postea unctio ipsis commode, & sine periculo irreverentiæ dari possit. 3. Surdis, mutis ac cæcis simul a nativitate; sunt enim hujus Sacramenti incapaces, eoquod nunquam voluntatem illud suscipiendi habuerint, nisi forte instructionem acceperint ex speciali industria. 4. Quibus periculum mortis tantum imminet per violentiam extrinsecam e. g,

per naufragium, gladium, ſuſpendium, quia proprie non ſunt infirmi. 5. Peccatoribus notoriis, qui in manifeſto peccato mortali morantur, aut publice excommunicati ſunt, niſi ex probabilibus conjecturis, aut unius ſaltem teſtimonio colligi poſſit, illos ſincera pœnitentiæ ſigna dediſſe.

600 Econtra Sacramentum hoc impendendum eſt illis, qui ægrotant, aut grave periculum mortis ſubeunt ex cauſa intrinſeca e. g. peſte, profuſione ſanguinis, puerperio, ac difficultate partus. Idque etiam procedit 2, etſi per cauſam extrinſecam hoc malum incurrerint e. g. per ſumptionem veneni, ebrietatem, duellum &c. modo prudenter præſumi poſſit, quod de ſuo peccato doleant, & ſerio velint Deo reconciliari. 3. Senibus, qui præ decrepita ætate in dies morituri creduntur, etſi nulla alia corporalis infirmitas urgeat, ipſa enim gravis, & annoſa ſenectus eſt morbus, propinquum vitæ periculum invehens. 4. Qui ſubita vi morbi oppreſſi extremam unctionem non amplius poſſunt petere; qui enim christiane vixit, hoc ipſo cenſetur velle christiane mori, & debito tempore Eccleſiæ Sacramentis juvari. Sufficit autem voluntas habitualis, nec de illa ſpeciale aliquod ſignum, aut teſtimonium requiritur, ſicut requiritur in Sacramento pœnitentiæ, quod pro parte eſſentiali confeſſionem includit. 5. De quocunque rationabilis habetur cauſa, quod ſit extremæ unctionis capax, & ad illam rite diſpoſitus; cum enim in extrema neceſſitate præſumendum ſit in favorem hominis, Lohner, Schilder &c. docent, hoc Sacramentum etiam in rationabili dubio conferendum eſſe.

601 Dices 1. Græci teſte Arcudio, & Goario omnes pœnitentes etiam ſanos oleo infirmorum inungunt: ergo non ſoli infirmi ſunt ſubjectum extremæ unctionis. Conf. ex hiſtoria eccleſiaſtica, in qua de S. Gildaſio, S. Hedwige aliisque le-

legitur, quod Sacramento extremæ unctionis ungi petierint, antequam ægrotarunt. Resp. Dist. Ant. etiam sanos inungunt unctione ceremoniali, Conc. Ant. unctione sacramentali, Neg. Ant. & Conf. Ipsi Græci antiquiores, eorum Euchologia, & orationes, quas cum forma essentiali pronunciant, testantur, unctionem, quæ vere Sacramentum est, pro solis infirmis divinitus destinatam esse, nec aliunde hujus Sacramenti institutionem repetunt quam ex cap. 6 Marci, & cap. 5 Jacobi, in quibus de solis infirmis mentio fit. Ad Conf. Quando aliqui Sancti, antequam videbantur ægrotare, extremam unctionem petierunt, id fecerunt ex speciali instinctu divino, vel quia interne jam lethali morbo laborarunt; nam brevi postea mortui sunt. Quare ejusmodi exempla extraordinaria communi doctrinæ, & praxi Ecclesiæ nihil præjudicant.

Dices 2. Quando Græci sanos inungunt, ad- 602
est materia, forma, & ministri Sacramenti: hinc ipsimet ejusmodi inunctionem Sacramentum vocant. Conf. Quia nostri theologi propterea Græcos reprehendunt, & ipse Innocentius IV epist. ad Episcopum Tusculanum anno 1254 hunc usum repressit. Resp. Sicut Græci non voluerunt verum, ac proprium Sacramentum confirmationis conficere, quando hæreticos ad Ecclesiam redeuntes olim cum chrismatione receperunt, quia licet adfuerit materia, forma, & minister confirmationis, non tamen erat idem operandi modus, nec eadem intentio tum conferentium, tum recipientium illam ceremoniam exteriorem: ita idem dicendum in præsenti. Dum igitur aliqui recentiores Græci hanc actionem Sacramentum appellant, fuerunt decepti errore facti, aut juris, vel vocem Sacramenti acceperunt in sensu latiore, & minus proprio. Ad Conf. Simili errore laborarunt nostri theologi, qui Græcis objecerunt,

quasi ungendo sanos vellent verum Sacramentum conficere: Innocentius vero hunc usum in Græcis non reprehendit simpliciter, sed quia solam unctionem in satisfactionem pœnitentiæ imperarunt, quo abusu disciplina ecclesiastica relaxabatur.

603 Dices 3. S. Jacobus de extrema unctione solum dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros &c:* ergo ad hoc Sacramentum saltem non requiritur morbus gravis; licet enim Græci omnibus ægrotis indifferenter illud conferant, nunquam ideo ab Ecclesia Latina reprehensi fuerunt. Conf. Simeon Thessalonicensis cum Lutheranis, & Calvinistis invehitur in Latinos, quod extremam unctionem tantum dent constitutis in extremis, & jam semimortuis. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quod S. Jacobus per infirmitatem non intellexerit morbum quemcunque, satis declarat praxis Ecclesiæ, doctrina Florentini, Tridentini, aliorumque conciliorum, & ipsa vox Græca ενχελωον, quæ graviter ægrotantem significat. Unde usus Græcorum satis ab Ecclesia Latina fuisset reprehensus, si ab illa in hac parte vere discreparent, quod tamen ab auctore rei sacramentariæ neutiquam evincitur, alias posset dici, quod Græci quoslibet etiam sanos sacramentaliter inungant, quia cuilibet homini etiam vegeto, & robusto quævis dies potest esse extrema. Ad Conf. Calumniam Simeonis, aliorumque sectatorum manifeste refellit quotidiana experientia; plurimi enim quotidie in Ecclesia Romana inunguntur integris sensibus, & pleno rationis usu adhuc præditi, & unctionem sacram fide viva, eximioque pietatis exemplo percipiunt.

604 Quæres. An Sacramentum extremæ unctionis possit sæpius iterari? Hac de re sæculo XII magna orta est controversia inter Geofridum Vin-

Vindocinenſem, Ivonem Carnotenſem, & Petrum Cluniacenſem, Petrum Lombardum, Hugonem Victorinum. Priores negabant extremam unctionem poſſe repeti, eoquod aliæ unctiones, quæ ex divino, & eccleſiaſtico ritu fiunt, ſint initerabiles, uti colligitur ex unctione Baptiſmatis, Confirmationis, eccleſiarum, & ſacrorum vaſorum. Poſteriores propugnabant extremam unctionem non minus quam reliqua Sacramenta, quæ nullum characterem imprimunt, ſæpius ab eodem poſſe recipi, neque eſſe paritatem cum allatis inſtantiis; nam unctiones in illis memoratæ fiunt per modum conſecrationis, uti unctio Eccleſiarum, & ſacrorum vaſorum, vel ſaltem effectum perennem habent, uti in Baptiſmo, & Confirmatione; quod autem ſemel eſt Deo conſecratum, tale ſemper manet, & cujus effectus eſt perpetuus, iteratione non indiget. At extrema unctio non fit ad conſecrandum, ſed ad medendum, neque ejus effectus eſt perpetuus; unde merito ſententia poſterior prævaluit.

Itaque Reſp. 1. Quamvis in eadem infirmi- 605
tate, eodemque infirmi ſtatu unctio extrema ſæpius fuerit repetita; ut oſtendit Menardus, & Martine ex libro Sacramentorum S. Gregorii, aliiſque Ritualibus antiquis; nihilominus jam a multis ſæculis conſuetudo Eccleſiæ obtinuit, ut in his circumſtantiis eidem ægroto tantum ſemel adminiſtretur, quia non eſt conferenda infirmo quomodocunque, ſed cum reſpectu ad periculum mortis, & ſtatum moribundi. 2. Si vero extreme inunctus ita melius habere cœpit, ut medicorum judicio extra probabile mortis periculum conſtitutus, etſi non omnino a morbo liberatus fuerit, poſtea vero in idem, vel ſimile periculum de novo incidat, rurſus poterit inungi, eſto, quod paucarum tantum hebdomadum intervallum interceſſerit; ſicut enim eandem corporis

ægritudinem iterum incurrit, ita idem ſpirituale remedium illi adhibendum eſt, ut colligitur ex concilio Tridentino ſeſſ. 14 cap. 3. Addit Benedictus XIV in lib. pe ſynod. cap. 23 parochos monendos, ne in hoc nimis ſcrupuloſos ſe gerant, ſed ſi dubitent, an revera ſtatus morbi fuerit mutatus, & periculum vitæ ſit diverſum, ad Sacramenti iterationem procedant.

QUÆSTIO V.

De effectu, & neceſſitate extremæ unctionis.

606 Effectus hujus Sacramenti enumerat concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 2. Primus ac præcipuus eſt gratia ſanctificans cum jure ad gratias actuales, quibus infirmus allevietur, & magnam divinæ miſericordiæ fiduciam excitando confirmetur, ut morbi incommoda ac dolores levius ferat, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtat. Secundus effectus eſt abſterſio reliquiarum peccati, per quas non ſolum intelliguntur pœnæ temporales pro peccatis debitæ, ſed etiam pravæ diſpoſitiones ad malum, animi torpor, & debilitas ex originali vel actuali peccato ortæ, non quaſi omnes in hac vita ſtatim plene deleantur, ſed plus, aut minus pro diſpoſitione recipientis. Hinc teſte experientia in illis, qui iterum convaleſcunt, ferme iidem pravi habitus, eadem infirmitas ac languor notantur, quamvis vi Sacramenti repreſſæ ægrotum minus impedierint ab earum rerum cogitatione, quæ ad ipſius ſalutem pertinebant.

607 Effectus tertius eſt remiſſio peccatorum, tum venialium, tum etiam mortalium, ſi quæ adhuc remittenda ſuperſint, ut probatur ex verbis S. Jacobi cap. 5 v. 15: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; & ex forma: *Indulgeat tibi Dominus, quid-*

quid

quid deliquisti. Neque obstat, quod extrema unctio sit Sacramentum vivorum; nam ex hoc tantum sequitur, quod peccata mortalia non remittantur ex primæva, & principali institutione hujus Sacramenti, sed tantum secundario quasi supplemento, & consummatione pœnitentiæ. Interim quamvis S. communio, nisi rationabilis causa e. g. vomitus obstet, extremæ unctioni præmittatur, adeoque etiam confessio præcedere debeat, hæc tamen per se ad fructum, & licentiam extremæ unctionis non est necessaria, sed sufficit, si peccator per contritionem ad statum gratiæ se disponat. Si tamen merito timeretur, post unctionem tempus confessioni defuturum, utique prius confiteri, & absolvi deberet; Sacramenta namque magis necessaria prius sumenda sunt.

Effectus quartus est sanitas corporis non quidem semper, & absolute, sed interdum, *Ubi saluti animæ expedierit*, ut verba S. Jacobi: *Et oratio fidei salvabit infirmum*, explicat concilium Tridentinum loc. cit. Cum igitur secundum divinam providentiam non semper expediat, ut rerum ordine turbato causarum naturalium exigentiæ frustrentur, hic effectus quandoque impediri potest ab iis, qui hoc Sacramentum non suscipiunt, nisi cum morbus ita invaluit, ut sine miraculo sanari nequeant. Vicissim virtuti Sacramenti non obest, quod sanitas adhibitis mediis naturalibus adhuc recuperari valeat; cum enim Ecclesia in administratione extremæ unctionis pro illa obtinenda Deum deprecetur, media naturalia sæpe per Sacramentum adjuvantur, ut operationem suam ad felicem exitum perducant. 608

Necessitatem extremæ unctionis quod attinet, facile consentiunt theologi, illam non esse necessariam necessitate medii, quia hoc Sacramentum gratiam sanctificantem lege ordinaria jam prius infusam supponit. At neque probatur, 609

quod sit necessaria necessitate praecepti divini; quippe de hoc nec a Christo, nec ab Ecclesia aliquid traditum invenitur; neque enim S. Jacobus cap. 5 illam promulgans ullum verbum apposuit vim praecipiendi continens, sed simpliciter dixit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros &c.* Quando autem aliqua concilia mandatum insinuare videntur, illud tantum accipiunt in sensu lato, ut quamcunque admonitionem includit, vel certe solum loquuntur de mandato explicante ritum, & modum Sacramenti, non vero simpliciter praecipiente illius usum. Sic concilium Cabilonense II can. 48 solum ait: *Secundum beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, inungi debent*; Tridentinum vero sess. 14 cap. & can. 3 solum contra haereticos tradit, extremam unctionem a fidelibus contemni non posse.

610 Multo minus praeceptum quoddam ecclesiasticum ostendi potest; quamvis enim receptionem extremae unctionis Ecclesia magnopere commendet, & fideles, qui possunt, regulariter illam suscipere soleant, inde solum probatur, quod hoc Sacramentum sit valde utile, & fideles in ultimo vitae articulo, a quo aeternitas pendet, tutissimam viam salutis, quam sine notabili difficultate habere possunt, adire velint, quin ideo ex vi Religionis, aut charitatis ad id, quod melius, & securius est, sub peccato gravi obligentur. Equidem quilibet homo praesertim sub finem vitae tenetur vitare propinquum peccandi periculum, & animae interitum: at omissio extremae unctionis per se nec interitum animae, nec propinquum periculum consentiendi suggestionibus daemonis inducit, sed infirmus hoc damnum, & periculum aliis modis potest a se avertere e. g. per diligentem orationem ad Deum confugiendo, per sacrosancta Missae sacrificia &c.

Hinc

Hinc S. Thomas in 4 dist. 23 a. 1 q. 3 ad 1 Suarius, Cajetanus, Laymann aliique contra magistrum sententiarum, Tournelyum, Antoine &c. communiter docent, per se loquendo infirmum, etiamsi extremam unctionem sine causa negligat, tantum peccare venialiter, in quantum videlicet culpabilem quamdam incuriam, & boni spiritualis prodigalitatem admittit. Potest nihilominus contingere, ut ejusmodi negligentia sit graviter peccaminosa per accidens 1 ob contemptum formalem, qualis tamen non statim datur ideo, quod tempus, & commoditas opportuna hoc Sacramentum suscipiendi non desit. 2. Ob scandalum e. g. quando ex eo, quod æger extremam unctionem renuat, alii ad vilipensionem hujus Sacramenti moverentur. 3. Ubi infirmus aliud Sacramentum suscipere non posset, & de valore suæ contritionis prudenter dubitaret, atque ita se exponeret periculo æternæ damnationis; quamquam hic casus vix sit possibilis, si enim adest Sacerdos, qui potest ministrare extremam unctionem, etiam poterit ministrare Sacramentum pœnitentiæ, ac infirmum, licet sensibus destitutum absolvere. 611

Quod de infirmo dictum est, eadem proportione procedit de illis, qui infirmi curam gerunt, si extremam unctionem eidem procurare intermittunt; qui vero curam animarum gerit, uti parochus, Prælatus Ordinis, peccaret graviter, si petenti hoc Sacramentum sine justa causa negaret, aut differret cum probabili periculo, ne interim infirmus decedat. Ratio est, quia subditis petentibus tam salubre remedium, ad salutem hominum a Christo institutum, vi officii, & ex justitia administrare tenetur; alius autem Sacerdos, qui parocho absente licite, & valide illud posset administrare, tenetur ex lege charitatis, licet non statim sub obligatione gravi, nisi infirmus omnino graviter indigere videretur, quia alioquin sine 612

omni Sacramento decedere deberet, ut notant Layman, Paludanus, Coninck &c.

613 Quæres adhuc. An Sacerdos e. g. parochus sibi ipsi possit sacram unctionem præbere? Affirmat Clericatus decis. 75 pro casu necessitatis, quo alius minister haberi non posset. Sed melius negant Diana, Mercor., aliique apud Lazana; nam quid ad valorem alicujus Sacramenti requiratur, colligi debet ex ipsius institutione, forma, & praxi Ecclesiæ; atqui ex his colligitur, quod minister extremæ unctionis debeat esse diversus a suscipiente; quippe 1 S. Jacobus, dum promulgavit hoc Sacramentum, expresse inter subjectum, & ministrum distinxit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & orent super eum.* 2. Forma tam in conciliis, quam in Rituali Romano assignata clare est ad alterum: *Indulgeat tibi Deus.* 3. Universalis Ecclesiæ praxis semper erat, ut hoc Sacramentum administraretur a ministro distincto, nec unquam legitur, quod aliquis sibi ipsi administraverit, licet ejusmodi casus necessitatis sæpius contingere potuerint.

614 Dices 1. Quando parochus seipsum inungit, habentur omnia ad essentiam Sacramenti requisita, videlicet validus minister, materia, & forma; quod enim Sacerdos dicat: Indulgeat mihi Dominus, quidquid deliqui, non infert mutationem substantialem formæ, & orationis, cum quilibet pro seipso Deum deprecari valeat. Conf. Nulla lex ecclesiastica, aut divina prohibet infirmo Sacerdoti, ne seipsum extreme inungat, neque ullum concilium, aut S. Pater dicit hoc esse illicitum, multo minus invalidum. Resp. Dist. Ant. habentur omnia ad essentiam Sacramenti requisita debito modo, Neg. Ant. aliter, Transf. Ant. & Neg. Conf. Nam ex probatione satis patet, ad validam administrationem hujus Sacramenti tanquam conditionem essentialem requiri distin-ctio-

ctionem inter miniſtrum, & ſuſcipientem; quamvis igitur forma non mutetur ſubſtantialiter, quoad orationem in genere acceptam, mutatur tamen conſiderata, ut oratio ſacramentalis, cui Chriſtus contulit vim cauſandi gratiam ex opere operato. Ad Conf. Licet Eccleſia de hac re nullum præceptum ediderit ſcripto, Scripturam ſufficienter ſupplet conſtans, ac univerſalis conſuetudo. Præceptum divinum colligitur ex S. Jacobo, & forma a conciliis aſſignata. Patres multo minus dicunt, miniſtrum, & ſuſcipientem poſſe eſſe eundem, ſed de illis ſemper tanquam de diverſis loquuntur.

Dices 2. Sacramentum extremæ unctionis ſe 615
habet per modum medicinæ infirmis applicandæ, ferme ſicut Evchariſtia ſe habet per modum cibi, & potus: ergo ſicut Sacerdos in neceſſitate ſibi ipſi præbere poteſt Evchariſtiam, ſic etiam extremam unctionem; quilibet enim peritus medicus ſibi ipſi poteſt medicinam applicare. Conf. Quia Sacramentum extremæ unctionis a cæteris Sacramentis in multis differt. Reſp. Neg. Ant. Si omnimoda eſſet paritas inter medicum corporalem, & ſpiritualem, etiam laicus hoc Sacramentum adminiſtrare poſſet, dummodo ſciret modum, & formam illud conferendi, neque enim ad hoc, ut quis ſe licite curet, opus eſt, ut publice ſit creatus medicus, modo ſciat, quid ſibi proſit. Porro Evchariſtia eſt Sacramentum permanens, nec per ipſam ſumptionem conficitur: ergo ſicut in reliquis Sacramentis, quæ in uſu conſiſtunt, excepto ob ſpecialem rationem contractus ſolo matrimonio, ſuſcipiens, & miniſter debent eſſe diſtincti, ſic in extrema unctione. Ad Conf. Licet extrema unctio ab aliis Sacramentis in uſu conſiſtentibus in aliquibus differat, convenit cum illis in eo, quod æque ſit Sacramentum tranſiens, & eodem tempore, quo recipitur, confici debeat. Dein

cur

cur Chriſtus non potuiſſet velle, ut aliquis ſeipſum generet ſpiritualiter? cur non eodem jure poſſet dici, quod extrema unctio pertineat ad pœnitentiam, prout a Clericato Confirmatio reducitur ad Baptiſmum.

DISPUTATIO II.

De ſacris Ordinibus.

616 ORdo tripliciter hic conſiderari poteſt. 1. Pro Hierarchia, ſeu ſtatu quodam peculiari, ac permanente clericorum ad certa officia eccleſiaſtica conſecratorum. 2. Pro ordinatione ſeu ceremonia ſacra, qua poteſtas ad exercenda hæc officia eccleſiaſtica ſtabiliter confertur. 3. Pro Sacramento, in quo ſenſu definiri ſolet, Sacramentum novæ legis a Chriſto Domino inſtitutum, quo datur poteſtas quædam ſpecialis, ac ſtabilis, ſimulque confertur gratia ad corpus Chriſti conſecrandum, & munia eccleſiaſtica debite obeunda. Inſtituit Chriſtus hoc Sacramentum præcipue Luc. 22 v. 19, quando in ultima cœna Apoſtolos creavit Sacerdotes, ut diſcimus ex perpetua traditione Eccleſiæ, tam Orientalis, quam Occidentalis. Hinc concilium Tridentinum ſeſſ. 23 can. 3 contra Lutheranos, aliosque ſectarios ſtatuit: *Si quis dixerit, ordinem, ſeu ſacram ordinationem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.*

QUÆSTIO I.

An, & quotuplex detur Ordo?

617 DIcendum. Datur in Eccleſia ordo hierarchicus, in quo ex inſtitutione Chriſti varii miniſtri deputati ſunt ad ſacra obeunda, isque a lai-

corum cœtu omnino est distinctus. Est de fide contra Wicleffum, Lutherum, Calvinum &c. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Christus Joan. 20 v. 21 & 22 Apostolos, & discipulos suos tanquam Evangelii ministros per insufflationem, & traditionem Spiritus sancti ordinavit, ipsique Apostoli Act. 6 v. 6 alios per manus impositionem diaconos crearunt; hinc passim se ministros Christi appellarunt: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,* 1 ad Cor. 4 v. 1; *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, 2 ad Cor. 8 v. 6; gradus autem istorum ministrorum distinctos fuisse, clare docet S. Paulus 1 ad Cor. 17 v. 28: *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c,* & v. 19: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ &c.* Conf. Ex lege veteri, in qua tribus levitica sacrificiis, & sacris ritibus specialiter fuerat deputata, & a reliquorum Judæorum statu omnino distincta, ideo Numer. & Deuter. 18 dicuntur esse de sorte Domini, qui vero ex Laicis eorum officio se immiscere ausi sunt, a Deo graviter fuerunt puniti, ut Datan, Abiron, Saul, & Ozias.

Probatur 2 ex perpetua praxi, & traditio- 618
ne Ecclesiæ, in qua cuilibet ministro suum officium fuit assignatum, ac severe reprehensi, qui præscriptos sibi limites transgressi sunt, sic concilium Nicænum I, Laodicense I, Carthaginense IV &c. expresse agunt de ordinationibus, & officiis singularibus a sorte laicorum distinctis, in quibus etiam ministri Ecclesiæ communi, ac vulgato nomine clerici appellantur, in Nicæna autem can. 18 diaconis prohibetur administratio Evcharistiæ. Idem uno suffragio tradunt SS. Patres, aliique Scriptores ecclesiastici Tertullianus lib. de Monogam. cap. 12, Origenes Homil. 7 in Jeremiam, S. Ignatius Martyr epist. ad Magnes,

gnef., S. Hieronymus in cap. 12 Jerem. Merito itaque Tridentinum feff. 23 cap. 4 ait: *Quod fi quis omnes Chriftianos promifcue novi teftamenti Sacerdotes effe, aut omnes pari inter fe poteftate fpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclefiafticam hierarchiam confundere,* & can. 6: *Si quis dixerit, non effe in Ecclefia catholica hierarchiam divina ordinatione inftitutam, quæ conftat ex Epifcopis, presbyteris, & miniftris; anathema fit.*

619 Ordines Hierarchici tantum quatuor a Græcis numerantur, nimirum Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Lectoratus, neque enim plures in illorum Euchologiis inveniuntur, hinc fi in quibusdam conciliis aut Patribus leguntur plures, nomen ordinis acceperunt latius, prout quodlibet officium, ac minifterium denotat. Econtra apud Latinos jam ab antiquiffimis temporibus feptem ordines obfervati funt, ut conftat ex concilio Tridentino, quod feff. 23 cap. 2 ita habet: *Non folum de Sacerdotibus, fed & de Diaconis facræ litteræ apertam mentionem faciunt, & ab ipfo Ecclefiæ initio fequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria minifteria, Subdiaconi fcilicet, Acolythi, Exorciftæ, Lectoris & Oftiarii fuiffe cognofcuntur.* Eosdem tanquam in Ecclefia Romana antiquitus ufitatos recenfet Cornelius Papa, electus circa annum 250 in epift. ad Fabium Antiochenum, & concilium Carthaginenfe IV anno 398.

620 Ex his feptem ordinibus Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur Majores, & Sacri, non quafi quatuor reliqui minores non etiam fuo modo fancti, & facri fint, fed quia non habent annexum votum caftitatis, nec ita proxime ad facram Evchariftiam accedunt, ad quam adminiftrandam omnes ordines veluti per gradus quosdam tendunt, ac referuntur. An vero ordi-

ordines præcise tantum sint septem, concilium Tridentinum noluit definire, sed can. 2 contra sectarios solum statuit, in Ecclesia admittendos esse ordines majores, & minores. Hinc aliqui cum concilio Carthaginensi citato enumeratis ordinibus addunt ordinem Cantorum, seu Psalmistarum. Alii cum Abbate & Barbosa primam tonsuram, plures cum Maldonato, Cajetano, Soto, Bellarmino Episcopatum. Certe omnes fatentur Episcopatum saltem partialiter a presbyteratu distinctum esse, ac solum ideo a Tridentino nominatim non exprimi, quia ordinem sacerdotalem essentialiter supponit, ac aliquo modo in se includit. Itaque contra Aerium, Calvinum, aliosque sectarios firmiter tenendum, Episcopos non solum reliquis clericis, sed etiam Presbyteris quoad ordinem, & dignitatem superiores esse.

Probatur 1. Quia Episcopi jure divino, & 621
vi ordinationis suæ succedunt Apostolis, qui soli a Christo acceperunt potestatem per confirmationem dandi Spiritum sanctum, aliosque Episcopos, ac Presbyteros consecrandi; hinc Apostolus ad Tit. 1 v. 5 scribit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros.* Ecclesia vero semper tanquam irritas, & nullas rejecit ordinationes ab alio, quam Episcopo datas. 2. Quia Episcopi Act. 20 v. 28 a Deo fuerunt constituti rectores Ecclesiæ, & ideo omnia concilia a solis Episcopis tanquam judicibus in Ecclesia celebrata sunt. Consentiunt passim SS. Patres Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 5, Irenæus lib. 3 advers. hæres. cap. 3, Ignatius Martyr in variis epistolis nominatim in epist. ad Philidelph., ubi ait: *Boni sunt Sacerdotes, sed præstantior Pontifex.* Hinc teste S. Epiphanio hæres. 75, Aerius inter hæreticos fuit numeratus, & concilium Tridentinum sess. 23 can. 5 definit: *Si quis dixerit Episcopos*

non

non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.

622 Dices 1. In Scriptura nomen Episcopi, & Presbyteri non raro confunduntur, sic S. Paulus ad Philipp. 1 v. 1 salutat Episcopos, & Diaconos nulla facta mentione Presbyterorum : ergo. Conf. Quando Act. 20 v. 28 Episcopi dicuntur *a Spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei*, sermo est de Presbyteris, qui v. 17 vocantur *Majores natu Ecclesiæ*, alias Ephesi plures debuissent esse Episcopi. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Quamvis initio Ecclesiæ Episcopi, & Presbyteri nomine confundebantur, illi tamen his semper fuerunt potestate ordinis, & jurisdictionis superiores, ut ex Patrum testimoniis, & perpetua traditione discimus. Procedente dein tempore etiam proprium cuique attributum est nomen : *Ut hic quidem Episcopus, ille vero Presbyter appellaretur*, inquit S. Chrysostomus in cap. 1 epist. ad Philidelph. Ad Conf. Imprimis per majores natu potius veri Episcopi, quam simplices Sacerdotes intelliguntur. Dein teste S. Epiphanio hæres. 75 num. 5 ævo Apostolorum vix aliqui simplices tantum Presbyteri fuerunt. Denique Apostolus non solum convocavit illos, qui Ephesi, sed etiam, qui in proximis civitatibus, per quas prædicaverat, tunc habitabant, ut videtur colligi ex contextu, & exponit S. Irenæus lib. cit. cap. 14.

623 Dices 2. S. Chrysostomus Homil. 11 in caput 3 epist. 1 ad Timotheum dicit : inter Episcopum, & Presbyterum ferme nihil interesse, quia etiam Presbyteris Ecclesiæ cura commissa est. S. Hieronymus in caput 1 epist. ad Titum. Eundem esse Episcopum, & Presbyterum, paulatim vero ad tollendas dissensiones inter illos

fa-

factum esse discrimen, & sic ex consuetudine Ecclesiæ Episcopis curam totius Ecclesiæ concessam, eosque Presbyteris superiores esse. Resp. S. Chrysostomus solum docet, quod excepta ordinatione, & confirmatione ferme omnia etiam Presbyteris possint communicari, iisque etiam Ecclesiæ curam esse permissam, attamen cum subordinatione, & dependentia ab Episcopis. Pariter S. Hieronymus solum vult, Episcopum, & Presbyterum eandem habuisse appellationem, quæ paulatim ad tollendas dissensiones sit mutata, ob quas Episcopi totius Ecclesiæ curam in se suscipere consueverint, utpote quæ vi ordinis, & jure divino ipsis competeret. Quippe dialog. advers. Lucifer. clare asserit, episcopos jure divino esse superiores Sacerdotibus, idque epist. ad Evod. probat exemplo Aaronis, & in ipsam epistolam ad Titum exemplo Moysis. Vid. etiam tract. de Sacramentis in genere num. 214 & 502.

QUÆSTIO II.

Quot, & quales ordines sint Sacramentum?

QUod presbyteratus sit vere, ac proprie Sacramentum, apud omnes Catholicos est in- 624
dubitatum; nam aliquam ordinationem esse Sacramentum, est de fide; atqui nulli in particulari id magis competit, quam ordinationi Sacerdotis, per quam homini maxime tribuuntur potestates supernaturales in corpus Christi verum, videlicet consecrandi Eucharistiam, ac etiam mysticum fideles absolvendi a peccatis per Sacramentum pœnitentiæ, & mundandi a reliquiis peccatorum per extremam unctionem. Quam ob causam suavi Dei providentiæ maxime conveniebat, ut ordinatis simul etiam conferat gratiam sanctificantem, cujus beneficio hanc potestatem

rite exercere valeant; hinc in ordinatione Presbyterorum Episcopus pronuntiat verba Christi: *Accipite Spiritum sanctum*, eoque gratiam conferri docent SS. Patres, Gregorius Nyssenus orat. de sanct. Baptis. Augustinus lib. 1 contra Donat. cap. 1 Leo epist. 81 ad Diosc. cap. 1 concilium Chalcedonense, can. 1, Tridentinum vero sess. 23 can. 4 anathema dicit afferenti: *Per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipite Spiritum sanctum.*

625 Idem omnino tenendum est de Diaconatu; quippe ipsi Apostoli Act. 6 Diaconos per impositionem manus, & orationem, seu invocationem Spiritus sancti ordinarunt. Hanc ipsam invocationem non minus quam in ordinatione Presbyteri adhibet Ecclesia tam Græca, quam Latina, conformiter videlicet ad institutionem divinam. Nam S. Ignatius epist. ad Ephes. ait: *Subjecti estote Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis, qui enim his subjectus est, obedit Christo, qui hos constituit*: Anastasius Papa II epist. ad Anastas. imperat. asserit: *Presbyteris, & Diaconis ordinatione gratiam conferri, & utramque ordinationem Sacramentum esse*; Concilium Tridentinum sess. 23 can. 6 anathematizat eos, qui dicunt: *In Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris*; qua ultima voce saltem Diaconi intelligi debent; hi enim Sacerdoti proxime ministrant in sacrificio Missæ, ex commissione, & licentia Episcopi baptizant, prædicant, & in necessitate S. Evcharistiam præbent. Hinc communissime rejicitur sententia Durandi, & Cajetani, qui Diaconatum Sacramentum esse negarunt: de reliquis ordinibus major inter auctores est discrepantia, itaque

Dicendum 1. Etiam Episcopatus est Sacramentum proprie dictum. Ita Paludanus, Eckius, Bellarminus, aliique communius contra S. Bonaventuram, Richardum, Sotum &c. Prob. Quia in episcopatu omnia habentur, quæ ad verum Sacramentum requiruntur. Quippe 1 est a Christo Domino institutus, ut colligitur ex dictis quæst. præced. 2. Confertur per ceremoniam externam, & visibilem, videlicet per impositionem manuum, & formam: *Accipite Spiritum sanctum.* 3. Tribuit ordinatis specialem potestatem, ac virtutem confirmandi fideles, & ordinandi alios Sacerdotes. 4. Causat gratiam internam, ut colligitur ex 1 ad Timoth. 4 v. 14: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, & impositionem manuum Presbyterii.* Ubi juxta sanctum Chrysostomum Homil. 11 in hunc locum, aliosque interpretes per presbyterium collegium Episcoporum intelligitur. 5. Imprimit specialem characterem, cum aliquando valide acceptus non amplius possit iterari. Hinc SS. Patres episcopatum passim inter Sacramenta numerant, eumque inter reliquos gradus hierarchicos primum collocant; Tridentinum vero sess. 23 can. 4 generaliter definit, Episcopos ordinando non frustra dicere: *Accipite Spiritum sanctum*: ergo omnis ordinatio, in qua hæc forma adhibetur, Sacramentum est. Vid. Tournel. de Sacrament. ord. q. 6 a. 7 de Major. Ordin. 626

Porro an episcopatus dicatur Sacramentum a presbyteratu adæquate, an solum inadæquate, & extensive distinctum, parum interest. Nam 1. qui cum concilio Tridentino septem tantum ordines numerant, illos comparant relate ad conficiendam Evchariſtiam, in qua consideratione licet episcopatus in eodem genere cum presbyteratu contineatur, nihilominus ab illo differt specie infima ob specialem materiam, formam &c. 627

2. Licet episcopatus non tribuat potestatem consecrandi Evcharistiam, habet tamen virtutem hanc potestatem conferendi aliis, eamque essentialiter includit, ac præsupponit, cum episcopatus nihil aliud sit, quam Sacerdotium summum. 3. Ideo nullus potest ordinari Episcopus, qui nondum est Sacerdos; quod autem valide possit ordinari presbyter, qui nondum est Diaconus, ratio est, quia presbyteratus diaconatum non continet formaliter tanquam partem, sed tantum eminenter, & virtualiter; episcopatus vero generice, & complete sumptus presbyteratum continet formaliter tanquam sui partem. 4 Character episcopalis acceptus solum inadæquate pro illo, qui specialiter imprimitur per ordinationem Episcopi, intensive quidem est minus perfectus, quam character presbyteralis conficiendi Evcharistiam, quæ inter omnes ordinis potestates est excellentissima: attamen extensive charactere presbyterali est major, ac perfectior, eoquod extendatur ad plures effectus, pluresque potestates significet.

628 Dicendum 2. de subdiaconatu probabilius videtur, quod non sit Sacramentum proprie tale. Ita contra S. Thomam, Bonaventuram, Valentiam &c. Magister Sentent., Cajetanus, aliique apud Vasquez dist. 238 cap. 1. Prob. 1. Quia neque ex Scriptura, neque ex traditione colligi potest ordinationem Subdiaconi Sacramentum esse; nam S. Ignatius epist. ad Smyrnæos, S. Hieronymus epist. ad Evagr., S. Augustinus epist. ad Valerium &c., tantum tres ordines sacros numerat, nempe episcopatum, presbyteratum, & diaconatum. 2. Quia subdiaconatus verisimilius non ab ipso Christo, sed ab Ecclesia institutus fuit: ordinibus sacris vero annumeratus primum ab Urbano II, vel Innocentio III, ut ostendit Tourne-

nelyus art 4 de Ord. Maj. 3. Quia ſubdiaconatus in Eccleſia Latina non confertur per manus impoſitionem, quæ tamen prioribus ſæculis fuit materia omnis ordinationis ſacramentalis. Sed neque Pontifex in ritu Latino, aut Græco profert illa verba, quibus virtus cauſandi gratiam exprimi, & invocari ſolet.

Dicendum 3. Multo minus ordines minores, 629
& prima tonſura videntur eſſe Sacramentum proprie dictum. Quippe, nec ex Scriptura, nec ex traditione habetur ſufficiens fundamentum, quod ſint inſtituti a Chriſto, aut gratiam ex opere operato conferant. Dein Græci jam ante exortum ſchisma ſolum lectoratum habuerunt, nec tonſuram ſeparatim ab eo contulerunt, a Latinis vero ordines minores conferuntur ſine manus impoſitione, eorumque munera nunc paſſim a laicis exercentur. Denique concilium Trident. ſeſſ. 23 cap. 2 ait: plures, ac diverſos ordines ita diſtributos eſſe, *Ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent*: ergo ſupponit tonſuram clericalem nequidem inter ordines minores recenſendam, ſed ad illos tantam eſſe diſpoſitionem quamdam præviam, ut advertit S. Thomas in ſupplement. q. 20 art. 2. Quando igitur cap. cum contingat de ætate præficiend. prima tonſura vocatur ordo clericalis, non accipitur ſtricte pro gradu hierarchico ſed late pro gradu clericali, quo quis a laico diſtinguitur, & ordinis hierarchici, ac beneficiorum eccleſiaſticorum capax ſit.

Dices 1. Concilium Florentinum in decret. 630
ad Armen poſtquam dixit: *Sextum Sacramentum eſt ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo, ſicut presbyteratus, diaconatus, ſubdiaconatus* &c. ſubjungit: *Et ſimiliter de aliis* ordinibus *per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem*: ergo ſubdiaconatum,

 tum,

tum, & ordines minores inter Sacramenta numerat. Conf. Florentinum has ſpecies ordinis ſolum ideo affert, ut explicet materiam illius, quod declaravit eſſe Sacramentum: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conf. Concilium ſolum voluit definire, quod ordo ſit Sacramentum, ejusque exemplum in presbyteratu, & diaconatu ponere; dein ex occaſione ſubjecit materiam ſubdiaconatus cæterorumque ordinum minorum, quin determinet, an proprie Sacramenta ſint, vel non; hoc enim ad ipſius ſcopum non erat neceſſarium, alias Græcis, quos cum Eccleſia Latina conciliare volebat, ſine dubio objeciſſet, quod tres minores ordines prætermittant, cum res non exigui momenti ſit, Sacramenta a Chriſto Domino inſtituta negligere. Ad Conf. Neg. Ant. Ut Florentinum materiam Sacramenti ordinis oſtenderet, ſufficiebat, quod presbyteratus, & diaconatus inter Sacramenta proprie talia ſint numeranda, quamquam ex occaſione ſimul explicare voluerit reliquos ordines.

631 Dices 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23 enumeratis omnibus ordinibus cap. 2 aſſerit: *Subdiaconatum ad majores ordines a Patribus, & conciliis referri*; dein cap. 3: *Dubitare nemo debet, ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Eccleſiæ ſanctæ Sacramentis*: ergo. Conf. S. Clemens lib. 8 conſtit. cap. 21 ait: in ordinatione Subdiaconi fieri hanc orationem: *Tribue eis Domine Spiritum ſanctum, ut digne vaſa Domini attrectare valeant*. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis Tridentinum afferat, ſubdiaconatum ad majores ordines pertinere, non dicit, quod ad illos fuerit relatus ab omni ævo, multo minus quod ſit inſtitutus ab ipſo Chriſto: in capite 3 autem ſolum loquitur de illa ordinatione, quæ fit per manus impoſitionem, ut colligitur ex verbis ſubjunctis: *Inquit enim Apoſtolus, admoneo te, ut reſuſcites*

ſcites &c. Ad Conf. Tranſ Ant. Neg. Conſ. tum quia in his conſtitutionibus eadem referuntur de ordinatione diaconiſſarum, tum quia certum eſt, quod hæc forma non amplius in Eccleſia adhibeatur.

Dices 3. Subdiaconatus non amplius poteſt 632
repeti: ergo imprimit characterem; hinc Eccleſia Subdiaconis permittit, ut tangant vaſa ſacra, & de illis jam meminit S. Ignatius Martyr. epiſt. ad Antiochen. Conf. Quia non eſt credibile, quod Eccleſia ſubdiaconatui annexuiſſet votum continentiæ, niſi eſſet verum Sacramentum. Reſp. Conc. Ant Neg. Conſ. Quod ſubdiaconatus nequeat iterari, non provenit ex charactere, ſed ex diſpoſitione Eccleſiæ, quæ vult, ut Deo ſemel conſecrata, eidem ſemper conſecrata maneant; hinc etiam prima tonſura non iteratur. Interim primis ſæculis ſubdiaconatus (licet forte jam fuerit) nec inter majores ordines numerabatur, nec Subdiaconis vaſa ſacra tangere licebat, ut colligitur ex cap. a multis de ætat. præficiend. & can. 21 concilii Laodiceni. AdConf. Imprimis votum continentiæ ſubdiaconatui non ſemper fuit annexum, dein etiam profeſſioni religioſæ lex continentiæ annexa eſt, quin idcirco ſit Sacramentum. Quare Subdiaconi hac lege tenentur duntaxat propter dignitatem ſtatus, & ordines ſuperiores, ad quos anhelant.

QUÆSTIO III.

Quænam ſit materia, & forma presbyteratus, & diaconatus?

De hac re magna inter ſcholaſticos eſt contro- 633
verſia ob diverſitatem inter ritum modernum Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ. Græci hæc Sacramenta conferunt per ſolam manus impoſitionem,

nem, & orationem : *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt, supplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum, vel Subdiaconum in Diaconum, oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus.* Idem ritus per decem ferme sæcula viguit apud Latinos, donec procedente tempore ad cujusque ordinis finem, & effectum significantius exprimendum simul adhibere cæperunt porrectionem variorum instrumentorum adjunctis certis verborum formulis. Hinc Vasquez, Maldonatus, Bellarminus, multique alii Recentiores docent, materiam, & formam presbyteratus, & diaconatus in Ecclesia Latina consistere partim in impositione manuum, partim in porrectione instrumentorum, & verbis eidem adjungi solitis. E-contra Dominicus Soto, Capreolus, Estius &c. pugnant pro sola instrumentorum porrectione, Becanus, Morinus, Tournelyus adhuc stant pro sola manus impositione.

634 Ritus presbyteratus in Ecclesia Latina modo sic peragitur. 1. Episcopus utramque manum imponit super caput cujuslibet nihil dicens, idemque post eum faciunt Sacerdotes præsentes, quo facto omnes simul cum Episcopo manus dextras super ordinandos extensas tenent, & Episcopus ait : *Exaudi nos quæsumus Deus noster, & super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ sacerdotalis infunde virtutem.* 2. Stolam ordinandi ante pectus decussat, imponit cuilibet casulam, ambas eorum manus inungit oleo catechumenorum, tribuit singulis calicem cum vino, & patena superposita cum hostia. 3. Celebrata cum ordinatis Missa post communionem iterum ambas manus super singulorum capita solus imponit, dicitque : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.* In diaco-

aconatu solus Episcopus super caput ordinandi ponit manum dextram, aitque: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.* Dein super humerum sinistrum singulis imponit stolam, induit illos Dalmatica, & librum Evangeliorum tangendum tradit, quæ omnes actiones rursus sicut in presbyteratu cum accommodatis verbis perficiuntur.

Dicendum 1. Materia, & forma presbyteratus, & diaconatus consistunt in impositione manus, & oratione illi adjuncta. Prob. 1. Quia in Scriptura de sola manus impositione fit mentio, quæ nisi pro ritu externo ordinationis assignetur, nunquam ex Scriptura evinci poterit, quod ordo sit verum Sacramentum a Christo institutum, & ab Apostolis usurpatum. 2. Quia antiqua concilia, SS. Patres, & Pontifices, quando de his ordinationibus loquuntur, non commemorant aliam materiam, quam manus impositionem, ut adductis illorum locis ostendit Tournelyus q. 3 de Sacrament. Ord. Hinc etiam concilium Tridentinum sess. 14 cap. 3 ait, ministros extremæ unctionis esse Episcopos, aut Sacerdotes rite ordinatos *Per impositionem manuum.* 3. Quia nunquam legitur primis sæculis alium ritum fuisse adhibitum; nullus enim alius reperitur in Sacramentario S. Gregorii sæculo VI, nullus apud Rabanum, Alarinum, Walfridum sæculo IX, aut in Ritualibus antiquioribus. 4. Quia usque in hodiernam diem nullam aliam materiam essentialem adhibent Græci, quin ideo a Latinis fuerint reprehensi, sed eorum ritum tanquam ratum agnoverunt Leo X, Clemens VIII, Paulus V, Urbanus VIII, aliique apud Morinum de Sacr. Ord. p. 1 cap. 3 & 4. 635

Dicendum 2. Quamvis in ordinatione Presbyterorum, & Diaconorum porrectio instrumento- 636

rum cum adjunctis verbis, aliique ritus præscripti in Ecclesia Latina omnino adhiberi debeant; nihilominus tantum pertinent ad integritatem Sacramenti. Pars 1 constat, quia Ecclesia Latina hoc ritu jam 700 annis utitur, eumque continet ordo Romanus, ac omnes libri Rituales, ipseque Eugenius IV in decreto ad Armen. assignat, ex quo graves auctores existimant, porrectionem instrumentorum omnino ad essentiam pertinere, licet ritus reliquos inter accidentales numerent. Pars 2 Prob. 1. Quia impositio manus, & oratio adjuncta satis continent omne sensibile externum, quod ad essentiam Sacramenti necessarium est. 2. Quia non est verisimile, quod concilia, SS. Patres, Pontifices, aliique Auctores ecclesiastici, qui ex professo Sacramentorum ritus diligentissime conscripserunt, per tot sacula ne semel quidem ritum essentialem ordinis attigissent. 3 Quia etiam illi, qui de porrectione instrumentorum primi tractarunt, minime agnoverunt, illam essentialem esse, ut videre est apud Hugonem a S. Victore lib. 2 de Sacrament. p. 3 cap. 12, Magistrum Sentent. lib. 4 Dist. 24, S. Bonaventuram in 4 Dist. 24 p. 2 a. 1 q. 4.

637 Dices 1. Concilium Florentinum in decret. ad Armen. pro materia, & forma Sacramenti ordinis assignat porrectionem instrumentorum, & orationem adjunctam, quin aliquid dicat de manuum impositione: ergo. Conf. Quia porrectio instrumentorum adhibetur ad significandam ordinis potestatem, eamque in illa oratione Episcopus asserit a se conferri. Resp. Dist. Ant. porrectionem instrumentorum, & orationem adjunctam assignat pro materia, & forma integrali, Conc. Ant. pro essentiali, Neg. Ant. & Conf. Cum Armeni neutiquam ignoraverint in collatione ordinum adhiberi debere impositionem manuum,

nuum, ac ipſimet eandem juxta univerſæ Eccleſiæ morem adhibuerint, Eugenius IV in hoc decreto non voluit totam ordinis materiam explicare, ſed Armenos ſolum de peculiaribus Eccleſiæ ritibus inſtruere, quin eſſentiam materiæ, & formæ prius ab Eccleſia uſurpatæ intenderit immutare, utpote quam ipſemet in concilio Florentino ratam habuit. Hinc ad Conf. dico, inſtrumenta ordinandis porrigi non tam ad poteſtatem ordinis conferendam, quam ſignificantius explicandam. Interim juxta vulgarem loquendi morem vis, & officia licet minus proprie attribui ſolent omnibus ritibus, qui in illorum adminiſtratione adhibentur.

Dices 2. Innocentius III cap. Paſtoralis e- 638
xtra de Sacramentis non iterandis, & Gregorius IX ibidem cap. Presbyter dicunt: *Iterandam non eſſe ordinationem factam ſine manus impoſitione, ſed ſupplendum, quod omiſſum eſt.* Addit Gregorius, impoſitionem manuum eſſe ritum ab Apoſtolis introductum. Conf. Quia Pontificale Romanum illos, qui manus impoſitionem jam receperunt, adhuc vocat ordinandos, & primum poſt porrecta inſtrumenta ordinatos appellat. Reſp. In his capitulis juxta Canoniſtas ſolum ſtatui, in Sacramentis non eſſe repetenda ea, quæ rite fuerunt adhibita, ſed ſolum ſupplenda, quæ prius omiſſa ſunt, ſive dein accidentalia, ſive eſſentialia fuerint. Porro Gregorius impoſitionem manuum vocat ritum ab Apoſtolis introductum, non quod illum inſtituerint, ſed quia eundem primi uſurparunt, ut advertit Bellarm. lib. 1 de Sacrament. Ord. cap. 9. Ad Conf. Cum ex uſu, & præcepto Eccleſiæ porrectio inſtrumentorum requiratur ad integralem ordinationis perfectionem, Presbyteri, ac Diaconi merito adhuc vocantur ordinandi; neque enim ſimpliciter, & abſo-

lute

lute potest quis ordinatus dici, nisi perceperit ritus omnes, quos exigit Ecclesia, in qua vivit.

639 Dices 3. Hæc oratio: *Accipite potestatem offerendi Sacrificium*, cum qua Presbyteris instrumenta porriguntur, ponitur loco verborum Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus Apostolos ordinavit Sacerdotes; hinc jam sæculo VIII in ordine Romano erat posita, ubi non fuerunt traditi ritus novi, sed jam diuturno Ecclesiæ usu recepti. Conf. Quod porrectio instrumentorum sit materia essentialis, est communissima sententia Theologorum, jam a Magistro Sent. aliisque antiquis passim tradita: ergo. Resp. Neg. Ant. alias Ecclesia per plura sæcula caruisset valida ordinationis forma, cum tamen & Christus Apostolis, & Apostoli suis successoribus sine hac oratione ordines contulerint. In veteri ordine Romano hæc oratio non ponitur in ordinatione Presbyterorum, sed consecratione Episcoporum; unde errore Scriptoris mendum irrepsit, nam teste Menardo in not. ad Sacramentale S. Gregorii verba ista non exstant in codicibus manu scriptis, neque in Pontificali Romano, neque in codice Tiliano. Ad Conf. Quamvis sententia hæc a pluribus fuerit tradita, tamen etiam nostra non destituitur sufficiente auctoritate, & nititur meliore ratione, Magister Sentent. solum docet, porrectionem instrumentorum, postquam in Ecclesiam Latinam introducta est, esse signum acceptæ per manus impositionem potestatis, ut considerate legenti patebit.

640 Quæres. Quænam impositio manus sit materia presbyteratus? Resp. Juxta dicta num. 634 tres manus impositiones hic distingui possunt. Prima fit sine ullis verbis, ideoque non videtur habere rationem materiæ essentialis. Secundam rejicit P. Antoine, quia potius videtur esse ex-

extenſio, vel ſuſpenſio, quam impoſitio manus, neque ſingulis tactu corporali applicatur, cum tamen Gregorius IX cap. presbyter. de Sacramentis non iterandis dicat: *Presbyter, & Diaconus, cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali ritu ab Apoſtolis introducto recipiunt.* Contra tertiam Tournelyus loc. cit. opponit, quod primum fiat ad finem Miſſæ, poſtquam ordinandi jam dicti ſunt Sacerdotes, & una cum Epiſcopo S. Eucharistiam conſecrarunt; hinc iſtam materiam cum ſua oratione ab Eccleſia Latina per plura ſæcula non fuiſſe adhibitam, neque nunc apud Græcos adhiberi. Gratis igitur eſſentialem manus impoſitionem accipi in ſenſu tam ſtricto, quaſi ſingulis tactu corporali ac phyſico applicari debeat, cum ipſe Gregorius cap. cit. addat: *Suſpenſio autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput effunditur ordinandi*; & concilium Carthaginenſe cap. 3 ita ſtatuat: *Presbyter, cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas ju[illegible] manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.*

Quod ſi cum aliis adhuc contendas tam ſe- 641
cundam, quam tertiam manus impoſitionem eſſentialem eſſe. 1. Quia Presbyteris in ordinatione duplex confertur poteſtas, per ſecundam manus impoſitionem in corpus Chriſti verum, per tertiam in corpus Chriſti myſticum, videlicet fideles a peccatis abſolvendi. 2. Quia ipſe Chriſtus has poteſtates Apoſtolis ſuis dedit per diverſas actiones, unam Luc. 22 in ult. cœna, alteram Joan. 20 poſt reſurrectionem. 3. Quia concilium Tridentinum ſeſſ. 23 can. 4 dicit: *Hæc verba: accipe Spiritum ſanctum, non fruſtra in ordinatione ab Epiſcopis dici.* Reſponderi poteſt ad 1 per ſecundam manus impoſitionem cum poteſtate conſecrandi ſimul dari poteſtatem dimittendi

pec-

peccata radicalem, & essentialem, attamen adhuc ligatam, donec ordinati ab Episcopis etiam jurisdictionem accipiant. Ad 2. Eodem modo potestatem Apostolorum in corpus mysticum Christi solum fuisse suspensam, usque dum Joan. 20 a Christo in totum orbem missi sunt. Quodsi Christus has potestates diversis omnino temporibus, & actionibus contulisset, id non deberet necessario fieri ab Ecclesia, sicut non debet necessario adhiberi insufflatio, licet Christus potestatem dimittendi peccata Apostolis dederit insufflando. Ad 3. Tridentinum contra novatores statuit quidem, per ordinationem dari Spiritum sanctum, at nullibi asseruit id fieri per hæc ipsa verba: *Accipe Spiritum sanctum*, quæ solum videntur enunciare, & expressius declarare potestatem jam collatam.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit materia, & forma Episcopatus, & reliquarum ordinationum?

642 Episcopatus in Ecclesia Latina ita confertur. Episcopus consecrator cum duobus aliis assistentibus Episcopis super cervicem, & scapulas ordinandi imponit librum Evangeliorum. Dein ambabus manibus tangunt ipsius caput dicentes: *Accipe Spiritum sanctum*, moxque consecrator ita orat: *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis benedictionis tuæ in eum effunde virtutem per Dominum nostrum &c.* Postea caput electi, & ambas manus inungit chrismate, dat eidem annulum benedictum, librum Evangeliorum de scapulis depositum, ac clausum præbet tangendum, & consecratum ad osculum pacis recipit. Denique finita Missa capiti consecrati eti-

am imponit mitram, & manibus chirothecas, quæ singulæ actiones cum accommodata oratione peraguntur.

In Ecclesia Græca hic ritus servatur 1, consecrandus a tribus Episcopis adducitur ad Episcopum consecratorem, qui manu una cum pallio imposita super caput ordinandi ex charta legit: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum a Deo custoditæ civitatis N, oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus.* 2. Imponit ejus capiti librum Evangeliorum, simulque manum eidem admovent Episcopi assistentes, consecrator vero factis tribus crucibus, manuque imposita rursus orat: *Domine Deus noster &c.* 3. Elevato Evangelii codice, & sanctæ mensæ imposito ordinatum deosculatur, sicut & reliqui Episcopi. 4. Ordinatus pretioso corpori, & sanguini Christi communicat, & communionem etiam Pontifici ordinanti, & reliquis distribuit, in quem ritum omnes passim Orientales consentiunt, & solum in quibusdam ceremoniis accidentalibus discrepant. 643

Dicendum 1. Materia, & forma essentialis Episcopatus consistit in sola impositione manus, & oratione illi adjuncta. Ita Bellarminus, Vasquez, Petrus Sotus &c. Prob. 1 pars ex sacra Scriptura, & traditione Ecclesiæ; nam S. Paulus 1 ad Timoth. 4 v. 14, & 2 ad eundem 2 v. 6 solius impositionis manuum mentionem facit: de hoc solum locuti sunt SS. Patres, nec Episcoporum consecratio a Græcis, & Latinis olim aliter, quam impositio manuum vocata est. Certe non solum Apostoli veros Episcopos ordinarunt, antequam liber Evangeliorum scriptus erat, sed etiam postea adhuc longum tempus effluxit, donec etiam hic ritus adhiberi cœpit; nihil enim de eo occurrit in primorum sæculorum monumentis, imo 644

sæ-

ſæculo VII altum adhuc ſilentium apud Iſidorum Hiſpalenſem, Alcuinus vero lib. 2 de divin. offic. cap. 5 illum vocat novam, & antiquis incognitam ceremoniam. Prob. 2 pars. Act. 16 v. 3 de ordinatione Pauli, & Barnabæ legitur: *Tunc orantes, & jejunantes, imponentesque eis manus dimiſerunt eos*; hinc in ordinatione Epiſcoporum impoſitioni manuum ſemper fuit adjuncta oratio, per quam gratia Spiritus ſancti invocabatur, ut conſtat ex omnibus Euchologiis Græcorum, & Ritualibus Latinorum. Conf. Auctoritate concilii Tridentini, quod ſeſſ. 13 cap. 3 docet, Epiſcopos ordinari per impoſitionem manuum, & ſeſſ. 23 can. 4 anathematizat aſſerentes, *Epiſcopos fruſtra dicere: accipite Spiritum ſanctum*: ergo decernit, Spiritum ſanctum communicari, dum in manus impoſitione conſueta oratio profertur.

645 Dicendum 2. De eſſentia ordinationis Epiſcopi non eſt, ut fiat a tribus Epiſcopis, ſed valide poteſt fieri ab uno. Ita Sylveſter, Paludanus, Antoine contra alios plures. Prob. 1. Quia de neceſſitate eſſentiali trium Epiſcoporum nihil diſerte expreſſum habetur in S. Scriptura, neque veriſimile eſt Apoſtolos, qui, ubicunque verbum Dei diſſeminabant, Epiſcopos ordinare conſueverunt, ſemper duos ſibi adjunxiſſe Epiſcopos ad hanc ceremoniam peragendam, ſed in hiſtoria eccleſiaſtica ſolus Petrus legitur conſecraſſe Clementem Romæ, & ſolus Marcus Anianum Alexandriæ. 2. Quia ex conceſſione ipſorum Pontificum jam plures ab uno Epiſcopo conſecrati ſunt. Sic Gregorius Magnus lib. 12 epiſt. 31 Auguſtino Cantuarienſi indulſit, ut ſolus in Anglia Epiſcopos conſecraret. Idem teſte Præpoſito, & Henriquez Patriarchæ Æthiopiæ conceſſit Gregorius XIII, idque hodiernam in Indiis praxim obtinere aſſerit Fagnanus ad cap. 7 de

temp.

temp. ordinat. 3. Quia omnia reliqua Sacramenta, ac ordinationes ab uno ministro valide confici possunt, & tam in veteri ordine, quam Pontificali Romano unicus Episcopus consecrator, reliqui duo tantum assistentes vocantur.

Dices 1. Manus impositio est signum valde 646
confusum, & generale, nec ad significandam gratiam, & characterem episcopalem satis determinatur per adjuncta verba: ergo ordinatio Episcopi non consistit in sola impositione manuum, & oratione adjuncta. Conf. Traditio instrumentorum præsertim libri Evangeliorum adhibetur ad significandum characterem episcopatus proprium, & manuum impositionem determinat ad esse signi completi: ergo. Resp. Transf. Ant. quoad 1 membrum, Dist. quoad 2. nec satis determinatur per adjuncta verba spectata præcise secundum se, Conc. Ant. spectata cum circumstantiis, in quibus proferuntur, Neg. Ant. & Consf. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Consf. Quamvis traditio signorum adhibeatur ad effectus Sacramenti clarius, & distinctius exprimendos, non tamen illos causat, utpote per ceremoniam, & verba præcedentia jam satis significatos. Quare traditio ejusmodi signorum ad summum est materia accidentalis episcopatus, sicut quæstione præcedente dixi de ordinatione Presbyteri, & Diaconi.

Dices 2. In ordinatione episcopali semper 647
fuerunt adhibiti plures Episcopi, idque a multis conciliis, & summis Pontificibus fuit præscriptum: ergo ex traditione perpetua satis colligitur, quod ad illam sint necessarii. Conf. S. Timotheus fuit consecratus a pluribus Episcopis, ut constat ex 1 ad Timoth. 4 v. cit. Idem de S. Jacobo Hierosolymorum Episcopo refert Clemens Alexandrinus lib. 6 Inst. Resp. Transf. Ant. Dist. Consf. quod plures sint necessarii necessitate præcepti ecclesiastici, Conc. Consf. necessitate

 piæ-

præcepti divini, vel Sacramenti, Neg. Conf. Alias Ecclesia nunquam potuisset permittere, ut consecratio Episcopi ab unico perficeretur. Porro ex historia ecclesiastica satis constat, decreta conciliorum, & Pontificum non inferre præceptum divinum, sed hæc decreta solum pertinere ad disciplinam ecclesiasticam. Ad Conf. eadem est responsio; nam etiam Apostoli tanquam Ecclesiæ Præsules varias ceremonias in Sacramentorum administratione instituerunt, ut majore cum solemnitate, & dignitate perficerentur.

648 Dices 3. S. Cyprianus epist 68 docet: *Ex divina, & apostolica traditione haberi, ut ad ordinandos Episcopos plures Episcopi convocentur*: ergo. Conf. concilium Regense can. 2 ait: *per ordinationem ab unico Episcopo factam nihil dari, quod Episcopum faceret*; & Damasus Papa epist. 5: *Ita ordinatos non esse Episcopos*; Similia habent Clemens Romanus lib. 3 cap. 12, Anicetus epist. ad Episcopos Galliæ, Joannes III ad Episcopos Germaniæ. Resp. Conc. Ant. Neg Conf. SS. Patres non raro dicunt, ea ex traditione divina, & apostolica observanda esse, quæ ex Apostolorum institutione, & recepto Ecclesiæ more fieri oportet, ut quando S. Cyprianus epist. ad Cæcilium scripsit, Evcharistiam ex institutione, & traditione Christi sub utraque specie sumendam esse. Ad Conf. aliunde constat, juxta modum loquendi in Ecclesia nullam dici ordinationem, quæ potestate jurisdictionis, & legitimo ordinis usu caret, qualis est omnis illa, quæ contra canones ecclesiasticos attentatur. Adde, quod citatæ epistolæ Damasi, Clementis, Aniceti, & Joannis III ab eruditis spuriæ censeantur.

649 Quod jam ad materiam, & formam reliquorum ordinum spectat, quamvis subdiaconatus a Græcis sola manus impositione conferatur, de fa-

facto tamen plerique ex decreto concilii Florentini ad Armenos docent, in Ecclesia Latina in ordinatione Subdiaconi materiam præcipue consistere partim in traditione calicis vacui cum patena vacua superposita, partim in traditione libri epistolarum; formam vero in verbis, cum quibus hæc instrumenta traduntur. Neque obstat, quod antiquitus Subdiaconi in publicis Ecclesiæ conventibus non videantur ex officio epistolam legisse; cum enim ex dictis subdiaconatus non sit proprie Sacramentum, sed ordo ab Ecclesia institutus, potuit hæc varios subinde ritus addere, detrahere, vel mutare, omnesque servandi sunt, quos præscribit; hinc dixi porrectionem istorum instrumentorum esse materiam saltem principalem. Similiter in ordinibus minoribus præcipua materia est traditio instrumentorum, forma autem sunt verba, quibus significatur traditio potestatis cuilibet ordini correspondentis; hinc concilium Florentinum postquam dixit materiam ordinis esse illud, per cujus traditionem confertur, & pro forma Sacerdotii assignavit verba, quæ profert Episcopus in traditione calicis, & patenæ, subjungit: *Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*

QUÆSTIO V.

Quis sit minister SS. Ordinum?

DIcendum 1. Minister ordinarius omnium ordinum est solus Episcopus consecratus. Ita 650
contra Aerium, Wicleffum, aliosque sectatores definitum est a concilio Tridentino sess. 23 can. 7: *Si quis dixerit Episcopos non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.*

Nam S. Scriptura ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis jus, & auctoritatem miniſtros Eccleſiæ ordinandi tribuit. Sic act. 6 v. 6 Apoſtoli ordinarunt ſeptem primos Diaconos. Act. 14 v. 22 Paulus, & Barnabas conſtituerunt per ſingulas Eccleſias Presbyteros. S. Paulus Timotheum creavit Epiſcopum, ut ipſemet teſtatur 2 ad Timoth. 1 & cap. 3 & 5 eidem declarat, quosnam Epiſcopos, & Presbyteros ordinare debeat. Conſentit perpetua univerſæ Eccleſiæ praxis, ac traditio. Hinc Synodus Alexandrina anno 319 probat Iſchyram Athanaſii accuſatorem verum Presbyterum non fuiſſe, quia a Colluto ſimplici tantum Sacerdote ordinatus fuit. S. Hieronymus dialog. adverſ. Lucifer. oſtendit, cum Hilario totam illorum ſectam periiſſe, quia cum tantum fuerit Diaconus, nullum miniſtrum ordinare potuit, & in epiſt. 91 ad Evag. inquit: *Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non facit.*

651 Dicendum 2. Nihilominus ex conceſſione Pontificis ſimplex Sacerdos poteſt eſſe miniſter extraordinarius Subdiaconatus, ac Ordinum Minorum; neque enim iſti ordines habent immediatam relationem ad corpus, & ſanguinem Chriſti, nec poteſtatem ad regendum populum conferunt, ſed ſolum ad inſerviendum Miſſæ Sacrificio deſtinant, quod etiam non ordinatis convenire poteſt, ideo Eccleſia jam ſæpius Presbyteris facultatem hos ordines conferendi indulſit. Sic ex Gelaſio I epiſt. 9, & concilio Meldenſi can. 44 diſcimus, Corepiſcopos, qui in Eccleſia Occidentali erant ſimplices Sacerdotes, ex conceſſione Pontificis habuiſſe poteſtatem concedendi Subdiaconatum. Cardinales ex conſuetudine veteri per Pontifices approbata dicuntur habere privilegium in propriis Eccleſiis conferendi ordines minores.

Si-

Simile respectu suorum subditorum privilegium habetur pro Abbatibus expressum in jure, idque manifeste supponit concilium Tridentinum sess. 23 cap. 10, ubi ait: *Abbatibus, & aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.*

Quod dixi de subdiaconatu, multi extendunt 652
etiam ad diaconatum, eoquod Innocentius VIII anno 1489 Abbatibus Cistercienfibus concesserit facultatem Monachis sui ordinis conferendi subdiaconatum, & diaconatum, ne forte extra claustrum hinc inde discurrere cogantur. Verum fidem hujus Bullæ multis labefactare conatur Tournelyus de Sacrament. Ordinis q. 4 art. 2. Certe facultatem ordinandi Episcopum, aut Presbyterum Ecclesia nullibi legitur dedisse simplici Sacerdoti, quia videlicet ex Scriptura, & traditione colligitur, hanc potestatem jure divino ad solos Episcopos pertinere: neque credibile est, quod Ecclesia, si a Christo dispensandi facultatem accepisset, nunquam concessisset, ut Presbyteri alios Presbyteros, aut Episcopos ordinarent, etsi non raro variæ necessitates id exegissent. Hinc juxta communem Doctorum sententiam, simplici Sacerdoti tam parum potest dari potestas creandi alios Presbyteros, quam Diaconis, & Subdiaconis potestas consecrandi Eucharistiam, & absolvendi a peccatis.

Hactenus dicta de valore ordinationis intel- 653
ligenda sunt; ad licentiam ulterius requiritur 1, Ut Episcopus ordines conferens non sit excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus, schismaticus, hæreticus, nec peccati mortalis sibi conscius. 2. Ut sit Episcopus proprius, cujus jurisdictioni ordinandus sit subjectus, vel ratione originis, vel ratione domicilii, aut saltem ratione beneficii, quod in illa diœcesi eidem jam antea in-

titulum fuit collatum, & possidere cœpit. Vel 3 ut saltem Episcopus proprius in ordinationem sui subditi ab alio Episcopo faciendam consentiat; alias juxta can. 1 caus. 9 q. 2, ordinatio nullas haberet vires, nempe quoad executionem suscepti Ordinis. Quamvis autem per se loquendo sufficeret consensus a proprio Episcopo datus viva voce, ordinarie tamen concedi solet in scriptis, seu per litteras, quas vocant Dimissorias, vel Reverendas, ut pluribus explicant Canonistæ. Quod si aliqui haberent speciale privilegium recipiendi ordines a quocunque Episcopo catholico, uti Alumni pontificii per Germaniam, specialis licentia proprii Episcopi non amplius requireretur.

654 Dices 1. In primitiva Ecclesia populus habuit jus suffragii in ordinatione ministrorum, ut colligitur ex actis Apostolorum cap. 6 v. 3, & ex S. Cypriano epist. 33, & 68: ergo potestas ordinandi non pertinet ad solos Episcopos. Conf. Aaron fuit ordinatus Sacerdos a Moyse; atqui Moyses non fuit Sacerdos, cum Sacerdotium ad solum Aaronem, ejusque filios pertinuerit. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf Licet Ecclesia populo potuerit aliquando concedere jus suffragii in religendis iis, qui ordinandi viderentur, sicut de facto multis laicis permittit jus nominandi ad beneficia; nunquam tamen populo concedere potuit, aut concessit jus ipsius ordinationis, quod necessario in ordine, & charactere episcopali fundatur. Ad Conf. Imprimis Deus multa specialiter concessit Moysi, quæ ideo aliis in novo testamento non conveniunt. Dein etsi sacerdotium legale Dei ad Aaronem, ejusque filios pertinuerit, nihilominus S. Leo epist. 88 censet, etiam Moysem Sacerdotem fuisse, idque probat ex Psalm. 98 v. 6: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.*

Di-

Dices 2. Concilium Antiochenum can. 10, 655
& Ancyranum can. 13 vetant Chorepiſcopis ordinare Presbyteros, & Diaconos ſine licentia Epiſcoporum, quibus Chorepiſcopi ſubjecti erant, & S. Leo epiſt. 92 ait ordinationes a Pſeudo-Epiſcopis collatas poſſe ratas haberi, ſi cum conſenſu, & judicio præſidentium factæ fuerint. Conf. Ex hiſtoria eccleſiaſtica, in qua ſæpius Epiſcopi a Presbyteris ordinati leguntur. Reſp. Concilium Antiochenum, & Ancyranum loqui de Chorepiſcopis, qui epiſcopalem ordinationem acceperant, cujusmodi non pauci in Eccleſia Orientali fuerunt, quia autem fuerant ordinati ſine attributa ipſis propria diœceſi, in diœceſi aliena munere Chorepiſcopi fungebantur. Pariter S. Leo Pſeudo-Epiſcopos vocat illos, qui vere quidem, ſed illegitime, & contra canones epiſcopalem ordinationem acceperant. Ad Conf. dico, hiſtorias illas, præſertim quæ a Blondello objiciuntur, aut non bona fide referri, aut ad ſummum probare, quod Presbyteri, & fideles Epiſcopos ordinandos elegerint, & poſtea Epiſcopis ad impertiendam ipſis ordinationem obtulerint, ut videre eſt apud Tournel. loc. cit.

Dices 3. Concilium Florentinum in decreto 656
ad Armen. ait, Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium: ergo ſimplex Sacerdos poteſt eſſe miniſter extraordinarius presbyterii, non minus quam confirmationis; nam concilium Florentinum de utroque eodem modo loquitur. Conf. Tridentinum ſeſſ. 23 can. 7 definit tam poteſtatem ordinandi, quam confirmandi eſſe Epiſcoporum propriam, nec Presbyteris communem: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Cum Florentinum in hoc decreto loquatur de omnibus ordinibus, ideo ſolum Epiſcopum vocat miniſtrum ordinarium, quia non ignoravit ex conceſſione

 ſum-

summi Pontificis ordines minores, & subdiaconatum extraordinarie a simplici Sacerdote conferri posse. Idem haud obscure asserit de confirmatione, non item de ordinatione Presbyterorum. Ad Conf. eadem est responsio, nam etsi Tridentinum potestatem ordinandi, & confirmandi conjungat, non ideo censet, utriusque esse eandem rationem; sed sess. 7 can. 3 expresse definit, simplicem Sacerdotem non esse confirmationis ministrum ordinarium, sess. 23 vero potestatem ordinandi simpliciter solis Episcopis tribuit.

657 Quæres. Quisnam sit minister primæ tonsuræ? Resp. Quamvis primam tonsuram inter ipsos ordines non numeremus, nihilominus solus Episcopus est illius minister ordinarius; nam vulgo communi ordinationis nomine comprehenditur, ejusque ritus in Pontificali Romano accurate describitur; atqui concilium Tridentinum sess. 23 de reformat. cap. 8 generatim ait: *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur.* Quo tamen non obstante simplices Presbyteri possunt esse illius ministri extraordinarii, ut colligitur ex iis, quæ de ordinibus minoribus, & subdiaconatu dicta sunt. Porro prima tonsura insigniti solent vocari clerici a voce Græca γληρος, quæ sortem, sive hæreditatem significat, ut intelligant, contemptis omnibus rebus temporalibus nullam sibi præter Deum ambiendam hæreditatem, non quasi omnis possessio temporalium bonorum ipsis interdicatur, sed quatenus divinum servitium, cui se consecrant, omnibus curis sæcularibus debent anteponere, totamque spem, & amorem suum in solo Deo defigere.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quodnam sit subjectum SS. Ordinum?

DIcendum 1. Subjectum ordinationis validæ est omnis viator baptizatus, ac masculus. 658
Pars 1 & 2 patet, quia Sacramenta a Christo fuerunt instituta pro solis viatoribus, qui per Baptismum Ecclesiam ingressi sunt, ut colligitur ex concilio Nicæno 1 can. 19, Florentino in decreto ad Armen. & cap. veniens de Presbytero non baptizato. Pars 3 est apud Auctores longe communior contra Durandum, aliosque, qui excludunt infantes, & pueros ante usum rationis; sed assertio nostra deducitur ex cap. unico de Clerico per saltum promoto, & quia infantes per intentionem ipsius Christi, & Ecclesiæ fiunt capaces Sacramentorum, quæ non involvunt conditionem suo statui repugnantem; atqui Sacramentum Ordinis non involvit conditionem statui infantili repugnantem; quamvis enim infans nondum possit exercere actum ordinis, potest nihilominus habere potestatem ad illum exercendum, cum potentia ad actum ipsum actum præcedat, & actus primus sine actu secundo possit consistere.

Colliges. Ordinationis validæ capaces esse 659
cæcos, surdos, mutos, pedibus truncatos &c. aliosque, etsi jure naturali, & perpetuo ad exercitium ordinis inhabiles sint. 2. Sceleratos, hæreticos, indoctos; nam valor Sacramentorum non dependet a probitate, & doctrina ministri, aut suscipientis. 3. Perpetuo amentes. Si autem aliquando usum rationis jam habuerunt, aut tantum per intervalla amentes sunt, requiritur, ut antea ordinari voluerint, aut petierint, alias conferentur habitualiter inviti. 4. Idem est

de dormientibus, & ebriis. Imo licet antea ordines petiissent, probabilins adhuc ordinarentur invalide, nisi expresse suam intentionem ad statum amentiæ, somni, & ebrietatis extenderint, quia alias censentur ordines non aliter voluisse suscipere, quam more christiano, quo Ecclesia catholica conferre solet. 5. Multo minus valide ordinari possunt omnino, & plane inviti, quales tamen non censentur illi, qui præcise ex humilitate, aut reverentia sacros ordines refugiunt, sed qui nec precibus, nec minis adduci possunt, ut in illos consentiant, aut omnino inscii, aut ignari sunt, qualis ritus cum ipsis celebretur.

660 Dicendum 2. Fœminæ non solum jure ecclesiastico, sed etiam divino sacrorum ordinum præsertim majorum incapaces sunt. Ita omnes Catholici contra quosdam hæreticos antiquos, quorum meminit S. Irenæus adversus hæres. cap. 9, S. Epiphanius hæresi 49, & S. Augustinus lib. de hæres. cap. 27. Item contra sectarios modernos, qui antiquum errorem rursus renovasse videntur. Probatur 1 auctoritate Scripturæ, in qua mulieres sæpius a ministeriis ecclesiasticis removentur, uti 1 ad Cor. 14 v. 34, & 1 ad Timoth. 2. v. 11, ubi nequidem in Ecclesia loqui permittuntur: ergo multo minus agere ministrum publicum ab Ecclesia constitutum. 2. Ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam mulierem ad ordinem clericalem promovit, sed qui illud attentare ausi sunt, ut hæretici fuerunt condemnati, ut patet ex SS. Patribus supra citatis. 3. Ex ratione, quam indicat ipse Apostolus 1 ad Cor. 14, quia videlicet mulieres debent esse subditæ viris, neutiquam vero illis dominari: ergo subjectioni mulierum non satis congruit ordo ecclesiasticus, per quem ordinati inter fideles constituuntur in gradu excellentiori, & quoddam dominii genus acquirunt.

Di-

Dices 1. Ad valorem ordinationis in ordi- 661
nando requiritur intentio, & acceptatio, ut colligitur ex illis verbis: *Accipe potestatem &c.* ergo infantes non sunt capaces ordinationis. Conf. Ex una parte ordinibus annexæ sunt graves obligationes, ex altera parte si infantes rationis incapaces ordinarentur, inde suo tempore posset oriri ecclesiasticæ disciplinæ confusio, ac perturbatio: ergo Christus, & Ecclesia nolunt, imo prohibent illos ordinari. Resp. Dist. Ant. requiritur intentio, & acceptatio in adultis, Conc. Ant. in infantibus, aliisque ratione hic, & nunc privatis, Neg. Ant. contrarium desumitur ex paritate cum Baptismo, Confirmatione &c. Neque verba: *Accipe potestatem &c.* proferuntur per modum alicujus donationis, vel contractus, sed per modum efficacis declarationis, & operationis in hoc sensu: Confero tibi: Habeas potestatem. Ad Conf. Quamvis istæ rationes probent, ordinationem parvulorum esse illicitam, quia tamen Sacramenta in se sunt magnum beneficium, & gratiam ex opere operato causant, neque ordo ipsi statui infantili repugnat, non videtur, quod Deus, aut Ecclesia ordinationem parvulorum omnino tanquam invalidam rejiciant.

Dices 2. Mulieres sunt capaces jurisdictio- 662
nis ecclesiasticæ; nam cap. Dilecta de Majorit. dicitur, quod Abbatissa canonicos suos, & clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientiam, & culpas officio, beneficioque suspendat. Conf. Tam in veteri, quam in novo testamento quædam mulieres leguntur habuisse donum Prophetiæ. Resp. Neg. Ant. In capitulo dilecta non agitur de suspensione proprie dicta, cujus violatione contrahitur irregularitas, nec de jurisdictione ecclesiastica, sed per suspensionem præcise intelligitur prohibitio, & per jurisdictionem potestas præcipiendi: hinc Honorius

III

III Abbati cuidam ibi mandat, ut canonicos, & clericos illi Abbatiſſæ ſubjectos ad reverentiam, & obedientiam debitam cenſura eccleſiaſtica compellat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Prophetia eſt ex gratiis gratis datis, in quibus Deus non ſervat ordinem naturæ ſicut in eccleſiaſtico regimine, quod licet ſupernaturale ſit, voluit nihilominus, ut ab illo excluderetur ſexus, qui non ad imperium, ſed ſubjectionem deſtinatus eſt.

663 Dices 3. In antiquis Canonibus mulieres vocantur Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconæ: ergo. Conf. In Eccleſia multis ſæculis fuerunt Diaconiſſæ, quæ ad varia pia officia conſecrabantur, & ad ordinem eccleſiaſticum pertinebant, ut teſtatur S. Epiphanius hæreſ. 79. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Mulieres in antiquis Canonibus non vocantur Epiſcopæ, Presbyteræ, aut Diaconæ ratione alicujus ordinis ſacri, ſed quia earum mariti ad epiſcopatum, presbyteratum, vel diaconatum promoti fuerant. Ad Conf. in Eccleſia Latina Diaconiſſæ nunquam in ordine eccleſiaſtico numerati ſunt: in Græca per ſpecialem quidem benedictionem, quæ ritum ordinis referebat, ad pia quædam officia deputabantur, quæ tamen nec ad ſacerdotii functionem, nec ad altaris miniſterium ſpectabant, ut ipſe S. Epiphanius advertit, ſed illarum officium fuit aſſiſtere inſtructioni, & Baptiſmo mulierum, vel etiam privatim eas docere; Item præeſſe januis, per quas mulieres ingrediebantur, comitari illas, quæ Epiſcopum, vel Presbyterum adibant, gerere curam pauperum, viduarum &c.

664 Quæres. Quænam in ordinando requirantur ad ordinem licite ſuſcipiendum. Reſp. potiſſimum iſta 1, ut ſit capax rationis, confirmatus, & habeat animum clericandi. 2. Ut ſit bo-

næ

næ vitæ, & exiſtimationis publicæ, atque immunis ab omni irregularitate. 3. Ut ſit cælebs, eaque doctrina inſtructus, quam ſeſſ. 23 in decreto de Reformatione requirit Tridentinum; litterarum enim plane ignari, & conjugati ſine uxoris licentia, vel juſto divortio ne quidem ad primam tonſuram admittendi ſunt. 4. Ut habeat ætatem canonicam, videlicet pro prima tonſura annos diſcretionis, & ſeptennium ſaltem completum, pro ſubdiaconatu annos 22, pro diaconatu 23, pro presbyteratu 25, pro epiſcopatu 30; excepto tamen epiſcopatu ſufficit, ſi anni enumerati jam ſint inchoati; pro minoribus vero ætas certa non videtur determinata. 5. Ut ordines ſuſcipiat debito loco, & tempore, ordinate, & ſine ſaltu ab inferioribus aſcendendo ad ſuperiores, ſervatis præſcriptis interſtitiis, niſi in illis legitime fuerit diſpenſatum. 6. Ut ad ſuſcipiendos ordines majores habeat legitimum titulum menſæ, ſeu cautionem, qua ordinando de ſufficiente, eaque perpetua ſuſtentatione ſit proviſum, ne in opprobrium ſtatus clericalis mendicare, aut ſordidum quæſtum exercere cogatur, quæ omnia fuſe, ac paſſim explicantur in theologia morali.

QUÆSTIO VII.

An, & a quo tempore ſacris ordinibus annexa ſit obligatio continentiæ?

Dicendum 1. Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi in Eccleſia Latina ſemper fuerunt adſtricti ad ſervandam continentiam. Concluſio inter Catholicos eſt communiſſima contra Wicleffum, Calvinum, Lutherum &c. docentes, iniquum eſſe Clericos privare libertate ducendi uxores, jure naturali, & divino ipſis permiſſas, imo ut 665

Lu-

Lutherus addit, omnes homines ad matrimonium obligari, nisi exceptionem probare possint. Prob. Conclusio 1. Ex una parte continentia in ipsa Scriptura summopere commendatur; nam Matth. 19 v. 12 Regnum cælorum promittitur iis, qui propter illud seipsos castraverunt, & 1 ad Cor. 7 v. 8 Apostolus ait, Bonum esse, non nuptis, si permanserint sicut & ipse: ex altera parte Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ad continentiam obligatos fuisse passim testantur SS. Patres, summique Pontifices Siricius epist. ad Himer. Tarracon. cap. 1, Innocentius I epist. 3 ad Exuper. Tolosan. cap. 1 Leo epist. 2 ad Rustic. Narbonensem, Origenes Homil. 23, Cyrillus Hierosolymit., catechef. 12, Hieronymus epist. 3 advers. Jovinian. can. 12, ubi ait: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut Vidui, aut certe post sacerdotium æterne pudici:* ergo obligatio, qua Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ad continentiam adstringuntur, in Ecclesia semper viguit, & ab ipsis Apostolis jam fuit derivata.

666 Probatur 2 ex concilio Nicæno 1 can. 3, ubi statuit: *Ne Clericus in domo mulierem habeat præter matrem, sororem, amitam, materteram*; ex Carthaginensi 2 can. 2, ubi tractans de continentia, & castitate ait: *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos placuit continentes esse in omnibus, ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Similia habent Lateranense I sub Calixto II can. 3, Lateranense II sub Innocentio II can. 6, Lateranense III sub Alexandro III can. 11, Tridentinum sess. 24 anathema dicit asserenti: *Clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto.* Consentit perpetua praxis omnium Ecclesiarum in Occidente illustrium, ut ex de-

decretis conciliorum particularium ostendit Tournelyus de Sacrament. ord. q. ult. a. 2. Sane non solum Christus perpetuo virginitatem coluit, sed etiam Apostoli, ex quo a Christo vocati fuerunt, uxores reliquerunt, & Apostolorum exempla in servando cælibatu secuti sunt cæteri viri Apostolici innumeri: ergo.

In Ecclesia Græca tamen circa cælibatum 667
Clericorum non semper eadem fuit disciplina; nam 1 Episcopis quidem nunquam licuit, nec hodie licet uti matrimonio ante ordinationem contracto, multo minus matrimonium contrahere post ordinationem, ut præter SS. Patres testantur concilium Neocæsariense can. 1, Trullanum can. 17, & perpetua praxis. 2. Idem primis 6 sæculis circa Presbyteros, & Diaconos observatum fuisse, probat Patrum testimoniis Eminentissimus Gotti quæst. 4 dub. 2 §. 2. Hinc quando in concilio Ancyran. can. 9 anno 314 Diaconis videtur data potestas ducendi uxorem, si ante ordinationem contestati fuissent, se velle conjugio copulari, vel tantum sermo est de iis, qui inviti, ac reluctantes ordinati fuerunt, vel cum nonnullis fuit dispensatum propter penuriam ministrorum. 3. Sæculo 7 a concilio Constantinopolitano, quod anno 692 celebratum fuit, & Quinisextum dicitur, can. 12 omnibus Clericis exceptis Episcopis concessa fuit facultas utendi matrimonio ante susceptos ordines majores contracto, ita tamen, ut nec mortua prima uxore ad secundas nuptias transire, nec post ordinationem unquam ipsis matrimonium inire licuerit.

Quin neque in Ecclesia Latina Subdiaconi 668
semper eadem continentiæ lege tenebantur; licet enim concilium Eliberitanum anno 305 can. 33, & Gerundense anno 517 de ipsis haud aliter, quam cæteris Clericis majoribus loquatur, tamen

men Siricius Papa, & Innocentius I in ſuis decretalibus Subdiaconos non nominant, & concilium Carthaginenſe V anno 398, poſtquam capite 3 ſtatuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus omnino ſe contineant, addit, cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuscujusque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere. Ex quibus vides, ſubdiaconatum non ſemper fuiſſe recenſitum inter ordines majores. Multo minus cæteri Clerici minores univerſim ad perpetuam continentiam obligati fuerunt. Quis autem Subdiaconis primus hanc obligationem impoſuerit, non ſatis conſtat; aliqui id tribuunt S. Leoni I, & Gregorio Magno, ſed eorum decreta nondum accurate, ac ubique fuiſſe obſervata, pluribus contendit Tournelyus loco ſupra citato. Unde hæc lex in tota Eccleſia Latina primum obtinuiſſe videtur poſt annum 1089, quo ſtatuta fuit in concilio Milevitano can. 12 ſub Urbano II, cujus exemplum anno 1095 ſecutum eſt concilium Claromontanum, & anno 1148 Rhemenſe.

Objectiones.

669 OBj. 1. Matrimonium non ſolum eſt de jure naturæ, ſed etiam de jure divino poſitivo: *Creſcite, & multiplicamini*, Geneſ. 1 v. 28; hinc Chriſtus Matth. 19 v. 6 dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: ergo continentia Clericis non eſt præcepta. Conf. S. Paulus ad Hebr. 13 v. 14 ait: *Honorabile eſſe connubium in omnibus*; & 1 ad Timoth. 4 v. 2: *eſſe Spiritum erroris, & doctrinam dæmoniorum nuptias prohibere.* Reſp. Diſt. Ant. Matrimonium eſt de jure naturæ, & divino poſitivo permiſſivo, Conc. Ant. præceptivo, Subdiſt. toti generi humano in genere, Tranſ. Ant. cuilibet homini in ſpecie, Neg.

Neg. Ant. & Conf. Quamvis nemo invitus ad continentiam cogendus fit, fi tamen libere amplectatur talem ftatum, cui continentia fapienter fuit annexa, ad illam fervandam tenetur, ut exemplo militum patet. Quare Chriftus apud Matthæum folum docet, conjugale vinculum legitime contractum ab homine non debere diffolvi; verba autem *Crefcite, & multiplicamini*, etiam ad pifces, & aves dicta funt. Ad Conf. Juxta S. Paulum connubium eft quidem honorabile in omnibus, in quibus nullum datur impedimentum, idque ex omni parte, five fpectetur ratio Sacramenti, five generatio prolis, five alii ipfius fines, & ideo doctrinam dæmoniorum appellat, quæ abfolute ad cælibatum obligat omnes etiam non libere volentes, quod neutiquam facit Ecclefia Romana.

Dices 1. Apoftolus 1 ad Timoth. 3 v. 2, & 670
ad Tit. 1 v. 6 inter dotes Epifcopi expreffe defiderat, ut fit *Unius uxoris vir, filios habens fubditos cum omni caftitate, qui domui fuæ bene præeffe noverit*. Conf. 1 ad Cor. 7 v. 1 generaliter præcipit: *Propter fornicationem autem unusquisque fuam uxorem habeat*; & v. 9: *Si fe non continеant, nubant, melius enim eft nubere, quam uri.* Refp. Conc. Ant. Neg. Conf. Cum neque S. Paulus, neque Titus, aut Timotheus uxorem habuerint, conftat Epifcopis his textibus id neutiquam fuiffe præceptum, fed folum, ut non eligatur uxoratus, nifi talis, qui nec fimul, nec fucceffive plures habuit uxores, quam unam, a qua tamen fufceptis facris ordinibus debuit feparari, ut in hunc locum notat S. Chryfoftomus. Ad Conf. Quia S. Paulus in hoc capite ipfemet continentiam fuadet, & 1 ad Timoth. 5 expreffe damnat viduas, qui poft promiffam Deo continentiam rurfus nubere volunt, matrimonium ejusque ufum tantum confulit illis, qui nullo im-

pedimento sunt ligati, & alias difficulter se continere possunt, ut cum aliis interpretatur S. Epiphanius hæresi 61, S. Augustinus lib. de bono viduit. cap. 8, S. Hieronymus lib. 1 contra Jovinian. cap. 6, 7 & 8.

671 Dices 2. Ipse Apostolus 1 ad Cor. 9 v. 5 testatur, se habuisse potestatem ducendi uxorem; *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini?* ergo. Conf. Sacerdotes antiquæ legis potuerunt inire matrimonium, eoque uti: ergo a pari. Resp. Neg. Ant. Apostoli, ex quibus solus Petrus conjugatus fuisse legitur, & Evangelistæ non circumduxerunt uxores, sed pias fœminas, quasi famulas ad ministerium, & victum parandum: multo minus suis uxoribus usi sunt, sed illas ad summum habuerunt, ut sorores, quemadmodum indicant ipsa verba: *Mulierem sororem.* Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Etiam Sacerdotes veteris legis debebant ab uxoribus suis abstinere tempore vicis suæ, seu quando accedebant ad ministerium altaris, quod raro fiebat. At in lege nova Sacerdotes vere semper, ac quotidie sacra tractare debent, cumque ista sint longe præstantiora, quam sacrificia legis antiquæ, mirum non est, quod ad majorem perfectionem adstringantur; alias adhuc possent nubere post ordinationem, aut omnino ducere plures uxores, sicut id potuerunt Sacerdotes in antiqua lege.

672 Obj. 2. Ante sæculum IV nullum legitur decretum de continentia Clericorum, neque de hac re mentionem faciunt Scriptores sæculi II, Justinus, Athenagoras, Tatianus &c., licet sæpe causam, & occasionem habuissent, eoquod Christiani fuerint accusati, quasi noctu convenientes eversis lucernis promiscue congrediantur: ergo. Conf. Teste Tournelyo inter ipsos Catholicos

licos est controversum, an primis sæculis fuerit data lex universalis, qua sacri ministri ab uxoribus ante ordinationem ductis abstinere jubebantur. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Quoniam ex auctoritate Patrum, & conciliorum discimus, legem hanc ab antiquissimis temporibus exstitisse, valet hic illud S. Augustini: Quod universa Ecclesia semper tenuit, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum recte creditur, idque expresse affirmat concilium Carthaginense III, S. Epiphanius, & Hieronymus inferius citandi. Neque omnes cujuslibet sæculi Scriptores omnia annotant, & calumnia Christianis impacta sufficienter refutari potuit exponendo castos, & pudicos illorum mores, quin opus fuerit sacrorum ministrorum abstinentiam ab uxoribus paganis venditare. Ad Conf. Tournelyo se opponunt Bellarminus, Arcudius, Thomassinus, & fere omnes Theologi; quin ipse Tournelyus quæst. ult. de Sacram. Ord. a. 3 fatetur, veteribus persuasum fuisse, quod lex continentiæ fuerit derivata ab ipsis Apostolis, quamvis non sit divina.

Dices 1. Quando concilium Nicænum voluit legem condere, ne Episcopis, Presbyteris, & Diaconis liceret uti matrimonio ante ordinationem jam contracto, vehementer se opposuit Paphnutius dicens, satis esse, ut in Clerum adscripti, antequam uxorem duxissent, secundum veterem Ecclesiæ traditionem deinceps a nuptiis abstinerent: Synodusque ipsi assensit, cuique potestatem permittens pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi, uti narrant Socrates lib. 1 Histor. cap. 11, & Sozomenus lib. 1 cap. 23. Conf. Concilium Gangrense circa annum Christi 324 can. 4 statuit: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, & ab ejus oblati-* 673

one ideo se abstinet, anathema sit. Resp. Historia hæc probabilius est conficta, nec enim de illa mentio fit in actis concilii Nicæni, nec illius meminerunt Scriptores Socrate antiquiores. & paulo post contrarium expresse statutum legitur in concilio Carthaginensi II teste S. Epiphanio hæresi 59, S. Hieronymo contra Vigilantium, S. Ambrosio lib 1 de offic. cap. ult. Certe narratio hæc parum favet hæreticis, qui contra veterem Ecclesiæ traditionem suis pastoribus etiam post ordinationem nuptias indulgent. Ad Conf. Concilium Gangrense agit contra Eustatianos, qui nuptias vituperabant ut malas ex natura sua, & ideo sacrificiis eorum, qui aliquando conjugati fuerant, interesse nolebant.

674 Dices 2. In historia ecclesiastica de multis Episcopis, & Presbyteris legitur, quod habuerint non solum uxores, sed etiam liberos: ergo. Conf. Clemens Alexandrinus lib. 3 Stromatum scribit: *Quia, & unius quoque uxoris virum utique admittit* (Apostolus) *seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laicus utens matrimonio sine reprehensione: servabitur autem per filiorum procreationem*; & S. Dionysius Pynitum Gnosticorum Episcopum hortatur, *Ne perpetuæ continentiæ legem, ac necessitatem suis fratribus imponat*, uti videre est apud Eusebium lib. 4 cap. 23. Resp. Dist. Ant. Quod habuerint uxores, quas duxerunt, & filios, quos generarunt post susceptionem ordinum majorum, Neg. Ant. aliter, Conc. Ant. & Neg. Conf. Exempla veterum, quæ a sectariis congeri solent, nihil ipsos juvant; ex nullo enim probatur, quod Episcopi, aut Presbyteri primum post ordinationem matrimonium contraxerint, aut eodem adhuc fuerint usi. Ad Conf. S. Clemens solum docet, quod per se loquendo cuilibet liceat habere uxorem, sed quod ea-

eadem ubi debeat ſine reprehenſione, id eſt, ſine transgreſſione legis, cum itaque ex traditione conſtet, Epiſcopis, & Presbyteris poſt ordinationem contractum, & uſum matrimonii prohibitum fuiſſe, neque hoc S. Dionyſio fuerit ignotum, Pynitum ſolum hortatur, ne perpetuæ continentiæ neceſſitatem imponat fratribus promiſcue, prout etiam ad illos revocari poſſunt Lectores, Pſalmiſtæ, Foſſarii, aliique ad varia Eccleſiæ officia olim deſtinati.

QUÆSTIO VIII.

Quo jure obligatio continentiæ SS. Ordinibus fuerit annexa?

DIcendum 1. Obligatio continentiæ SS. Ordinibus non eſt annexa jure naturali, aut divino, ſed mere eccleſiaſtico. Ita contra Major. 675
Turrian, aliosque paucos communis cum S. Thoma 2 2 q. 88. Prob. 1 negative, quia neque ex ratione, neque ex Scriptura, neque ex traditione tale præceptum naturale, aut divinum oſtendi poteſt. 2. Quia Eccleſia in hac obligatione ſæpius diſpenſavit. Sic in concilio Ancyrano diſpenſatum eſt, ut adverti num. 667, ſic S. Gregorius lib. 1 epiſt. 42 permiſit Subdiaconis, ut uxoribus ante ordinationem ductis utantur, licet ſimul prohibeat deinceps tales ordinari; niſi continentiam promiſerint. Idem Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis can. 12 conceſſit concilium Trullanum, qua facultate licet Græci in hodiernum diem utantur, ideo Eccleſia Latina nunquam ipſis violationem juris naturalis, aut divini exprobravit, aut contrariam legem impoſuit. Hinc concilium Tridentinum ſeſſ. 24 can. 9 ſolum anathematizat illos, qui aſſerunt, ordinibus majoribus initiatos poſſe matrimonium

valide contrahere *Non obstante lege ecclesiastica, vel voto.*

676 Dicendum 2. Ecclesia Latina prudentissimas, & æquissimas habuit rationes, ob quas obligationem cælibatus, & continentiæ ordinibus majoribus annecteret. Conclusio est contra novatores citatos num. 665; tales autem rationes præter exemplum Christi, atque primorum Ecclesiæ ministrorum sunt 1. Quia ministeria, ad quæ Clerici per majores ordines deputantur, sunt sanctissima, ac purissima; ergo non nisi ab illis peragi debent, qui genus vitæ purissimum, ac mundissimum profitentur. 2. Quia numerus & magnitudo officiorum spiritualium, quæ ab ipsis pertractanda sunt, est tantus, ac talis, ut animum ab omnibus curis sæcularibus liberum postulent; atqui inter temporales curas, quæ hominem maxime turbare, & a servitio divino avocare solent, sine dubio maxima est, quam matrimonii nexus importat. 3. Ut honor, & reverentia statui Sacerdotali debita melius servetur; constat enim ab experientia, populum non tanto in honore habere eos, quos vident vitæ instituto pene nihil ab ipsis differre, & qui frequenter ipsos reditus ecclesiasticos, quos fideles ad cultum divinum offerunt, ad alendas uxores, & liberos, aliasque profanas causas distrahere coguntur.

677 Dices 1. Apostolus ad Tit. 1 v. 8 inquit: *Oportet Episcopum sobrium esse, justum, sanctum, continentem*; 1 ad Timoth. 4 v. 12: *Exemplum esto fidelium in charitate, in fide, in castitate*; ergo lex continentiæ est divina, utpote ab ipso Apostolo tradita. Conf. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, 2 ad Tim. 2 v. 4; atqui nuptiæ ad negotia sæcularia pertinent: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Quamvis ex his, & similibus te-

textibus colligatur, quod lex continentiæ jam a tempore Apoſtolorum fuerit, ideo non ſequitur, quod ſit divina, & ſtricte apoſtolica, ſicut lex jejunii pro divina, & ſtricte Apoſtolica non habetur, etſi ex traditione Apoſtolorum ſemper in Eccleſia viguerit. Ad Conf. eadem eſt reſponſio; nam nuptiæ pertinent quidem ad negotia ſæcularia, animumque a rebus Eccleſiaſticis pertractandis valde impediunt, non tamen cum ſtatu clericali ſunt omnino incompoſſibiles, aut ex ipſa inſtitutione divina eidem repugnant, ſed ſecundum ſe etiam bonæ, & ſanctæ ſunt.

Dices 2. Concilium Carthaginenſe II cap. 2, 678
S. Epiphanius hæreſ. 40, & S. Hieronymus apolog. adverſ. Jovinianum docent, legem continentiæ ab ipſis Apoſtolis traditam, ac inſtitutam fuiſſe: ergo eſt ſtricte apoſtolica. Conf. Siricius Papa epiſt. ad Himer. cap. 7 illam refert in legem divinam, & indiſſolubilem, quam Chriſtus non minus in ſua Eccleſia ſplendere velit, quam in veteri, ubi Sacerdotes tempore vicis ſuæ a mulieribus ſeparabantur. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo eſt ſtricte apoſtolica, ſi per illam intelligatur lex ab Apoſtolis humana jurisdictione ſtatuta, Conc. Conſ. ſi per illam intelligatur lex ſtatuta Dei juſſu, & vicario ipſius mandantis nomine, Neg. Conſ. S Hieronymus ſolum dicit: *Idcirco aut virgines, aut a ternum pudicos ad ſacerdotium promoveri, quia Apoſtoli aut Virgines fuere, aut continentes.* Ad Conf. Siricius agit contra illos Sacerdotes, qui turpi cum uxoribus etiam non ſuis commercio utebantur, ſeque exemplo veteris legis defendere volebant, quos merito redarguit, quod nequidem caſtitatem cuilibet ſtatui, etiam conjugali convenientem, & lege divina, ac naturali præſcriptam obſervarent, cum tamen in antiqua lege Sacerdotes non ſolum ab omni illicita carnis

voluptate, sed etiam certis temporibus a suis uxoribus abstinere debuerint. Hanc ergo legem divinam, & naturalem a Christo neutiquam fuisse solutam, sed etiam Sacerdotibus in nova lege indissolubiliter impositam, non quidem prout excludit usum uxoris legitimæ, attamen prout exigit castitatem illicitæ carnis voluptati oppositam, quæ etiam in thoro conjugali locum habet.

679 Dices 3. Lex cælibatus, & continentiæ perpetuæ est nimis difficilis, imo impossibilis: ergo ab Ecclesia Clericis non potuit juste imponi. Conf. Teste Pallavicino in historia concilii Tridentini lib. 10 cap. 13, & lib. 12 cap. 8 Germani sæpius postularunt, ut Presbyteris uxores permitterentur. Imo Carolus Imperator in libello, qui dicebatur *Interim*, eas reipsa permisit. Resp. Neg. Ant. Ecclesia ad cælibatum, & continentiam solum obligat illos, qui statum clericalem libere eligunt; unde ex eo, quod aliquibus sit valde difficilis, tantum sequitur, eundem non sine matura deliberatione suscipiendum esse. Si vero aliquando est susceptus, a quolibet cum divina gratia potest observari, modo idonea media adhibere velit, ut constat ex innumeris exemplis Clericorum, Religiosorum, Monialium, imo etiam viduarum, qui in suo cælibatu non tantum honestissimam vitam duxerunt, sed etiam singulari continentiæ laude, & sanctitate floruerunt. Ad Conf. Germani licentiam habendi uxores pro Sacerdotibus petierunt, eamque Carolus Imperator quoad tempus indulsit, quia speraverant, hac ratione illos facilius ad concordiam Ecclesiæ reducendos esse, cum autem concilium prævideret, & ipsa experientia doceret, ex hac concessione plus incommodi, quam utilitatis in Ecclesiam redundare, Patres Tridentini nunquam in hanc facul-

tatem

tatem consenserunt, ut loco citato testatur Pallavicinus.

Dices 4. Lex continentiæ plurimis pec- 680
catis gravibus dedit occasionem, magnaque scandala causavit: ergo. Conf. Tempore S. Gregorii magni in piscina quadam reperta sunt 6000 capita infantium occisorum, qui intra breve tempus ex Sacerdotibus Siciliæ nati fuerant, quando eorum cælibatus rigidius urgebatur, ut testatur S. Udalricus Episcopus Augustanus in epist. ad Nicolaum Papam. Resp. Neg. Ant. Si aliqui Clerici contra legem continentiæ peccarunt, qui tamen respective fuerunt pauci, id fuit per accidens, & non ipsi legi, sed humanæ perversitati adscribi debet, alias omnes leges, & ipsa Sacramenta, quæ sacrilegorum profanationi quotidie patent, e medio tollenda essent. Ad Conf. Quæ referuntur ex epistola S. Udalrici, quo vivente nullus Papa Nicolaus sedit, hæreticorum figmenta sunt. Quomodo enim brevi tempore Clerici 6000 infantes in sola Sicilia genuerint? Quomodo tot infantium cadavera in piscinam Pontificis potuerunt congeri? Unde constat illos infantes potiùs ex Clericis, quam Laicis conjugatis prognatos fuisse? cur tam altum de hac re silentium apud Joannem Diaconum, Bedam, Sigebertum, & alios, qui res Gregorii Magni accurate scripserunt?

DISPUTATIO III.

De Matrimonio.

Matrimonium accipi potest vel active, & in 681
fieri pro contractu matrimoniali, vel passive, & in facto esse pro vinculo ex contractu

 ma-

matrimoniali resultante, & stabiliter permanente, neque enim per revocationem consensus dissolvitur, sicut per revocationem utriusque partis fit in aliis contractibus. Matrimonium active sumptum rursus spectari potest, vel ut contractus mere naturalis, & civilis, vel ut Sacramentum novæ legis. In prima acceptione definiri potest, quod sit contractus legitimus, quo mas & fœmina nullo jure impediti mutuo sibi tradunt, & acceptant potestatem corporum in ordine ad generandam prolem, & se obligant ad individuam vitæ societatem. Hæc ipsa definitio etiam convenit Sacramento matrimonii, dummodo addatur; ex institutione Christi conferens, & significans gratiam. Nobis potissimum erit agendum de matrimonio ut Sacramento.

682 Quando præcise hoc Sacramentum institutum fuerit, non convenit inter Auctores. Aliqui cum Ledesma, & Tournelyo existimant, id factum esse in Cana Galileæ, quando Joan. 2 Christus sua præsentia nuptias cohonestavit, eisque benedixit: verum tunc nullo signo ostendit, quod matrimonium ad rationem Sacramenti velit evehere. Hinc Adrianus, Sotus, aliique dicunt, Sacramentum hoc institutum fuisse Matth. 19, dum Christus illud commendavit, ejusque inseparabilitatem docuit v. 6 dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* At ex his solum videtur probari, quod Christus tunc declaraverit inseparabilitatem, quam matrimonium vel ex natura sua haberet, vel ex institutione Christi accepturum esset, ferme sicut Joannis 6 solum declaravit effectum Eucharistiæ; institutio autem Sacramenti matrimonii primum videtur contigisse tunc, quando Act. 1 v. 3 *Post passionem suam præbuit seipsum vivum, apparens Apostolis, & loquens de regno Dei,* hoc

hoc eſt de iis, quæ ad ſtatum Eccleſiæ pertinerent; hoc tempus enim videtur maxime congruere cum hiſtoria Evangelii, & ratio congrua eſt, ut matrimonium ſicut dignitate, ſic etiam inſtitutione cæteris Sacramentis poſterius eſſet.

Matrimonium pro vinculo acceptum divi- 683
ditur in legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum dicitur, quod legitimo quidem conſenſu juxta leges naturales, & civiles eſt contractum, quin tamen ab Eccleſia ratum habeatur; adeoque non eſt Sacramentum, vel ſaltem a ratione Sacramenti præſcindit. Ratum vocatur, quod legitime, & juxta leges eccleſiaſticas contractum, ac ab Eccleſia ratificatum eſt; unde rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum acceſſit commixtio, ſeu copula carnalis. Conſummatum eſt, cui præter dicta etiam acceſſit copula perfecta, & ex ſe ad generationem prolis ſufficiens. Præterea aliud matrimonium dici poteſt civile, & ſolemne, in quo adſunt omnia etiam illa, quæ a jure civili, & tanquam ſolemnitates requiruntur uti pacta dotalia, conſenſus Patris &c. Aliud canonicum, ſeu theologicum, & inſolemne, in quo concurrunt tantum ea, quæ a ſacris canonibus requiruntur. Huc ſpectat matrimonium conſcientiæ, quod ſubinde coram Parocho, & teſtibus, plerumque tamen occulte contrahitur ea conditione, ut uxor, & liberi ex eo nati ſint contenti certa portione bonorum ad ſuſtentationem, quin dignitatem mariti, aut de cæteris illius prærogativis participent.

Controvertitur hic, an inter fideles contractus 684
legitimus, & civilis matrimonii poſſit ſeparari a ratione Sacramenti ita, ut valide poſſint contrahere, etſi poſitive nolint adminiſtrare, vel ſuſcipere Sacramentum? Negant plerique cum S. Thoma in 4 ad Hanibald. Diſt. 27 a. 2 q. 2. Quia concilium Tridentinum ſeſſ. 24 can. 1, & Floren-

rentinum in decret. ad Armen. sine ulla exceptione statuunt, matrimonium baptizatorum vere, & proprie Sacramentum esse, sicut quodlibet est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Verum ex his non satis videtur evinci, quod Christus contractui valido rationem Sacramenti ita alligaverit, ut omnino sint inseparabiles; quippe, ut Sotus, Vasquez, Platelius &c. advertunt, concilia Florentinum, & Tridentinum non loquuntur sine ulla exceptione, cum ad valorem Sacramenti expresse requirant debitam intentionem. Hinc ablutio physica, & naturalis infantis sine intentione ministri non est Sacramentum, licet Christus ablutionem aquæ generaliter ad rationem Sacramenti elevaverit. Fatentur nihilominus dicti Auctores, ipso jure naturali graviter prohibitum esse, ne fideles matrimonium, quod ad rationem Sacramenti a Christo elevatum esse sciunt, aliter contrahere intendant.

QUÆSTIO I.

Quænam sit materia Sacramenti Matrimonii?

685 AD essentiam hujus Sacramenti plura concurrunt. 1. Utriusque contrahentis consensus, quo jus in corpus mutuo sibi tradere, & acceptare volunt. 2. Verba, aut alia signa externa, quibus hanc suam voluntatem sibi invicem manifestant. 3. Vinculum ex contractu matrimoniali resultans. 4. Jus in corpora conjugum ad usum generationis. 5. Ipse usus, & intentio copulæ carnalis. 6. Corpora ad generationem apta, circa quæ cum in præsenti quæstione nihil ab Ecclesia statutum sit, mirum non est, quod Scholastici in tam diversas opiniones abierint, ut difficile sit aliquid constans, & exploratum de-

decernere. Eligamus id, quod cæteris apparet esse verisimilius.

Dicendum 1. Materia Sacramenti matrimonii 686
non consistit in illo vinculo, ac nexu, qui ex contractu matrimoniali resultat; nam matrimonium est Sacramentum transiens; illud vinculum autem est aliquid permanens, & potius effectus Sacramenti, quam Sacramentum. 2. Idem dicendum est de jure, quod per contractum matrimonialem acquiritur in corpora conjugum; imo jus, & potestas proxima illis utendi omnino non est necessaria, sed matrimonium etiam contrahi potest a senibus, & moribundis ad generationem ineptis, aut a vegetis, qui ex mutuo consensu ad continentiam se adstrinxerunt. 3. Multo minus ad hoc Sacramentum requiritur intentio, aut ipse usus copulæ; nam matrimonium Adami, & Evæ fuit validum, antequam commiscerentur, & B. Virgo ex communi sensu Ecclesiæ cum S. Josepho verum contraxit matrimonium, licet nunquam intenderint copulam, sed illibatam continentiam servaverint. 4. Corpora conjugum sunt tantum materia, circa quam versatur contractus matrimonialis, quem solum Christus ad rationem Sacramenti elevavit, & cui soli virtutem causandi gratiam concessit.

Dicendum 2. Materia, ex qua Sacramen- 687
tum matrimonii constituitur, est consensus legitimus contrahentium. Ita S. Thomas in 4 ad Hanibald. q. unic. a. 1 ad 1. Sylvester, Navarrus, Capreolus, & communis Canonistarum cum Glossa in cap. tua de sponsalibus. Prob. Quando Christus instituit Sacramentum matrimonii, ipsum contractum matrimonialem elevavit ad rationem Sacramenti; atqui in omni contractu consensus legitimus contrahentium est materia: ergo etiam in Sacramento matrimonii. Major col-

colligitur ex concilio Tridentino, quod sess. 24 inter matrimonium veteris, & novæ legis nullum aliud agnoscit discrimen, nisi quod hoc illi præstet virtute causandi gratiam. Minor ulterius probatur, quia in Sacramentis illud se habet per modum materiæ, quod ab alio in ratione signi sensibilis, & virtute conferendi gratiam perficitur, ac completur; atqui consensus matrimonialis in ratione signi sensibilis, & virtute conferendi gratiam perficitur, ac completur per verba, aliaque signa externa, sicut alii contractus re, verbis, aut litteris compleri solent: ergo. Pons. Quia omnia alia Sacramenta & contractus constant ex rebus, & verbis realiter inter se distinctis, quod in Sacramento matrimonii non fieret, si in illo ipsa etiam verba pro materia assignarentur, ut ex dicendis patebit.

688 Dices 1. Consensus mutuus juxta concilium Florentinum in decret. ad Armen. est causa efficiens matrimonium: ergo illud non constituit. 2. Sacramenta constant rebus, & verbis: ergo Sacramentum matrimonii non constituitur per consensum internum. 3. Materia Sacramenti debet esse sensibilis; atqui consensus internus non est sensibilis: ergo. Resp. ad 1 Dist. Ant. Consensus est causa efficiens formaliter, & constitutive matrimonium, Conc. Ant. est causa efficiens physice, ac extrinsece, Subdist. si matrimonium accipiatur passive pro vinculo ex contractu sacramentali resultante, Conc. Ant. si accipiatur active pro ipso contractu sacramentali, Neg. Ant. & Cons. Nam causa proprie & stricte efficiens Sacramentum, est illius minister; hinc consensus Sacramentum tantum efficit formaliter, sicut gratia sanctos, albedo parietem album &c. Ad 2 Conc. Ant. Neg. Cons. Quod per rem Sacramenti non semper intelligatur ma-

teria stricte dicta, sed tantum pars magis determinabilis, patet ex Sacramento pœnitentiæ, cujus materia sunt actus pœnitentis. Ad 3 Dist. Maj. materia debet esse sensibilis semper immediate, & in se, Neg. Maj. saltem mediate, & per aliud, videlicet per signa, quibus significatur, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Cons. Sacramentum matrimonii nullum habet ritum specialem distinctum a legitimo contractu, adeoque quod sufficit ad contractum validum, etiam sufficit ad Sacramentum matrimonii. Certe etiam contritio in Sacramento pœnitentiæ non est immediate sensibilis.

Cæterum ut consensus contrahentium sit 689
legitimus, debet esse 1 validus, internus, mutuus, ac sincerus; hinc si alterutra pars ad contrahendum esset inhabilis, aut tantum ficte consentiret, nullum foret matrimonium, ut colligitur ex cap. 25 de sponsalibus, & ex ipsa definitione matrimonii. 2. Plene deliberatus sine errore substantiali circa personam; nemo enim contrahit obligationem gravem sine consensu libero, qui per errorem substantialem circa personam tollitur. 3. Immunis a metu gravi injuste, & ad ineundum matrimonium directe incusso; nam ejusmodi matrimonia sunt irritata ab Ecclesia, ut patet ex pluribus capitulis Tit. de sponsalibus, & matrimonio. 4. Moraliter simultaneus ita, ut unius partis consensus moraliter perseveret, nec sit revocatus, dum exprimitur consensus partis alterius; alias non esset mutuus. 5. Aliquo signo externo expressus. Cum enim sit contractus humanus non nisi modo sensibili perfici, aut acceptari potest; atqui ad contractum matrimonialem non tantum requiritur promissio, sed etiam acceptatio utriusque partis. 6. Publicus, in præsentia videlicet Parochi, ac duorum, vel trium testium initus.

Nam

690 Nam licet matrimonia clandestina jure ecclesiastico semper illicita, & prohibita fuerint, nihilominus dubitandum non est, quin fuerint vera, ac valida matrimonia, donec illa omnino irritavit concilium Tridentinum sess. 24 in decret. de Reformat. cap. 1, ubi ob generale periculum gravium peccatorum, ac fraudum ita statuit: *Qui aliter, quam præsente Parocho* (unius saltem contrahentis ratione domicilii, vel quasi domicilii proprio) *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.* Quæ lex cum præsentiam Parochi, & aliorum testium essentialiter ad valorem matrimonii requirat, non obstante particulari necessitate, aut illius ignorantia ligat omnes Catholicos in locis, ubi concilium Tridentinum promulgatum, neque hoc decretum consuetudine contraria abrogatum fuit. Idem foret, si duo contrahentes se conferrent in alium locum e. g. in Saxoniam, Borussiam, Pomeraniam &c. ubi concilium Tridentinum non fuit promulgatum, præcise ex hac causa, ut ibi clandestine possint contrahere, & ita rursus ad suum domicilium redire, ut habetur ex declaratione Cardinalium anno 1627. 14 Aprilis edita, & ab Urbano Pontifice approbata.

691 Quæres 2. An consensus ad matrimonium requisitus debeat esse absolutus? an vero etiam sufficiat conditionatus? Resp. Quamvis consensus matrimonialis debeat esse absolutus ita, ut non tantum sit promissio de futuro, sed traditio, & acceptatio actualis de præsenti, nihilominus variæ conditiones illi possunt adjici, & 1. Si ejusmodi conditiones sint de præterito, vel præ-

præſenti, iis impletis matrimonium ſtatim valet, quia non ſunt conditiones proprie dictæ, nec valorem actus ſuſpendunt. 2. Idem eſt de conditionibus neceſſariis, & vel ex natura, vel ex diſpoſitione juris rei intrinſecis; nam conditio, quæ jam aliunde eſt determinata in ſua cauſa, habetur pro exiſtente. 3. Conditiones impoſſibiles, & turpes de futuro contingente juxta capitulum finale de condit. appoſ. regulariter habentur pro non adjectis, modo non repugnent ipſi ſubſtantiæ matrimonii, nec aliunde ex circumſtantiis conſtet, quod fuerint appoſitæ ſerio, & cum animo matrimonium ſuſpendendi. 4. Si vero conditio de futuro contingente ſit extrinſeca, & honeſta, valet quidem, ſed ante eventum necdum abſolute; hinc valor matrimonii aliquo modo manet ſuſpenſus, usque dum conditio fuerit actu poſita, ut colligitur ex paritate cum aliis contractibus, & cap. 3, 5 ac ult. de condit. appoſ.

Quæres 2. An ad Sacramentum matrimo- 692
nii etiam ſufficiat conſenſus per procuratorem, vel parentes præſtitus? Reſp. ad 1 affirmative, ſi procurator habeat ſpeciale mandatum cum perſona determinata contrahendi, & antequam illud ſit revocatum, ſui principalis conſenſum coram Parocho, & teſtibus exprimat, ſimulque conſenſum alterius partis acceptet; nam Chriſtus ad rationem Sacramenti elevavit contractum matrimonii validum, & juxta leges eccleſiaſticas, ac naturales celebratum, ut conſtat ex cap. 7 de divort.: ſed matrimonium per procuratorem debito modo initum valet juxta leges eccleſiaſticas, & naturales: ergo. Reſp. ad 2 negative, niſi ipſi liberi nomine ſuo parentes conſtituerint, aut expreſſe conſentiant. Ratio eſt, quia in re tanta, qualis eſt electio ſtatus perpetui, non ſufficit conſenſus tantum interpre-

 tati-

tativus, ſed requiritur perſonalis, & aliquo ſigno poſitivo, ac certo expreſſus; ſed talis conſenſus non habetur per ſolam taciturnitatem, & ſilentium. Neque eſt paritas cum ſponſalibus, quæ juxta cap. unic. de deſponſ. impub. ſine expreſſo mandato a parentibus pro liberis præſentibus, & tacentibus valide contrahuntur; ſponſalia enim multis de cauſis iterum poſſunt diſſolvi, matrimonium autem eſt indiſſolubile.

QUÆSTIO II.

Quænam ſit forma Sacramenti Matrimonii?

693 CAtharinus opuſc. 2 de matrim. q. 1 docet, formam hujus Sacramenti eſſe verbum Dei ſanctificans matrimonium, cum Geneſ. 2 v. 24 & Matth. 19 v. 5 dixit: *Propter hoc relinquet homo Patrem &c.* Verum hæc potius ad inſtitutionem, vel declarationem matrimonii pertinent; eſſentia Sacramenti vero hæc jam præſupponit; hinc inſtitutio non ad cauſam formalem, ac conſtitutivam; ſed ad efficientem refertur. Adde, quod tali modo Deus foret miniſter matrimonii; quod eſt contra communiſſimam doctrinam; miniſter enim dicitur, qui agit nomine, & virtute alicujus ſuperioris; quod minime in Deum, ſed in ſolum hominem cadere poteſt. Hinc Canus contendit, formam hujus Sacramenti conſiſtere in verbis, quibus Sacerdos nuptiis benedicit, dicens: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c.*, favent etiam huic opinioni Guilielmus Pariſienſis, Victoria, aliique, qui docent miniſtrum matrimonii eſſe Sacerdotem. At his cum S. Thoma in 4 ad Hanibald. Diſt. 26 q. unic. art. 1 ad 1 ſe opponunt plerique alii, qui licet in aſſignanda materia inter ſe diſcrepent, communiſſime tamen conveniunt in eo, quod for-

forma Sacramenti matrimonii constituenda sit in illis verbis, seu signis externis, per quæ ipsi contrahentes consensum suum declarant.

Dicendum. Forma Sacramenti matrimonii non consistit in verbis ministri, sed in verbis, 694
vel aliis signis ipsorum contrahentium. Prob. Illud est forma Sacramenti, per quod materia determinatur, & completur in ratione signi sensibilis, & virtute causandi gratiam; atqui hoc in Matrimonio non fit per verba ministri, sed contrahentium. Nam 1, quando Christus contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti elevavit, nullam novam formam requisivit. 2. De formula ministri nullum exstat vestigium in Ritualibus, Patrum scriptis, aut theologorum libris, concilio Tridentino, & Cano antiquioribus. 3. Ipsum Tridentinum sess. 24 cap. 1 de Reformat. permittit, ut Parochi juxta receptum cujusque provinciæ ritum aliis, ac diversis verbis utantur, cum tamen circa formas aliorum Sacramentorum in Ecclesia Latina talem licentiam nunquam concessisse legatur. 4. Nuptiæ secundæ, imo etiam primæ tempore Adventus, & Quadragesimæ nequidem benedicuntur, & tamen in Ecclesia Christi certissime sunt Sacramenta.

Objectiones.

OBj. 1. Concilium Florentinum in decret. ad 695
Armen. docet, Sacramenta perfici rebus, & verbis; sed matrimonium essentialiter non perficeretur verbis, sed sæpe tantum aliis signis, nisi forma essent verba, quæ Sacerdos in benedictione nuptiarum profert. Conf. Quia sic etiam de forma aliorum Sacramentorum posset dici, quod loco verborum nutus, aliaque signa

externa sufficiant. Resp. Dist. Maj. Docet Sacramenta perfici per verba saltem æquivalenter talia, Conc. Mai. per verba formaliter talia Subdist. regulariter, & ordinarie, Conc. Maj. semper, & necessario, Neg. Maj. & sic proportionaliter Dist. min. Conf. Tridentinum de Matrimonio expresse dicit, illius causam efficientem esse consensum per verba expressum *Regulariter*, ut significet, non semper esse necessaria verba proprie dicta. Ad Conf. Nego sequelam, Christus ad matrimonium solum requisivit contractum legitimum; alia autem Sacramenta voluit administrari verbis, & quidem formalibus, ac proprie talibus, ut scimus ex
696 traditione, & praxi Ecclesiæ.

Dices 1. SS Patres passim docent, matrimonium per benedictionem Sacerdotis sanctificari. *Unde sufficiamus*, ait Tertullianus lib. 2 ad uxor., *ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio*: ergo. Conf. Concilium Carthaginense IV can. 13 ait: *Sponsus, & Sponsa, cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant*; sed hoc non præciperetur, nisi benedictio Sacerdotis esset forma Sacramenti: ergo. Resp. Dist. Ant. docent, matrimonium per benedictionem Sacerdotis sanctificari accidentaliter, Conc. Ant. sacramentaliter, & essentialiter, Neg. Ant. Tertullianus non ait, quod matrimonium per benedictionem Sacerdotis perficiatur, sed quod obsignetur, nempe accidentaliter: alii vero Patres solum volunt, quod sine benedictione Sacerdotis non percipiatur gratia sanctificans ob indispositionem conjugum, violantium Ecclesiæ præceptum. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. Concilium hic nihil præcipit, sed solum suadet, ut conjuges prima nocte virginitatem servent ob reve-

reverentiam benedictionis, quia est sacra & solemnis ceremonia, proinde hac reverentia digna.

Dices 2. Christus ipse in Cana Galilææ nuptiis benedixit, & Siricius Papa epist. ad Himerium cap. 4 ait: *Illa Benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur:* ergo per benedictionem Sacerdotis matrimonium non tantum accidentaliter sanctificatur. Conf. Alexander III cap. 8 de Simon., & concilium Lateranense cap. 9 eodem ajunt: *Horribile esse, quod pro sepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Etsi Christus, dum illis nuptiis benedixit, Sacramentum matrimonii instituisset, minime sequeretur, benedictionem Sacerdotis ab illo tanquam formam fuisse requisitam. Siricius autem omissionem hujus benedictionis dicit esse instar sacrilegii, quia sine transgressione præcepti non potest negligi, nec postea violari, quin etiam violetur Sacramentum matrimonii. Ad Conf. Vox *Aliis* non est relativa, sed absoluta; alias etiam sepulturæ, & exequiæ mortuorum deberent esse Sacramenta; sensus itaque genuinus est, seu aliis rebus, qualia sunt Sacramenta. 697

Obj. 1. Forma sacramentalis debet significare gratiam, & repræsentare effectum Sacramenti; atqui verba contrahentium non significant gratiam, neque repræsentant effectum Sacramenti; consistunt enim in his, aut similibus: Accipio te in meam, Accipio te in meum: ergo. Conf. Verba contrahentium non sunt ceremonia sacra, nec nomine Christi proferuntur: ergo. Resp. Conc. Maj. Dist. min. non significant gratiam, nec effectum Sacramenti repræsentant immediate, & directe, Conc min. indirecte, & illative, Subdist. si spectentur præcise secun- 698

dum se, Conc. min. si spectentur prout sunt instituta a Christo, Neg. min. Nam ipse Christus illa ad significandam gratiam, & spiritualem conjugum conjunctionem evexit. Quod si gratia sanctificans semper deberet significari immediate, & directe vi ipsorum verborum, neque forma Baptismi, & Ordinis ad Sacramentum sufficerent. Ad Conf. Dist. Ant. non sunt ceremonia sacra, nec nomine Christi proferuntur apud infideles, Conc. Ant. apud baptizatos, Subdist. secundum significationem mere grammaticalem, Conc. Ant. secundum significationem sacramentalem, Neg. Ant. & Conf. Quamvis contrahentes nequeant proferre verba in persona Christi, quatenus significant mutuam corporum traditionem, id tamen possunt, quatenus ex institutione Christi significant, & causant collationem gratiæ.

699 Dices. Si verba contrahentium sunt forma Sacramenti, verba Parochi: Ego vos in matrimonium conjungo, sunt falsa, nec ex traditione Patrum amplius poterit probari, quod matrimonium sit Sacramentum: ergo. Conf. Verba Sacerdotis: Ego te baptizo &c., sunt forma essentialis Baptismi: ergo a pari. Resp. Neg. Ant. Verbum conjungo a Sacerdote non profertur efficienter, sed solum approbative in hoc sensu: ego matrimonium vestrum ratum habeo, ac confirmo, qui sensus licet non omnino strictus, in ceremoniis Sacramentorum sæpe locum habet, & in præsenti eruitur ex nostra probatione. Neque opus est, ut traditionem Patrum ex benedictione Sacerdotis colligamus, cum claris verbis doceant matrimonium esse Sacramentum, ut videri potest apud Tournelyum, nostrum hic adversarium, de Sacrament. matrim. q.2. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Sine his verbis: Ego te baptizo, in Ecclesia Baptismus nunquam valuit, sed semper

per fuerunt habita tanquam eſſentialiter neceſſaria. At verba Parochi in matrimonio juxta conſuetudinem locorum poſſunt mutari, & in aliquibus adhibentur quoad ipſum ſenſum diverſa nempe iſta: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Obj. 3. S. Thomas 2 2 q. 100 art. 2 ad 700
6 ait: *Dare pecuniam pro matrimonio, in quantum eſt Eccleſiæ Sacramentum, eſt illicitum, & ideo ſecundum jura prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur*: ergo docet benedictionem nubentium eſſe formam Sacramenti. Conf. In 4 Diſt. 1 q. 1 a. 3 tradit, quod matrimonium & pœnitentia, ſecundum quod ſunt Sacramentum, habeant aliqua verba: *Sicut in matrimonio ſunt verba exprimentia conſenſum, & iterum benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ, in pœnitentia autem eſt abſolutio Sacerdotis verbotenus facta.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Thomas ex eo, quod jure naturali illicitum ſit dare pecuniam pro Sacramento matrimonii, recte concludit, ab Eccleſia merito prohiberi, ne aliquid exigatur pro benedictione nubentium, quia videlicet hæc benedictio eſt ſolemnitas Sacramenti, quæ non tanquam res profana, & temporalis tractari debet. Ad Conf. S. Doctor docet quidem, utrumque hoc Sacramentum in diſpenſatione Sacerdotis conſiſtere, ſed diverſo modo, pœnitentiam quoad ſubſtantiam, & formam eſſentialem, matrimonium vero tantum quoad ſolemnitatem accidentalem. Nam in 4 ad Hanibald. expreſſe ait: *Quod ſacerdotalis benedictio non ſit de neceſſitate Sacramenti, ſed de ſolemnitate.* Idem repetit in 4 Diſt. 24 q. unic. a. 2 ad 1, & in ſupplement. q. 42 a. 1 ad 1.

QUÆSTIO III.

Quisnam ſit miniſter Sacramenti matrimonii?

701 QUemadmodum hæc quæſtio maximam habet connexionem cum quæſtione præcedente, ita eosdem ferme patronos, & adverſarios numerat; nam quod miniſtri hujus Sacramenti ſint ipſi contrahentes, docuerunt omnes antiqui ſcholaſtici usque ad Guilielmum Pariſienſem, quem dein ſecuti ſunt Canus, Eſtius, Sylvius, Tournelyus, Habert &c. certantes pro Sacerdote, qui contrahentes conjungit. Verum nec credibile, nec veriſimile eſt, verum Sacramenti matrimonii miniſtrum per tot ſæcula omnibus ſcholæ Doctoribus fuiſſe ignotum, cum tamen miniſter tam ordinarius quam extraordinarius reliquorum Sacramentorum ſemper cognitus fuerit; hinc antiquæ doctrinæ Hugonis a S. Victore, Petri Lombardi, S. Thomæ, & Bonaventuræ firmiter adhæſerunt, eamque docuerunt reliqui communiſſime, ex quibus Vaſquez, & Pontius oppoſitam ſententiam temeritatis arguere non ſunt veriti.

702 Dicendum. Miniſter Sacramenti matrimonii non eſt Sacerdos, ſed ipſi contrahentes. Prob. 1. Quia illi ſoli ſunt miniſtri matrimonii, qui ponunt cauſam efficientem, ſeu conſtitutivam hujus Sacramenti; ſed hanc ponunt ſoli contrahentes; nam 1 ſoli contrahentes ponunt, ac efficiunt contractum matrimonialem; atqui Sacramentum matrimonii nihil aliud eſt, quam legitimus contractus matrimonialis ad ſignificandam, & cauſandam gratiam a Chriſto elevatus. 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 24 can. 1 absque exceptione definit, matrimonium baptizatorum eſſe Sacramentum: ergo matrimonium cum debita intentione coram duobus teſtibus, & parocho con-

contractum est Sacramentum, licet parochus non fungatur officio ministri, & nulla verba proferat, sed solum tanquam testis assistat. 3. Quando concilium Florentinum in decret. ad Armen. ait, causam matrimonii efficientem esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum aperte agit de matrimonio ut Sacramento, tum quia verbis citatis præmittit hæc: *Septimum est Sacramentum matrimonii &c.*; tum quia alias nullibi materiam, & formam hujus Sacramenti explicaret, cum tamen illam de omnibus reliquis Sacramentis doceat, & velit tradere exactam doctrinam. Sane Armenis per se jam satis constabat, matrimonium prout præcise est contractus civilis mutuo contrahentium consensu effici: ergo non fuit opus illos hac de re instruere.

Probatur 2. Matrimonium non solum fuit, 703
sed ubi Tridentinum non est promulgatum, adhuc est verum matrimonium, etsi sine assistentia, & benedictione Sacerdotis contrahatur: ergo Sacerdos in nova lege non est minister Sacramenti matrimonii. Ant. constat ex concilio Tridentino sess. 24, ubi cap. 1 de Reformat. contrarium asserentes damnat, aitque: *Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Conf. Prob. Tridentinum in hoc capite agit de illo matrimonio, quod prius can. 1 definierat esse Sacramentum, aitque, matrimonia clandestina fuisse rata; atqui per matrimonium ratum ex usu Ecclesiæ, & sensu juris canonici intelligitur verum Sacramentum; ut dudum declaravit Innocentius III cap. Quanto de divort. & alias Tridentinum de matrimonio doctrinam omnino dubiam, & æquivocam tradidisset utendo voce matrimonii modo pro contractu mere civili, modo pro Sacramento. Conf. Nisi matrimonia clandestina valide

contracta essent Sacramentum, Ecclesiæ officium fuisset ita copulatos inducere, & hortari, ut suum contractum rursus coram parocho renovent, ne perpetuo gratia sacramentali carerent, ut advertit Benedictus XIV de synod. lib. 7 cap. 28, S. Thomas vero in 4 Dist. 24 q. unic. a. 2 ad 1 ait: *Absque ministris Ecclesiæ potest fieri matrimonium, non autem alia Sacramenta.*

Objectiones.

704 OBj. 1. SS. Canones, Pontifices, & concilia ad Sacramentum matrimonii frequentissime requirunt benedictionem, & ministerium sacerdotale: ergo Sacerdos est minister hujus Sacramenti. Conf. In concilio Tridentino sess. 24 de Reformat. ipso jure suspenduntur Sacerdotes, qui absque speciali licentia parochi sponsos matrimonio conjungunt, aut benedicunt, & in Constantiensi Martinus V suspectos de fide jubet interrogari: *An credant, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ Unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccet mortaliter.* Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Ex decretis SS. Canonum, Pontificum, ac Conciliorum solum habetur, quod benedictio, & ministerium Sacerdotis in contrahendo matrimonio sit adhibendum, neutiquam vero statuunt, quod Sacerdos sit minister, ejusque benedictio adeo necessaria, ut ea omissa matrimonium olim non fuerit Sacramentum, nec hodie sit ratum, ac validum in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum. Ad Conf. Tridentinum illos, qui sine licentia parochi sponsos conjungunt, aut benedicunt, non declarat suspensos ideo, quia parochus est minister, ejusque benedictio forma essentialis, sed quia vult, ut conjunctio sponsorum non fiat nisi coram parocho proprio, & ab eodem solemniter confirmetur, cumque benedictio nuptiarum

arum jam antea fuerit graviter præcepta, concilium Conſtantienſe merito inquit, illos peccare mortaliter, qui hanc benedictionem contemnunt.

Dices 1. Rituale Romanum, concilium Cameracenſe anno 1567, S. Carolus Borromæus in 705
actis Eccleſiæ Mediolanenſis, Manuale Ypreníe, & Mechlinienſe, atque Enchiridium concilii Colonienſis Sacerdotem expreſſe vocant miniſtrum Sacramenti matrimonii: ergo. Conf. Sacerdotale Romanum apud Sylvium ait: *contrahentibus reſpondentibus, ſe nec affines, nec conſanguineos &c. Sacerdos pronuntiet verba, quæ ſunt forma hujus Sacramenti cum conſenſu utriusque.* Reſp. Diſt. Ant. vocant miniſtrum Sacramenti quoad illius ſolemnitatem, Conc. Ant. quoad illius valorem, & eſſentiam, Neg. Ant. & Conſ. cum Sacramentum hoc ſolemniter, & licite perfici nequeat niſi Sacerdote præſente, & contrahentes benedicente, imo ubi Tridentinum eſt promulgatum, nec valide, niſi parocho per ſe, vel per alium aſſiſtente, merito hic vocatur miniſter quoad accidentalem illius ſolemnitatem; at ideo verba parochi non ſunt forma eſſentialis, ſed *Verbum hujus Sacramenti, quo accedente elementum fit Sacramentum, id eſt, quo ambo mas, & foemina cum pietatis reſpectu, quæ in Deum eſt, ſibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque,* ait Enchiridium Colonienſe objectum. Ad Conf. Sacerdotale Romanum loquitur de Sacramento matrimonii non ſolum eſſentialiter, ſed integraliter ſpectato, in quo ſenſu utique contrahentium verbis quoad eſſentiam, ſimulque verbis parochi quoad ſolemnitatem conſtat.

Dices 2. Sacerdos eſt miniſter quoad eſſen- 706
tiam, & valorem matrimonii, nam Nicolaus I can. Lotharius 31 quæſt. 2 docet, matrimonium inter Lotharium, & Gualdradam nullum eſſe, ſi non fuerit cum benedictione Sacerdotis conſecratum,

tum, & Evariſtus Papa, can. alter 30 quæſt. 5 ait, connubia ſine benedictione Sacerdotis contracta, ſeu præſumpta non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia eſſe. Conf. Concilium Colonienſe anno 1535 dicit, quod matrimonium gratiam conferat accedente benedictione ſacerdotali. Reſp. Neg. Ant. Nicolaus I loquitur ſecundum præſumptionem fori externi, in quo matrimonium non cenſetur verum, niſi a partibus palam probari poſſit, hinc addit, illud eſſe reconciliandum: *Si minime probatum fuerit, illud fuiſſe legitimum, & ſecundum morem per benedictionem Sacerdotis factum.* Evariſtus agit de connubiis clandeſtinis, in quibus non intervenit mutuus conſenſus internus, ut patet ex verbis ſubjunctis: *Niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima*; alioquin uterque Canon citatus repugnaret Tridentino, quod matrimonia clandeſtina clare tanquam vera, & valida agnoſcit. Ad Conf. Concilium Colonienſe dicit gratiam conferri accedente benedictione Sacerdotis, quia qui illam omittebant, graviter peccabant, adeoque ad recipiendam gratiam non erant diſpoſiti.

707 Obj. 2. Juxta concilium Florentinum in decret. ad Armen. omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: ergo miniſter Sacramenti matrimonii debet eſſe perſona ſacra, & eccleſiaſtica. Conf. Soli eccleſiaſtici ad Sacramenta conferenda ordinantur: ergo abſurdum eſt, illos a miniſterio hujus Sacramenti excludere, & laicos admittere. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conf. Sicut laicus, quando adminiſtrat Sacramentum Baptiſmi, id facit tanquam miniſter Ec-

Eccleſiæ, in quantum utitur poteſtate a Chriſto, & Eccleſia ſibi conceſſa, ita etiam dum contrahens matrimonium ponit materiam, & formam Sacramenti ad ſignificandam, & cauſandam gratiam a Chriſto inſtituti. Ad Conf. Diſt. Ant. ſoli eccleſiaſtici ordinantur ad conferenda Sacramenta alia, Tranſ. Ant. ad conferendum Sacramentum matrimonii, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis Eccleſia adminiſtrationem aliorum Sacramentorum ſolis perſonis eccleſiaſticis extra caſum neceſſitatis permittat, poteſt tamen etiam laicus in neceſſitate baptizare, matrimonium autem ſolus conficere, eoquod conſiſtat in contractu, qui ex præcepto Eccleſiæ ſolis laicis competit, & nequidem ſemper requirit verba formalia. Adde, quod ad illud non ſemper requiratur Sacerdos, modo ſit Parochus, aut ſaltem communi errore pro tali habeatur, eoquod aſſiſtentia parochi non ſit actus ordinis.

Dices 1. In aliis Sacramentis miniſter eſt u- 708
nicus, neque conferens, & ſuſcipiens poteſt eſſe idem: ergo etiam in matrimonio. Conf. Licet Chriſtus virtutem pœnitentiæ evexerit ad rationem Sacramenti; nihilominus miniſter hujus Sacramenti debet eſſe a pœnitente diſtinctus, ac ſolus formam pronunciat: ergo a pari. Reſp. Tranſ. Ant. nam etiam plures ſimul poſſunt idem Sacramentum valide adminiſtrare, Neg. Conſ. Quemadmodum cætera Sacramenta habent aliquid ſpeciale, per quod ab aliis diſtinguuntur, ita, quia matrimonium conſiſtit in contractu, ejus cauſa efficiens, & ſubjectum eſt idem, neque hoc Sacramentum ab unico tantum perfici poteſt. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. diſparitas eſt, quia Chriſtus elevando virtutem pœnitentiæ ad rationem Sacramenti, eidem addidit novum ritum, novamque partem eſſentialem, videlicet ſententiam abſolutoriam judicialem, quæ ferri non

non poteſt niſi in alterum, eumque ſubditum. At matrimonium evehendo ad rationem Sacramenti eidem non addit novam partem eſſentialiter ponendam ab alio, quam ipſo ſuſcipiente; proin qui eſt cauſa efficiens matrimonii, quatenus hoc eſt contractus humanus, eſt etiam miniſter ejusdem matrimonii, quatenus eſt Sacramentum.

709 Dices 2. Clandeſtine contrahentes nec ſciunt ſe eſſe miniſtros, nec putant ſe eſſe ſacrilegos, licet contrahant in peccato mortali: ergo non habent intentionem adminiſtrandi Sacramentum: ergo. Conf. S. Thomas 3 p. q. 83 a. 2 docet; diſpenſationem Sacramentorum pertinere ad miniſtros Eccleſiæ, & in ſupplem. q. 8 a. 1: ſolum illum eſſe miniſtrum Sacramentorum, qui habet miniſterium ſuper corpus Chriſti verum. Reſp. Tranſ. Ant. qui enim in rebus fidei bene ſunt inſtructi, hæc non ignorant, Neg. Conſ. alias neſcientes matrimonium eſſe Sacramentum, quod in ſtatu peccati mortalis recipi non poteſt, nequidem illud ſuſciperent, licet coram parocho in facie Eccleſiæ contraherent. Itaque in talibus ſufficit intentio implicita, & virtualis: Volo facere, quod fideles faciunt; ſic enim jam intendunt facere, quod facit Eccleſia, adeoque implicite volunt Sacramentum conficere. Ad Conf. S. Thomas in priore loco agit de Sacramento tam quoad eſſentiam, quam ſolemnitatem conſiderato, quæ ſolemnitas utique ad ſolos Eccleſiæ miniſtros pertinet. In altero loco Sacramentum accipit in ſuppoſitione accommoda, ſeu pro majore illorum numero; nam in eodem ſupplemento q. 42 a. 1 ad 1 expreſſe docet, benedictionem Sacerdotis non eſſe formam Sacramenti, & ad 2. Sacramentum matrimonii perfici per actum ejus, qui Sacramento illo utitur.

Quæ-

Quæres. An Sacramentum matrimonii in utroque recipiente sit tantum unicum, vel multiplex? Resp. cum Tannero, Henriquez, Sylvestro &c. esse unicum non tantum specie, sed etiam numero. Nam 1 in utroque contrahente significat, & confert eandem specie gratiam, ordinatam ad eundem finem principalem, legitimam nempe sobolis procreationem; & christianam educationem. 2. Intrinsece constituitur ex consensu mutuo, verbis, aut signis utriusque contrahentis expresso: ergo sicut hic contractus est numero unicus, sic etiam Sacramentum, ut adeo ambo contrahentes sint moraliter unicus ipsius minister. 3. Quamvis singuli non recipiant totam materiam, & formam hujus Sacramenti physice, moraliter tamen singulis applicatur tota, & in quolibet totum Sacramentum, totusque illius effectus recipitur. Sic qui baptizatur, Sacramentum Baptismi integre recipit, licet ipsius forma solum moraliter ipsi applicetur. Sic amicitia inter duos est unica, licet involvat relationes mutuas, ac diversas unius ad alterum, quia per amicitiam non quælibet relatio sensim, sed utraque simul per modum unius significatur. 710

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit subjectum Sacramenti matrimonii?

QUod subjectum hujus Sacramenti tantum sint mas, & fœmina baptizati, & nullo jure impediti, constat ex ipsius definitione, data num. 681. Dicitur, mas, & fœmina, idque in singulari ad excludendam polygamiam simultaneam, quam in lege nova prohibitam, & irritatam fuisse, colligitur ex cap. 16 Lucæ v. 18, ubi Christus ait: *Qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*: ergo a fortiori mœchatur, qui priore 711

uxo-

uxore retenta eidem alteram adjungit, & Matth. 19 v. 5: *Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* In quæ verba Innocentius III cap. 8 de divort. advertit, quod Christus non dixerit adhærebit uxoribus, sed uxori. Hinc simultanea uxorum pluralitas in Ecclesia semper agnita fuit tanquam illicita, & invalida, & concilium Tridentinum sess. 24 can. 3 contra Lutherum definivit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.* Ex quibus sequitur, polygamiam saltem de facto etiam jure naturali prohibitam esse, eoquod nemo jus in alterius corpus habere possit, nisi quale, & quantum ipsi a Deo fuit concessum.

712 Quando itaque in Scriptura legitur, quod Abraham, Jacob, David aliique viri sancti, & Deo grati plures simul uxores habuerint, Innocentius III cap. gaudemus de divort. docet, id factum esse ex concessione, & dispensatione divina, quam post diluvium multiplicandi populi Dei causa Israelitis datam fuisse, veteres Patriarchæ per revelationem, vel inspirationem divinam cognoverunt. Utrum vero hæc licentia usque ad legis evangelicæ promulgationem se etiam extenderit ad gentiles, controvertitur. Affirmat Bellarminus lib. de matrim. cap. 11, & probat tum ex facto Estheris, quæ nupsit Assuero gentili plures uxores habenti, tum ex S. Augustino, qui lib. 22 contra Faustum cap. 47 dicit, quod Jacob inculpabiliter plures uxores simul acceperit, eo quod id moris fuerit in illa regione, in qua illas accepit, quam regionem gentilem fuisse colligitur ex Labano idololatra, ejusdem regionis incola. Quod autem ista pluralitas ante diluvium semper fuerit prohibita, tradunt Tertullianus lib. de exhortat. cast. cap. 5, S. Hierony-

nymus lib. 1 contra Jovin. cap. 8, & Nicolaus I epist. ad Lotharium Regem. Multo minus unquam licita fuit polyviria, seu simultanea pluralitas maritorum in unica fœmina, quia non modo æqualitati contractus, & paci conjugum, sed etiam generationi, & educationi prolis maxime repugnat, neque Deus unquam in polyviria dispensasse legitur.

Polygamiam successivam quod attinet, cap. 613
1 & 3 de secund. nupt. prohibetur quidem, ne personæ, quæ mortuo suo conjuge ad secundas, vel ulteriores nuptias transeunt, benedicantur, & bigami ad sacros ordines sunt irregulares, nunquam tamen Ecclesia has nuptias tanquam per se malas, ac illicitas reprobavit, prout olim fecerunt Novatiani, & Montanistæ, quibus teste S. Augustino lib. de hæres. cap. 26 se adjunxit Tertullianus; nam S. Paulus 1 ad Cor. 7 v. 39 ait: *Mulier alligata est legi* (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est cui vult, nubat, tantum in Domino.* Idem de viduis docet v. 8 & 9, quæ pariter de viris intelligi debent, cum pro utrisque eadem sit ratio, nec ullum ex jure naturali, aut divino habeatur fundamentum, secundas, & ulteriores nuptias per se prohibitas esse. Consentiunt SS. Patres tam Græci, quam Latini, concilium Nicænum I can. 8, Laodicenum can. 1, Florentinum in decret. pro Armen. apud Tournel. q. 4 a. 1. Hinc a jure canonico cap. 4 & finali de secund. nupt. sublatæ sunt pœnæ, quæ a jure civili contra transeuntes ad secunda vota, maxime fœminas binubas directe in odium, & detestationem secundarum nuptiarum statutæ fuerant, quia adversabantur tum doctrinæ Apostoli, tum libertati matrimonii, a Christo in remedium concupiscentiæ instituti.

714 Dicitur 2. Baptizati. Nam 1. Infideles ante susceptum Baptismum non sunt capaces Sacramenti, nec ulla ratione probatur, quod matrimonium inter infideles antea contractum per ipsam susceptionem Baptismi Sacramentum fiat. Erit nihilominus verum, ac firmum matrimonium, si legitime, id est servata lege naturali & praescripta a Principibus, quibus subditi sunt, contrahendi forma, celebratum fuerit. Hinc Apostolus 1 ad Cor. 7 v. 12 jubet, ne infidelis, quando ad fidem convertitur, dimittat uxorem in infidelitate ductam, si cum ipso pacifice cohabitare consentiat. 2. Quamvis non solum Ecclesia variis Canonibus prohibuerit, sed ipsum jus divinum, & naturale ob periculum perversionis, quod vel ipsi conjugi fideli, & liberis immineret, interdicere videatur, ne sine justa, & gravi causa fidelis cum infideli matrimonium ineat, nihilominus tale matrimonium nec jure divino, nec naturali fuit irritatum; hinc Jacob, Moyses, David cum foeminis infidelibus contraxisse leguntur. 3. Imo primis quinque saeculis etiam in lege nova talia matrimonia tolerata fuerunt. Sic Eunice Timothei mater nupsit viro gentili. S. Caecilia Valeriano infideli, idemque suis temporibus frequenter contigisse testatur S. Hieronymus lib. 1 contra Jovin., & . Augustin. lib. de fid. & oper. cap. 9; donec tandem ex jure ecclesiastico non tam scripto, quam tradito, & diuturna Ecclesiae praxi impedimentum disparis cultus, seu Religionis introductum fuit.

715 Multo magis valent matrimonia orthodoxorum cum haereticis legitime, seu servatis Ecclesiae legibus contracta, licet ordinarie graviter sint illicita, praesertim si illis adjiciatur pactum de parte prolium educanda in haeresi. Ratio 1mi est, quia in nullo jure leguntur irritata. Ratio 2di

2di, quia non minus, quam matrimonia cum infidelibus ordinarie conjunctum habent grave periculum perversionis in fide, aut moribus. Ratio 3tii quia jus naturale, & divinum obligat parentes, ut suis liberis non solum quoad corpus, sed vel maxime quoad animam, & salutem æternam provideant, omnesque Deo educent. Ideo omnes Doctores ejusmodi pacta, ut medietas prolium fidem catholicam e. g. matris, altera vero medietas sectam acatholicam e. g. Patris sequatur, tanquam abominanda, & irrita detestantur. Imo P. Schmier de sponsal. & matrim. part. 3 cap. 5 existimat, in tali casu ipsa matrimonia esse invalida, eoquod ejusmodi conditio sit contra bonum prolis. Verum nisi conditio apposita adversetur bono prolis naturali, eoque tendat, ut ipsa generatio, vel educatio positive evitetur, non censetur adversari substantiæ matrimonii, ut colligitur ex cap. ult. de condit. appos. ipsaque praxi ac communi Doctorum sensu.

Dicitur 3. Nullo jure videlicet tam naturali, ac divino, quam ecclesiastico impediti. Sunt 716
autem duplicis generis impedimenta matrimonii: aliqua matrimonium contrahendum solum prohibent, & illicitum reddunt, alia illud insuper faciunt invalidum, si cum aliquo fuerit attentatum. Impedimenta primi generis vocantur pure impedientia, & hoc versiculo continentur:

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Impedimenta secundi generis vocantur dirimentia, quorum post concilium Tridentinum quindecim numerantur, & memoriæ causa his versiculis exprimi solent:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Ætas, Affinis, si Clandestinus, & Impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

 Ne-

Negat quidem Lutherus, Ecclesiam circa impedimenta matrimonii præsertim dirimentia aliquid ſtatuere, aut mutare poſſe, eoquod causæ matrimoniales ad solos Principes sæculares spectent, sed contrarium fuit clare definitum in concilio Tridentino ſeſſ. 24 can. 3 & 4, qui ita habet: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

717 Quippe 1 Chriſtus Matth. 16 v. 19 D. Petro ejusque ſucceſſoribus dedit poteſtatem illimitatam ſolvendi, & ligandi: ergo ex juſta cauſa etiam poſſunt aliquibus perſonis matrimonium prohibere, easque ad illud contrahendum inhabiles reddere, quam poteſtatem jam a primis ſæculis Eccleſia ſemper exercuit, quin ideo Principes ſæculares reclamaverint. 2. Matrimonium apud Chriſtianos eſt Sacramentum, & contractus ſacer, qui ſicut diſpoſitioni, ac legibus ſæculi ſubjectus non eſt, ita Eccleſia eundem ſibi merito reſervavit, & Tridentinum ſeſſ. 24 can. 12 anathema dixit aſſerenti *Cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices eccleſiaſticos.* Eſto, quod alias etiam Principes ſæculares poſſent ſtatuere aliqua impedimenta matrimonii, in quantum vere adhuc permanſit contractus civilis. 3. Quia inter infideles matrimonium eſt contractus mere civilis, utique ſubjectus eſt legibus civilibus Principum. 4. Imo per conſuetudinem etiam inter fideles aliqua impedimenta matrimonii introduci poſſunt, eoquod cap. 1 & 3 de cognat. ſpirituali, & cap. final. de conſuet. omnis conſuetudo rationabilis & legitime præſcripta in vim legis approbetur.

718 Quæres. An ad valorem matrimonii etiam requiratur conſenſus parentum? Reſp. teſte Pallavicino lib. 22 cap. 4 in concilio Tridentino diu multumque de hac re diſputatum fuiſſe. Cum enim

nim Oratores Galli Regis ſui nomine peterent, ut matrimonia a filiis abſque conſenſu parentum contracta irrita declararentur, initio quidem aliqui Patres ſelecti privatim judicarunt, petitioni Gallorum ſaltem eatenus eſſe annuendum, ut mares ante 20, fœmellæ vero ante 18 ætatis annum valide contrahere nequeant, niſi parentes ab ipſis rogati conſenſum ad honeſtas nuptias injuſte negarent; Præſul vero iisdem contrahendi facultatem concederet: verum ut in iis, quæ ad ſtatus vitæ delectum, & matrimonialem vitæ ſocietatem pertinent, libertas conſervaretur, tandem ab univerſo concilio ſeſſ. 24 in decret. Reform. cap. 1 declaratum, ejusmodi matrimonia valere, nec a parentibus irritari poſſe: *Proinde jure damnandi ſunt illi, ut eos ſancta ſynodus damnat, qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.* Quia nempe plerumque graviter repugnant obedientiæ, reverentiæ, & gratitudini, quam filii parentibus in omnibus exhibere tenentur.

In laudato decreto duo definita leguntur. 719
Primum ſpectat ad dogma fidei, an ſcilicet matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum contracta eſſent irrita ipſo jure naturali, & divino, ut contendebant Calvinus, Lutherus, aliique novatores: alterum ſpectat ad diſciplinam, utrum expediret nova lege eccleſiaſtica hujusmodi matrimonia irrita reddere, ſicut poſtularunt Chriſtianiſſimi Regis Oratores. Neque obſtat, quod in Gallia adhuc poſt concilium Tridentinum plures leges, & edicta Regia fuerint edita, quibus talia matrimonia ſub graviſſimis pœnis non ſolum fuerunt prohibita, ſed etiam irritata; nam hæc ſolum intelligenda ſunt in ordi-

ne ad effectus civiles; non vero de ratione Sacramenti, & naturali substantia contractus matrimonialis, exceptis matrimoniis Principum regiæ prosapiæ, qui ex speciali privilegio ab Ecclesia confirmato sine regio consensu, & approbatione omnino invalide contrahunt, ut testatur Tournelyus de Sacram. matrimonii quæst. 6 art. 3. Addit quidem tum jure civili antiquo, tum ecclesiastico matrimonia sine consensu parentum contracta olim nulla fuisse: verum citata ab ipso testimonia vel solum loquuntur de licentia matrimonii, vel certe jure novo mutata, ac correcta fuerunt.

QUÆSTIO V.

Quinam sint effectus Sacramenti matrimonii?

720 QUoniam finis naturalis, & intrinsecus matrimonii est honesta, ac decens educatio prolis, firmaque inter conjuges animorum conjunctio ad mutua sibi invicem auxilia, & officia maritalia præstanda, primarius hujus Sacramenti effectus consistit in gratia supernaturali, tum habituali, quam indigne suscipientibus auget, tum actuali, quæ ipsis ad dictos fines rite implendos, & consequendos confertur, ut declarat concilium Tridentinum sess. 24 de Sacram. matrim. dicens: *Gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Dein can. 1 anathema dicit neganti *Matrimonium*

um esse vere, & proprie Sacramentum novæ legis, nec ex institutione Christi gratiam conferre.

Alter effectus hujus Sacramenti est major firmitas, & indissolubilitas nexus conjugalis. 721
Equidem matrimonium, postquam aliquando legitime contractum fuit, ex primæva sui institutione, & ipso jure naturali est ita firmum, ut nulla auctoritate humana amplius possit dissolvi, eoquod solubilitas vinculi matrimonialis finibus supra memoratis summopere adversaretur, nec amplius inter fornicationem jure naturali prohibitam & legitimum matrimonium sufficiens foret discrimen: proles vero debita educatione carerent, ac sæpe sine certo patre relinquerentur. Hinc Adamus ante lapsum, & consummationem matrimonii, ubi nulla adhuc lex positiva lata fuerat, ex instinctu divino Genes. 2 v. 29 dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; Dein v. 24 sequenti: *Quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, quemadmodum etiam advertit concilium Tridentinum sess. 24 cit. de Sacram. matrimonii.

Nihilominus in gratiam Religionis christianæ 722
Deus ex speciali dispensatione concessit, ut conjux infidelis ad fidem conversus, si pars altera infidelis eidem vel absolute, vel sine contumelia, aut offensione creatoris cohabitare nolit, prius matrimonium licet jam consummatum possit dissolvere, & aliud cum fideli contrahere; nam S. Paulus, ad Cor. 7 postquam v. 13 dixit: *Si quis frater* (ad fidem conversus) *uxorem habeat infidelem, & hæc consentiat habitare cum illo non dimittat illam*; postea v. 15 subjungit: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Quæ verba Innocentius III cap. quanto de divort. ita exponit: *Si alter infidelium conjugum ad fidem ca-*

 tho-

tholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare nolente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat.

723 Similem dispensationem in lege Mosaica Judæis datam fuisse existimat Scotus, Durandus, Bellarminus &c. eoquod Deuteronom. 24 v. 1 & seqq. non solum fuerit permissum, ut viri uxoribus darent libellum repudii, verum etiam ut uxores repudiatæ aliis nuberent. Verum dum Pharisæi Matth. 19 v. 3 Christum interrogarunt, an fas esset *Uxorem dimittere quacunque ex causa*, respondit v. 4 id repugnare institutioni matrimonii: *Quia qui fecit hominem ab initio masculum, & fœminam, fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem &c.*; Instantibus dein Pharisæis, cur igitur Moyses mandaverit dare libellum repudii? Christus v. 8 addidit: *Quoniam ad duritiem cordis vestri permisit: ab initio autem non fuit sic.* Hinc communius docent Auctores, libellum repudii in antiqua lege solum fuisse toleratum ad evitanda odia, & cædes inter conjuges, ac ideo etiam mulieres, quæ postea aliis nupserunt, non fuisse lapidibus obrutas, licet revera fuerint adulteræ; nam Deuteronom. 24 v. 4 vocantur *Pollutæ, & abominabiles coram Domino.* Favent huic opinioni S. Hieronymus in cap. 19, & S. Chrysostomus Homil. 63 in Matth. Item S. Augustinus de bono conjug. cap. 8 num. 7, & lib. 19 contra Faustum. Vid. Bellarm. de matrim. lib. 1 cap. 17.

724 Inter ipsos fideles matrimonium non solum ratum, sed etiam consummatum propter adulterium dissolvi posse, a pluribus jam annis docent Græci, quos secuti sunt Lutherus, Calvinus, Kem-

Kemnitius, &c. male in hunc finem abutentes verbis Christi Matth. 5 v. 32: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari;* & cap. 19 v. 9: *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur: & qui dimissam duxerit, moechatur.* Sed contra est, quod S. Scriptura in aliis locis dissolutionem matrimonii quoad vinculum saepius illimitate omnibus prohibeat, eosque, qui dimissa uxore aliam ducunt, moechos, & adulteros appellet. Sic Marc. 10 v. 9 illimitate dicitur: *Quicunque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, adulterium committit super eam;* & Luc. 16 v. 11: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, moechatur: & qui dimissam a viro ducit, moechatur;* 1 ad Cor. 7 v. 39: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Quare Christus apud S. Matthaeum solum 725
vult, quod ex vi contractus matrimonialis excepta fornicationis causa nunquam liceat dimittere uxorem absolute, & in perpetuum quoad thorum, & cohabitationem, alias virum fore reum moechiae alienae, eoquod illam faciat moechari. Si vero etiam quacunque de causa duxerit aliam, simul reum fore moechiae propriae: *Quod (enim) Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. 19 v. 6, ubi juxta superius dicta legem matrimonii Judaeis declaravit, vel certe iterum reduxit ad eum rigorem, in quo primitus a Deo fuerat institutum, ut docent S. Justinus Martyr apolog. 2 pro Christian. Tertullianus lib. 4 contra Marcion. cap. 34, S. Basilius lib. 1 de virginit., S. Augustinus lib. 1 de adulterin. conjug., aliique cum variis conciliis particularibus, & Generali Florentino in decret. ad Armen. Si igitur aliqui Patres videntur contrarium asserere, mitius ex-

ponendi ſunt de ſeparatione quoad thorum, quæ a Scriptoribus eccleſiaſticis quandoque etiam diſſolutio vinculi conjugalis vocari ſolet, in quantum matrimonium diſſolvit quoad actus conjugales, ut patet ex concilio Forojulienſi celebrato anno 791 cap. 10

726 Ex quibus patet, multo minus ſuſtineri poſſe praxim modernorum ſectariorum, qui ſequentes doctrinam Lutheri, & Buceri vinculum matrimonii conſummati non ſolum ob adulterium, ſed ob plures alias cauſas ſolvere audent, quod ſacræ Scripturæ, & perpetuæ Eccleſiæ traditioni aperte repugnat. Ratio autem, ob quam Chriſtus voluerit matrimonium conſummatum inter baptizatos nunquam diſſolvi poſſe, cap. 5 de Bigam. hæc aſſignatur; quia hoc Sacramentum eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, quæ conjunctio eſt indiſſolubilis: neque enim verbum divinum humanitatem aſſumptam unquam dimittet. Hinc concilium Tridentinum ſeſſ. 24 can. 5 definit: *Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge diſſolvi poſſe matrimonii vinculum; anathema ſit*; & can. 7: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit, & docet juxta evangelicam, & apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; anathema ſit.*

727 Dixi matrimonium conſummatum nunquam poſſe diſſolvi quoad vinculum; nam 1 quod conjux innocens propter adulterium carnale alterius valeat inſtituere perpetuum divortium quoad thorum, & cohabitationem, colligitur ex dictis, & ipſo jure naturæ; hoc enim innocentem ad thorum, & cohabitationem non aliter obligat, quam ſub conditione, ſi eidem ſervetur fides conjugalis. Imo ad divortium temporale petendum plures aliæ cauſæ ſufficiunt. 2. Matrimonium ratum

tum quidem, at nondum consummatum etiam quoad vinculum dissolvitur per professionem in Religione approbata, ut colligitur ex cap. unic. de Voto in 6 cap. 2 & 7 de convers. conjug. & clarissime ex Tridentino, quod sess. sæpius cit. can. 6 ita definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit.* 3. Idem plerique Canonistæ, plurimique Theologi docent de dispensatione summi Pontificis, eoquod tanquam supremus Christi in terris Vicarius possit dispensare in professione religiosa, quæ ex solo jure ecclesiastico habet, quod matrimonium ratum dirimat. Certe plures Pontifices in eo jam dispensasse leguntur; asserere autem, quod erraverint in re tanti momenti, eo magis Sedi apostolicæ injuriosum videtur, quod talis error non fuisset meri facti, sed etiam juris, an videlicet matrimonium ratum sit solubile, & conjugium de novo initum validum, & honestum.

QUÆSTIO VI.

Qualia sint impedimenta matrimonii?

QUænam sint impedimenta matrimonii, jam dictum est num. 716, modo singula breviter juvat explicare. Impedimenta impedientia de jure antiquo fuere quidem plura, ut catechismus, quod contrahebat, qui pro persona baptizanda Sacerdoti interroganti respondit, licet revera non fuerit patrinus. Item uxoricidium, presbytericidium, matrimonium cum moniali scienter attentatum, aliaque plura crimina apud Layman lib. 5 tract. 10 part. 4 cap. 15. Verum communis auctorum docet, hæc omnia impedimenta criminum per diuturnam consuetudinem peni-

728

penitus esse sublata. Idem de impedimento catechismi colligunt ex concilio Tridentino, quod sess. 26 cap. 2 de reform. matrim. decernit, impedimentum cognationis spiritualis solum contrahi inter baptizatum, ejusque parentes ex una, & inter baptizantem, & patrinos ex altera parte.

729 Itaque inter illa, quæ hodiedum adhuc vim suam obtinent, per Ecclesiæ vetitum intelligitur specialis quædam prohibitio, qua superior Ecclesiasticus, Episcopus, vel Parochus ob justam causam e. g. ob suspicionem, vel dubium alicujus impedimenti certis personis interdicit, ne matrimonium contrahant, donec veritas legitime innotescat cap. 2 de matrimon. contract. &c., & cap. ult. de clandest. desponf.; Huc etiam revocari possunt omissio benedictionis, omissio præviarum proclamationum, & clandestineitas; nam sine debita proclamatione nunquam licet matrimonium contrahere, neque primum sine benedictione parochi: quamvis autem matrimonium clandestinum valeat in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum, non tamen est licitum, ut adverti num. 690.

730 Tempus nempe sacratum, seu feriatum, quo celebrari solemnes nuptiæ nequeunt, est hodie a die cinerum usque ad octavam paschæ, seu dominicam in Albis inclusive, & ab adventu Domini nostri usque in diem Epiphaniæ, neque amplius se extendit ad cæteras ferias, quibus de jure antiquo nuptiæ prohibitæ fuerant, ut habetur ex concilio Tridentino sess. 24 cap. 10 de reform. matrim. Imo etiam tempore quadragesimæ, & adventus non est prohibitum ipsum matrimonium, seu contractus matrimonialis, sed tantum solemnis benedictio, solemnis deductio sponsæ in domum sponsi, choreæ, & convivia nuptialia, ut colligitur ex Tridentino cit., & cap. 4 de feriis, eoquod hæc sola repugnent sanctitati

præ-

prædictorum temporum, ubi Ecclesia vult specialiter vacari devotioni, & pietatis operibus. Monet nihilominus laudatus Layman, attendendas esse consuetudines particularium diœcesium, in multis enim etiam celebratio matrimonii tunc non permittitur absque speciali causa, & Episcopi licentia.

Sponsalia, videlicet de futuro prius cum alio, vel alia valide contracta, & nondum dissoluta, sunt promissio onerosa, vera, signoque sensibili expressa, ac mutuo acceptata: ergo in re gravi datam fidem violaret, qui aliud matrimonium iniret; Hinc priora prævalent posterioribus, licet juratis cap. unic. in 6 de sponsal., & cap. 18 de jurejurando. Dixi tamen 1 sponsalia de futuro, nam facta de præsenti matrimonium posterius non tantum impediunt, sed omnino dirimunt. 2. Valide contracta, quia promissio invalida per se non parit obligationem, ideo qui matrimonium secundo promitteret alteri, non teneretur illam ducere, licet sponsa prior postea vellet jure suo cedere. Aliud foret 3, si sponsalia priora jam fuissent dissoluta ante promissionem secundæ factam, prout per mutuum consensum, superveniens impedimentum, notabilem mutationem sponsæ prioris, variasque ob causas fieri potest; quippe tunc sponsæ priori nulla amplius fieret injuria. 731

Votum simplex castitatis, ingrediendi religionem, suscipiendi sacros ordines, aut servandi cælibatum habentur cap. unic. de voto in 6, & pluribus aliis Tit., qui Clerici vel voventes. Nempe votum ex natura sua obligat, ut fides Deo data servetur. Interim nullo jure exprimitur, quod ejusmodi vota matrimonium omnino dirimant, licet usum matrimonii postea contracti reddant illicitum ita, ut ligatus voto debitum conjugale nequeat petere, quamvis illud redde- 732

re

re teneatur, ne alteram partem voto immunem privet ſuo jure, cap. 11 de converſ. conjungat. can. 1 cauſ. 33 q. 1. Aliud eſt, quod poſt ejusmodi vota nec licite, nec valide amplius poſſint iniri ſponſalia; imo qui etiam poſt ſponſalia jam celebrata ingreſſionem Religionis voveret, deberet illa rurſus diſſolvere, eoquod juxta cap. 2, & 7 de converſ. conjugat. iisdem ſemper inſit hæc tacita conditio: Niſi ſtatum Religionis elegero: ergo talis vi voti adhuc teneretur ingredi religionem, & ſponſalia reſcindere, niſi forte ſolum vellet contrahere matrimonium cum pacto ſervandi continentiam, & ante conſummationem religionem ingrediendi.

De impedimentis matrimonium jure naturæ dirimentibus.

733 IMpedimenta dirimentia alia ſunt juris naturalis, & divini, alia juris eccleſiaſtici. Ex jure naturæ matrimonium non ſolum impediunt, ſed etiam irritant Error, Ætas infantilis, Impotentia, Ligamen. Addunt aliqui cognationem ſanguinis, & vim, ſeu metum: at niſi metus adeo ſit gravis, ut voluntarium, & libertatem omnino tollat, communior cum Suario, Sanchez, Layman exiſtimat, matrimonia metu extorta ſpectato ſolo jure naturæ fore valida, ſicut alii contractus cap. 2 de his, quæ vi & L. final. Cod. eodem. Pariter S. Thomas 2 2 q. 154 a. 9 ad 3 Clericatus, Sanchez, aliique docent, matrimonium a jure naturæ non ultra primum gradum lineæ rectæ per conſanguinitatem dirimi, idque ſolum conditionate, niſi ſcilicet Deus det facultatem, in cujus pleno dominio ſunt corpora hominum.

734 Quidquid de his ſit, ſive impedimenta ſint juris naturalis ſive ſolum Eccleſiaſtici, ſemper diri-

dirimunt matrimonium non obſtante invincibili ignorantia, quod tali facto, aut delicto incurrantur; quippe impedimenta iſta non ſunt meræ pœnæ, ſed inhabilitates quædam morales ad matrimonium, nec principaliter ſtatuuntur in pœnam, ſed ob bonum commune, ob quod in contrahendis matrimoniis non tam attenditur ad notitiam, & ſcientiam contrahentis, quam ad decentiam, & honeſtatem publicam L. ſemper 197 ff. de R. I. Hinc impedimenta conſanguinitatis, affinitatis, licet orta ſit ex copula illicita, etiam ab ignorantibus incurruntur. Idem circa impedimenta criminis obſervat conſuetudo, & praxis tum Romanæ, tum aliarum curiarum, ut teſtatur Corrado prax. diſpenſat. apoſtol. lib. 8 cap. 9, & P. Wieſtner., Reiffenſtuel, Schmier, Schmalzgrueber &c.

Loquendo jam de jure naturæ matrimonium dirimit error tam antecedens, quam concomitans circa ſubſtantiam perſonæ; hæc enim eſt primarium objectum, circa quod contractus matrimonii verſatur: ergo talis error tollit ipſum conſenſum voluntatis, ſine quo matrimonium nequit conſiſtere. Aliud eſt, ſi error ſit tantum circa qualitatem e. g. nobilitatem, divitias &c. perſonæ, nam hac ratione nihilominus adeſt conſenſus abſolutus in perſonam, cum qua contrahitur, & matrimonium ſolum eſt involuntarium ſecundum quid, nempe circa perſonæ accidentia, & rationes impulſivas extrinſecas, niſi forte contrahens conſenſum in perſonam ejusmodi accidentibus alligaſſet, aut ipſe error qualitatis in ſubſtantiam perſonæ redundaret, ut ſi intenderes contrahere ſolum cum primogenita, & loco illius tibi daretur ſecundo genita, vel viciſſim, ſicut legimus contigiſſe Jacobo, qui ideo in Liam de novo conſentire debuit. 735

Ætas

673 Ætas puta infantilis ob defectum discretionis, & consensus ; nam licet mares ante ætatis annum 14, & fœminæ ante 12 completum non possint valide contrahere matrimonium, nisi malitia ætatem suppleat, id solum provenit ex jure ecclesiastico, de jure naturæ autem ad valorem contractus matrimonialis plus non requiritur quam consensus liber, & corpora ad generationem saltem remote habilia. Porro in ordine ad matrimonium malitia tunc dicitur supplere ætatem, si ante tempus a jure præfixum non solum adsit sufficiens usus rationis, sed etiam potentia ad copulam carnalem se prodat. Quod si matrimonium ab impuberibus contrahatur invalide, ex dispositione, & interpretatione juris habet vim sponsalium de futuro, quia censentur velle saltem contrahere, quantum possunt, nisi sponsalia expresse excludant. cap. final. de desponſ. impub., & cap. unico eodem in 6.

737 Ut impotentia sit impedimentum dirimens, debet esse 1 antecedens, nam si primum superveniat matrimonio jam contracto, id non amplius potest dissolvere. 2. Perpetua ita, ut absque miraculo, peccato, vel periculo mortis tolli nequeat. 3. absoluta, si enim tantum sit respectiva, matrimonium solum irritat respectu illarum personarum, respectu quarum datur. 4. Vere talis, videlicet non tantum ad generationem prolis, quæ variis modis impediri potest, & sterilitas vocatur, sed ad ipsum coitum naturalem, seu copulam de se perfectam, & ad generationem aptam. His positis nemo alteri potest reddere jus ad usum corporis, hinc talis impotentia tam de jure naturali, quam canonico cap. 1 & 6 de frigid. & malefic. matrimonium dirimit, sive dein sit naturalis, sive accidentalis, ut in Eunuchis. Interim licet in dubio impotentiæ antecedentis, & perpetuæ non licet matrimonium inire, si tamen bona fide

fide contractum jam fuit, conjugibus a jure conceditur triennium experiendi, ut adhibitis mediis licitis impotentiam tollere conentur cap. 5, & final. de frigid. & maleficiat.

Per impedimentum ligaminis intelliguntur 738
sponsalia de præsenti, seu matrimonium valide contractum, quod enim durante hoc matrimonii vinculo, & vivente adhuc conjuge non possit valide contrahi aliud matrimonium, non solum clare statutum est pluribus capitulis Tit. de sponsa duorum, sed etiam habetur ex jure naturali, & divino, ut dictum est quæst. 4 a num. 711. Neque interest, an prius matrimonium sit consumatum, an ratum duntaxat; nam postquam vir, vel mulier jus in suum corpus tradidit uni, potestatem sui corporis non amplius habet, sed *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*, 1 ad Cor. 7 v. 39, & de morte illius non sufficienter constat. Neque obstat, si prius jam cum alio contraxit sponsalia de futuro; quippe sicut secundus emptor per traditionem rei acquirit jus in ipsa re, & ideo præfertur emptori priori, cui res tradita non fuit: sic sponsalia de præsenti tribuunt jus in re, & sunt fortiora, quam sponsalia de futuro, licet hæc per illa ex parte contrahentis non solvantur omnino, sed solum suspendantur, quamdiu vinculum matrimoniale cum sponsa secunda manet: hoc autem soluto adhuc potest, adeoque etiam debet obligationi justitiæ per prima sponsalia contracta satisfieri, ut colligitur ex L. 15 cod. de R. V. & paritate cum voto castitatis, Religionis &c.

De cognatione, affinitate, & publica honestate.

COgnatio triplex est, legalis, spiritualis, & natu- 739
ralis. Legalis est vinculum seu propinquitas orta ex adoptione perfecta, qua persona extranea, & sui juris auctoritate Principis ita assumitur in filium, nepotem &c., ut transeat in familiam, & potestatem patriam adoptantis instar filii natu-

ralis. Quatenus intercedit inter adoptantem, & adoptatum, adoptatique posteros, vocatur paternitas, & dirimit matrimonium in infinitum, non solum durante arrogatione, sed etiam finita, quia cognatio legalis imitatur naturalem L. 55 ff. de rit. nupt. Quatenus afficit adoptatum, & liberos legitimos adoptantis vocatur fraternitas, & dirimit matrimonium solum, quamdiu durat adoptio, & patria potestas; hac autem vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem soluta, inter eos matrimonium valide contrahitur L. 17 ff. tit. cit. Quatenus denique datur inter adoptantem, uxoremque adoptati, & vicissim inter adoptatum, uxoremque adoptantis, vocatur affinitas, & dirimit matrimonium usque ad 4tum gradum, licet non minus, quam paternitas videatur esse perpetua L. 14 ff. de rit. nupt., quas juris civilis constitutiones etiam sequitur jus canonicum arg. cap. 1 de nov. op. nunt.

740 Cognatio spiritualis est propinquitas orta ex Baptismo, vel Confirmatione. Hodie matrimonium contrahendum duntaxat dirimit, inter baptizantem, seu confirmantem, & baptizatum, vel confirmatum, ejusque parentes, nec non inter patrinos baptizatum, seu confirmatum, ejusque parentes, ut colligitur ex concilio Tridentino sess. 24 cap. 2 de reform. matrim., ubi jus antiquum fuit correctum. Dixi tamen 1, propinquitas orta ex Baptismo nempe valido; si enim aliquis solum levaret infantem ex Baptismo invalido, aut quando supplentur ceremoniæ Baptismi prius privatim collati, inde spiritualis cognatio non orietur, quia per solas ceremonias infans spiritualiter non regeneratur. Dixi 2, matrimonium contrahendum; nam licet impedimentum matrimonii probabilius etiam oriatur ex Baptismo privatim, aut in necessitate collato, nihilominus qui propriam sobolem levaret, aut baptizaret, non contraheret cognationem spiritualem cum sua uxore, ita

ita ut privaretur jure reddendi, aut petendi debitum can. 7 cauſ. 3 q. 1, quod Suarius, Hurtad., Maſtrius etiam extra caſum neceſſitatis extendunt. Dixi 3, patrini ſive unus, ſive plures, ſi quidem a parentibus, vel parocho fuerint deſignati, aut ſaltem non conſtet, quisnam ex non deſignatis infantem primus tetigerit.

Colliges, cognationem ſpiritualem, & impedimentum matrimonii non amplius oriri 1 inter 741
baptizatum, vel ipſius patrem, & inter uxorem levantis, aut baptizantis. 2. Inter patrinos e. g. Cajum, & Bertam eundem infantem ſimul ex ſacro fonte levantes. 3. Inter baptizantem, & levantem. 4. Inter baptizatum, & filiam baptizantis, aut levantis. 5 Reſpectu illius, qui infantem tantum teneret materialiter, & ſine intentione ſuſtinendi munus patrini, ſeu patris ſpiritualis, ut communius ſolet contingere in neceſſitate. 6. Quod ſi aliquis levet baptizatum, vel confirmatum per procuratorem, ſolus principalis proprie fit patrinus, & impedimentum cognationis ſpiritualis contrahit, ſicut ſi quis per procuratorem contrahit matrimonium, ſolus ipſe, & non procurator fit conjux, & contrahit inde ortum impedimentum publicæ honeſtatis. Quia vero quod quis facit per alium, per ſeipſum facere cenſetur cap. 26 de R. I. ipſe principalis in æſtimatione morali infantem levare cenſetur, alias omnino nullus adeſſet patrinus; atqui non eſt credibile, quod Eccleſia in tali caſu permittat, Baptiſmum præſertim ſolemnem ſine omni vero patrino adminiſtrari.

Cognatio naturalis eſt propinquitas perſonarum ex eodem ſtipite propinquo carnali propagatione deſcendentium, unde etiam conſanguinitas, ſeu ſanguinis unitas vocatur. In illa potiſſimum conſiderari debet ſtipes, linea, & gradus. Stipes eſt perſona, a qua cæteræ, de quarum propinquitate quæritur, deſcendunt, vel aſcendunt. Linea eſt collectio perſonarum ab eodem ſtipite per va- 742

rias generationes aſcendentium, vel deſcendentium; gradus vero eſt intervallum, ſeu diſtantia unius perſonæ ab altera ſive in linea recta, ſive in obliqua. In linea recta continentur perſonæ, quæ ab eodem ſtipite directe vel aſcendunt, uti progenitores noſtri, vel deſcendunt, uti perſonæ a nobis progenitæ. In linea obliqua ſeu transverſa ſunt perſonæ, quarum una ab altera non quidem originem ducit, habent tamen eandem radicem, & eundem ſtipitem communem. Si ejusmodi perſonæ a communi ſtipite diſtent æqualiter, uti duo filii, duo nepotes, dicuntur eſſe in linea transverſa æquali. Si autem una perſona eſt remotior a communi ſtipite, quam altera, dicuntur eſſe in linea transverſa inæquali, uti filius, & nepos, nepos & pronepos &c.

743 Ut dignoſci queat, quo gradu unus conſanguineus diſtet ab altero, quoad præſentem materiam communiter tres ex jure canonico traduntur regulæ. 1. In linea recta tam aſcendentium, quam deſcendentium tot ſunt gradus, quot generationes, ſeu quot perſonæ ſtipite dempto; hinc filius a parente diſtat uno gradu, nepos duobus, pronepos tribus &c., & viciſſim pater a filio gradu uno, avus duobus, proavus tribus. 2. In linea transverſa æquali perſonæ, de quarum conſanguinitate quæritur, eodem gradu diſtant inter ſe, quo diſtant a communi ſtipite e. g. frater, & ſoror inter ſe diſtant uno gradu, patrueles, ſeu duorum fratrum liberi duobus, quia illi a communi ſtipite, ſeu patre diſtant uno gradu, hi ab eodem communi ſtipite, ſeu avo duobus gradibus. 3. In linea transverſa inæquali perſonæ in eodem gradu diſtant inter ſe, quo gradu a communi ſtipite diſtat perſona remotior; hinc filius, & nepos ejusdem patris ſunt in ſecundo gradu, filius, & pronepos in tertio. Ex quibus vides, quod aliqui poſſint eſſe conſanguinei non ſolum in gradu mixto e. g ſecundo, & tertio, ſed etiam ex duplici capite, ut ſi duo

duo fratres contrahant cum duabus consobrinis, nam liberi ex illis nati erunt in secundo gradu ex parte patrum, & in tertio ex parte matrum, adeoque inter eos dabitur duplex impedimentum, sicut duplex datur consanguinitas, ex duobus stipitibus orta.

Quippe consanguinitas ex jure ecclesiastico 744
matrimonium in linea obliqua dirimit usque ad 4tum gradum inclusive, in linea recta autem probabilius in infinitum, sive fuerit orta ex copula, & generatione licita, sive illicita. Pars 1 clare statuta est a concilio Lateranensi sub Innocentio III relato in cap. 8 de consang., ubi correctum est jus antiquum, juxta quod hoc impedimentum usque ad septimum gradum extendebatur. Pars secunda non solum statuta est a jure civili, § 1 Instit. de nupt., & L. 53 de rit. nupt., sed etiam approbata a Nicolao I ad consulta Bulgarorum cap. 39, & Calixto I can. 2 caus. 35 q. 2. Pars 3 est communissima, quia consanguinitas, ejusque impedimenta fundantur in communione sanguinis, qui idem in liberis spuriis, ac legitimis reperitur, & longe majus foret periculum, si matrimonium inter eas personas posset consistere, quae familiarius inter se agere solent, & a naturali consanguinitatis amore inflammantur. Quod si tamen infideles in gradu jure tantum ecclesiastico prohibito contraxerunt, & postea baptizantur, postea separari non possunt cap. de infidelibus, 4 de consanguinit. & affinitat., quia ante Baptismum non fuerunt subjecti Ecclesiae, adeoque ejus impedimentis non obligabantur.

Affinitas est propinquitas personarum ex 745
copula carnali perfecta proveniens absque consanguinitate, cujus tamen veluti simulacrum est, quatenus duas cognationes ita copulat, ut una ad alterius fines accedat; nam etiam per talem copulam vir, & foemina efficiuntur una caro, & sanguis unius tangit sanguinem alterius, atque sic

mediate ſanguinem totius alterius cognationis, neque refert, an copula fuerit voluntaria, & licita, an involuntaria, coacta, & illicita, modo ſit talis, quæ de ſe ad generationem prolis ſufficeret. Hodie ſolus vir fit affinis conſanguineis mulieris, & ſola mulier affinis conſanguineis viri, idque in ea linea, & gradu, in quo illi ſunt conſanguinei cum muliere, iſti autem cum viro. Unde affinitas non amplius parit affinitatem, nec ipſi conſanguinei mariti, & uxoris inter ſe aliquam affinitatem contrahunt, ſed e. g. duo fratres poſſunt ducere duas ſorores alterius cognationis, pater, & filius matrem, & filiam, Cajus Vitrici ſui matrem, Sempronius viduam, quam reliquit frater uxoris, Mævius ſucceſſive Cajam, & Titiam, quarum mariti erant duo fratres &c. Multo minus per ſuam copulam inter ſe fiunt affines mas, & fœmina, ſed affinitatem cum aliis tantum tanquam principia fundant argumento cap. 5 de conſang., & lib. 4 §. 3 ff. de grad. & affin.

746 Lineæ, & gradus affinitatis eodem modo computantur, quo in conſanguinitate: ſic conſanguineus mulieris in 1 & 2 gradu in eodem eſt affinis viro, & conſanguineus in 3 aut 4 gradu viro, in 3 aut 4 gradu eſt affinis uxori. Impedimentum matrimonii vero, ſi affinitas eſt ex copula licita, in linea recta tam aſcendente, quam deſcendente probabilius ſe extendit in infinitum, ut colligitur ex L. 4 cit., & L. 14 ff. de R. N., quæ conſtitutiones civiles nullibi a jure canonico ſunt correctæ: at in linea obliqua hoc impedimentum ſe tantum extendit usque ad quartum gradum incluſive ob textum cap. 8 de conſanguinitate, in quo correctum eſt jus antiquum, vi cujus ad ſeptimum usque gradum porrigebatur. Adhuc arctius concilium Tridentinum ſeſſ. 24 cap. 4 de reform. matrim. reſtrinxit impedimentum ortum ex copula illicita; nam extra ſecundum affinitatis gradum hodie non amplius excurrit ob periculum

lum nullitatis, cum fornicatio ſit frequens, & plerumque occulta. Porro licet matrimonium jam prius contractum per ſupervenientem affinitatem non amplius poſſit dirimi, qui tamen cum conſanguinea uxoris in primo, vel ſecundo gradu ſcienter, ac libere copulam perfectam haberet, ipſo facto privaretur jure petendi debitum a ſua uxore, licet illud adhuc reddere teneretur, ut jam adverti num. 732.

Honeſtas publica eſt propinquitas perſona- 747
rum proveniens ex ſponſalibus de præſenti, vel futuro, eſt quaſi affinitas quædam orta ex conſenſu, & conjunctione animorum. Si provenit ex ſponſalibus de præſenti, ſeu matrimonio rato, dirimit illud contrahendum cum conſanguineis conjugis usque ad 4tum gradum incluſive, etiamſi matrimonium fuerit invalidum, modo fuerit contractum abſolute, nec irritum ex defectu conſenſus. Si vero publica honeſtas orta ſit ex ſponſalibus de futuro, attamen validis, ſolum afficit perſonas in primo gradu conſanguinitatis cum ſponſo, vel ſponſa conjunctas, ut ſtatutum eſt in concilio Tridentino ſeſſ. 24 cap. 3 de reform. matrim., ubi quoad ſponſalia de futuro, non item de præſenti jus antiquum correxit. Procedunt hæc, licet ſponſalia de futuro iterum fuerint diſſoluta; nihilominus ſi quis poſt ſponſalia cum Berta contracta poſtea cum illius ſorore contraheret matrimonium (utique propter impedimentum publicæ honeſtatis invalidum) rurſus poſſet ducere Bertam, quia publica honeſtas non agit retro, ſicut tamen retro agit affinitas, quæ ſponſalibus ſupervenit, & matrimonium cum priore ſponſa dirimit cap. unic. de ſponſal. & matrim. in 6.

De reliquis impedimentis jure eccleſiaſtico matrimonium dirimentibus.

QUamvis votum ſimplex caſtitatis, ac Religio- 748
nis per ſe matrimonium ſolum impediat, ut

 di

dictum num. 732, nihilominus ex speciali dispositione Gregorii XIII in Bulla *Ascendente Domino*, vota religiosa ab hominibus Societatis JEsu statim post novitiatum edita matrimonium contrahendum dirimunt, licet tantum sint simplicia. Votum autem solemne, seu professio religiosa, in quovis ordine rite ab Ecclesia approbato, non solum matrimonium contrahendum dirimit, sed etiam valide jam contractum quoad vinculum dissolvit, modo illud nondum fuerit consummatum, ut definitum est in pluribus canonibus, & concilio Tridentino sess. 24 de Sacrament. matrim. can. 9 & 6.

749 Per Ordinem hic solum intelliguntur ordines majores, videlicet subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus, & episcopatus, qui tam in Ecclesia Græca, quam Latina dirimunt matrimonium contrahendum, non tamen jam contractum, licet sit duntaxat ratum. Pars 1 est definita in concilio Tridentino can. 9 cit., quia istis ordinibus annexum est votum solemne castitatis, vel certe lex ecclesiastica ejusmodi matrimonia contrahenda irritat, ut jam habetur in concilio Lateranensi I cap. 21, & Lateranensi II cap. 7. Excipe, nisi Ordo sacer alicui conferretur positive invito, vel infanti ratione necdum prædito, nisi postea annos discretionis adeptus libere suam ordinationem ratificaret. Pars 2 decisa est in extravag. Joannis XXII de voto, ubi Pontifex ait, nec jure divino, nec sanctionibus ecclesiasticis vim dissolvendi matrimonium, etiam ratum tantum, SS. Ordinibus concessam reperiri. Plura de continentia Clericorum videri possunt disp. 2 quæst. 7, & 8 de Sacrament. Ordinis.

750 Conditio videlicet servilis tunc datur, quando aliqua persona contra naturalem libertatem alieno dominio ita subjecta est, ut instar aliarum rerum, & patrimonii possit possideri, vendi, & alienari, & quidquid acquirit, domino suo acquirat. Ut dirimat

ma-

matrimonium, duo requiruntur, primo ut una tantum pars contrahentium ſit conditionis ſervilis, ſecundo ut altera pars libera id ignoret, vel per errorem putet alteram quoque eſſe liberam, & ingenuam; nam ratio ſtatuendi hoc impedimentum fuit nimia contractus inæqualitas, & gravis injuria parti ignoranti illata. Hinc ſi perſona libera contrahat cum ſerva, quam putat eſſe liberam, irritum eſt matrimonium: at ſi ſervus proprie dictus contrahat cum ancilla proprie dicta, vel liber, & ingenuus conditionem ſervilem alterius ſciat, matrimonium valet cap. 1, 2, & final., de conjug. ſervor. multo magis valent matrimonia inita cum ſervis improprie dictis, nempe adſcriptitiis, originariis, & hominibus propriis, quia error iſtarum qualitatum tantum eſt accidentalis, & tales homines reipſa vere liberi ſunt.

Cultus diſparitas, ſeu diverſitas religionis 751
tunc ſolum eſt impedimentum matrimonii, quando fidelis contrahere vult cum infideli ſtricte accepto, id eſt non baptizato e. g. cum Judæo, Gentili, Ethnico, Turca &c.; nam matrimonium infidelis cum infideli valere, patet ex quæſt. 4. Hic ſolum noto, quod licet infidelis ad fidem converſus juxta ea, quæ num. 722 dicta ſunt, diſſoluto priori matrimonio rurſus poſſet aliam ducere, ſi infidelis cum illo pacifice, & honeſte cohabitare nollet. Id tamen locum non habeat caſu, quo unus ex fidelibus fieret apoſtata, & ad paganiſmum, vel judaiſmum tranſiret, quia impedimentum diſparis cultus non diſſolvit matrimonium inter fideles jam contractum, ſed tantum contrahendum inter fidelem, & infidelem. Nihilominus can. 10 cauſ. 28 q. 1 prohibitum fuit mulieribus cohabitare quoad thorum, & menſam maritis Judæis, quæ prohibitio ſucceſſu temporis per conſuetudinem Eccleſiæ extenſa eſt ad omnes infideles.

Ut vis, ſeu potius metus irritet matrimoni- 752
um debet eſſe 1 gravis ſaltem reſpectu perſonæ

metum passæ; nam quod metus tantum levis non sit impedimentum dirimens, certum est ex cap. 6 de sponsalib., quia libertatem non minuit notabiliter, & facile contemni potest. 2. Incussus ab extrinseco a causa libera, si enim tantum fuit ortus ex morbo, periculo naufragii, aliaque causa naturali, metum passo nulla fit injuria. 3 Injustus. Quippe metus justus contrahenti fuit sufficienter voluntarius in suo principio, & qui illum juste incussit, nullam vim intulisse censetur; hinc qui contraxit sponsalia juxta cap. 10 de sponsal., metu censuræ ad matrimonium potest compelli 4. Incussus directe ad matrimonium extorquendum; nam quando jus irritat matrimonia metu extorta, id facit propter vim injuriosam non qualemcunque, sed intentatam contra libertatem matrimonii; atqui hoc non fit, si metus injustus tantum incutitur ob aliam causam: sic qui ob aliam causam injuste detentus in carcere, ut se liberet, ducit custodis, aut judicis filiam, ad illam ducendam non compellitur violentia, sed potius hoc matrimonium ad effugiendum carcerem sponte eligit. Suarius, Sanchez, Perez, Dicast. contra Lugonem, Schmalzgrueber, Wiestner &c.

753 Raptus hic est violenta fœminæ abductio de loco in locum matrimonii causa; dirimit matrimonium inter raptorem. & raptam, quamdiu rapta est in potestate raptoris, & nondum in loco tuto constituta, ut colligitur ex concilio Tridentino sess. 24 cap. 6 de reform. matrim. Neque interest, an fœmina rapta sit vitæ honestæ, an inhonestæ, quia concilium omnibus personis voluit salvam esse libertatem matrimonii: hinc juxta Azor, Sanchez, Gobat raptus etiam committitur, si, sponsa propria invita, & reluctans abducatur quod omnino verum videtur, si interea sponsæ supervenerit justa causa resiliendi. Requiritur tamen, ut abductio sit violenta altem moraliter per graves minas, aut metum, & fiat in locum morali-

ter-

ter diversum, ac ineundi matrimonii causa, qui enim fœminam tantum ex platea deduceret in locum obscurum, aut ex alio fine e. g. libidinis causa illam raperet, posset valide cum volente inire matrimonium, ut docet Corrad. in praxi apostol. lib. 7 cap. 6, allegans decisionem sacræ congregationis, quia in tali casu libertas matrimonii directe non læditur.

Crimen duplex considerari debet, adulterium 754
videlicet, & homicidium. Ut adulterium irritet matrimonium cum adultera contrahendum requiritur 1, ut adulteri ante vel post adulterium viva adhuc alterius conjuge matrimonium ineant, vel saltem promittant, mortua conjuge se illud inituros. 2. Ut adulterium ex utraque parte sit perfectum, & formale, id est, pars utraque debet scire alteram partem esse conjugatam, quia hoc impedimentum habet rationem pœnæ ob commissum adulterium. 3. Ut promissio matrimonii sit absoluta, ab altera parte per signum aliquod externum acceptata, nec ante adulterium factum revocata; nam promissio mere conditionata, saltem nisi ante mortem conjugis purificetur, manet in suspenso, neque sine manifestata acceptatione promissio pactitia, & sponsalitia dari potest. Ratio hujus impedimenti est, ne spe futuri matrimonii sumatur ansa mortem conjugis machinandi; hinc si primum post mortem conjugis promissio matrimonii facta fuisset, cap. 6 de eo, qui duxit, matrimonium valeret, nisi alteruter mortem conjugis machinatus fuisset.

Sicut autem impedimentum criminis nun- 755
quam oritur ex solo adulterio, sic neque ex conjugicidio, nisi accedat vel 1 promissio matrimonii, de qua supra, vel 2 ambo vir, & fœmina ex intentione postea inter se ineundi matrimonium in necem alterius conjugis conspiraverint, vel 3 post commissum adulterium formale, & perfectum ex eadem intentione matrimonii conjux unius ab alio

lio adultero, vel physice, vel moraliter imperio, suasione &c. occidatur, esto, quod in hoc casu conjux superstes in mortem alterius non consenserit, imo etiam ignoraverit, aut noluerit. Hinc si quis conjugem alterius occiderit sine prævia promissione matrimonii, conspiratione vel adulterio, aut solum ea intentione, ut liberius vacet libidini, aut denique cum alia persona sive determinata, sive indeterminata possit matrimonium inire, hoc impedimentum criminis non incurrit. Præterea mors non tantum debet esse attentata, sed perfecta, & cum actuali occisione conjuncta, quia in legibus odiosis, & pœnalibus verba stricte, & de crimine consummato debent accipi, sicut de adulterio dictum est ex cap. si quis 5, causa 31 q. 1.

756 De clandestineitate jam egimus num. 690: Hic addo 1, ad valorem matrimonii requiri, ut parochus, & testes eidem sint præsentes simul tam physice, quam moraliter ita, ut intelligant, quid agatur, quia debent ita testari de veritate matrimonii contracti, ut de illo Ecclesiæ possit plane constare. 2. Vagi, qui nullum habent domicilium, debent contrahere coram parocho loci, in quo versantur, dum contrahunt. Hinc Tridentinum sess. 24 cap. 7 de reform. matrim. *Parochis præcipit, ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* 3. In locis hæreticorum, ubi concilium Tridentinum fuit quidem promulgatum, sed nullus parochus catholicus, aut qui ipsius vicem suppleat, haberi, ac sine periculo adiri potest, ex dispensatione Ecclesiæ videntur valere matrimonia non solum inter hæreticos, sed etiam inter catholicos, & hæreticos, etsi forma Tridentini in illis celebrandis non fuerit observata, modo aliud impedimentum canonicum non obstiterit, quia decretum Tridentini non videtur afficere illa loca, in qui-

quibus nullus eſt Parochus, & ita expreſſe declaravit Benedictus XIV pro fæderatis Belgii provinciis. Idem a ſacra congregatione declaratum fuiſſe de matrimonio catholicorum inter ſe teſtaſtatur Bellarm. in epiſt. ad Octav. Tricar. Epiſcopum.

Quæres adhuc 1. Quis poſſit diſpenſare in im- 757
pedimentis matrimonii? Reſp. 1. Quamvis in illis impedimentis, quæ matrimonium ex ipſo jure naturali, ac divino dirimunt, Deus ne quidem ſummo Pontifici poteſtatem diſpenſandi dederit, niſi determinationem voluntatis humanæ ſupponant ut votum religioſæ profeſſionis, & matrimonium ratum, quemadmodum docet ipſa praxis Eccleſiæ: nihilominus dubium non eſt, quin Papa abſolute poſſit diſpenſare in omnibus impedimentis tam impedientibus, quam dirimentibus juris mere eccleſiaſtici, eoquod totam vim ſuam ab ipſo Pontifice habeant, & qui tulit legem, eandem etiam ſolvere valeat cap. 4 de conceſſ. præbend., & cap. 1 de R. J.; At vero hanc ſuam poteſtatem non in omnibus æqualiter ſolet exercere, ſed in aliquibus diſpenſat nunquam. ut in primo gradu affinitatis lineæ rectæ. & primo gradu conſanguinitatis lineæ transverſæ: in aliis difficulter, & non niſi ex graviſſima cauſa, ut in conjugicidio publico, in paternitate, & maternitate ſpirituali: in aliis denique ſæpe, & facile, ut in 3, & 4 gradu conſanguinitatis & affinitatis. Exercet autem poteſtatem ſuam potiſſimum vel per ſacram pœnitentiariam, vel per datariam, per hanc conceduntur diſpenſationes pro foro externo, per illam pro ſolo foro interno tam ad matrimonium contrahendum, quam ad permanendum in contracto, excepto tamen impedimento conſanguinitatis, ſuper quo pœnitentiaria nunquam diſpenſat ad illud contrahendum.

Reſp. 2. Epiſcopi, aliique Prælati Papa infe- 758
riores juxta cap. 15 de majorit., & Clement. 2

princ.

princ. de Elect. per se quidem nihil in leges Superioris possunt, adeoque in nullo impedimento matrimonii dispensare, nisi hoc ipsis specialiter fuerit concessum, ut 1 vi consuetudinis ferme omnium dioecesium Episcopi habent potestatem dispensandi in impedimentis impedientibus juris ecclesiastici, uti etiam in voto perfectae castitatis, & ingrediendae religionis, si adsit gravis causa, & recursus ad Papam difficilis, tunc enim ipse Pontifex tacite consentire videtur. 2. In matrimonio bona fide, & praemissis denuntiationibus jam contracto, si urgeat gravis necessitas, & impedimentum sit tale, in quo dispensatio solet concedi, quin tamen hic, & nunc ad Pontificem possit recurri, quia Tridentinum sess. 24 cap. 5 de reformat. matrim. ait, in his dispensari posse. Quod multi 3 etiam extendunt ad impedimenta occulta circa matrimonium contrahendum, quia etiam in hoc casu recte videtur praesumi consensus Papae, cui haec praxis non potest esse incognita; addunt tamen ad hoc requiri maximam necessitatem, & urgentissimam causam. 4. Denique Episcopi Germaniae ab urbe magis remoti solent obtinere privilegium singulis quadrienniis, aut quinquenniis petendum, ut possint in utroque foro tanquam Legati apostolici dispensare in variis impedimentis e. g. in gradu 3, & 4 consanguinitatis, & affinitatis cum pauperibus, in impedimento publicae honestatis ex sponsalibus proveniente, in impedimento criminis, nisi machinatio mortis intervenerit, in impedimento cognationis spiritualis praeter levantem, & levatum &c.

759 Quaeres 2. Quomodo matrimonia invalide contracta debeant revalidari? Resp. 1. Quando matrimonium fuit nullum ex defectu veri consensus in utroque contrahente, uterque debet novum consensum elicere, eumque exterius alteri parti manifestare, eoquod prior fuerit nullus, & consensus utriusque sit essentialis contractui matri-

trimonii. Si autem conſenſus fuit nullus ex parte tantum unius, plurimi cum S. Thoma, Navarr., Layman &c. judicant, ſufficere ſi illa pars verum conſenſum eliciat, eumque aliquo ſigno exterius exprimat e. g. affectu maritali exercendo copulam argument. cap. 2 de conjug. Servor.; nam verus conſenſus alterius partis adhuc cenſetur perſeverare ſaltem virtualiter, & moraliter, quamdiu inſtar conjugum cohabitant, ut etiam colligitur ex cap. 21 de ſponſal. Si denique matrimonium fuit nullum ob aliud impedimentum, quam præciſe ex defectu conſenſus, communiſſima docet, nullitatem alteri parti aliquo modo debere manifeſtari, ut ab utraque novus conſenſus præſtetur, quia neuter valuit. Hac tamen in re caute procedendum, & ſi ex tali manifeſtatione valde gravia præviderentur incommoda, impedimentum invincibiliter ignorantibus non facile deberet indicari, imo juxta Sotum, Henriquez, Gobat aliosque graves auctores ſufficeret, ſi omiſſa revelatione nullitatis poſt impetratam diſpenſationem ab ignorante novus conſenſus obtineretur per hoc, quod maritali affectu petat, reddatque debitum conjugale.

Reſpondeo 2. Si nullitas matrimonii in facie Eccleſiæ, id eſt coram parocho, & duobus teſtibus initi, eſt occulta ob defectum, de quo non eſt periculum, ut aliquando innoteſcat, & conjuges matrimonium de novo reſtaurare velint, ſufficit quod ſublato impedimento renovetur conſenſus inter conjuges ſine parocho, & teſtibus, ut teſte Navarro declaravit Pius V, quia Tridentinum præſentiam parochi, & teſtium principaliter requiſivit ideo, ut validitas matrimonii publice conſtet, & probari valeat, ſicque evitentur gravia mala ex matrimoniis clandeſtinis timenda; atqui hic finis jam obtinetur, modo parochus, & teſtes poſſint fidem facere de matrimonio apparenter valide contracto, nam eorum fides mora- 760


li-

liter perſeverans inducit præſumptionem, & in foro externo facit fidem matrimonii rite contraƈti. Si vero nullitas eſt notoria, vel periculum ne innoteſcat, utique præceptum concilii Tridentini exigit, ut novus conſenſus iterum coram parocho, & teſtibus præbeatur, quia alias de illo nec ſatis conſtaret, nec valor matrimonii in foro externo poſſet probari.

Plura quidem tam de hoc, quam aliis Sacramentis in ſpecie dici potuiſſent, niſi obſtitiſſent temporis, ac curſus annui anguſtiæ, quibus ut traƈtatus hos theologicos accommodarem, nihil quidem eorum, quæ ad inſtitutionem, & exercitationem DD. Auditorum præſcripta ſunt, omittere, cætera autem ita contrahere oportuit, ut ſolum neceſſaria, aut magis utilia exponerentur, præſertim quia pleraque hic omiſſa in theologia morali, poſitiva, & jure pontificio explicari ſolent. Finio itaque, & ſi aliquibus forte nimis brevis, aliis vero nimis longus videar, aut alias eorum expeƈtationi minus ſatisfeci, meminerint, me non tam mea, quam aliorum voluntate hæc ſcripta publici juris facere, nec, cum illa typis committerem, aliud intendiſſe, quam ut qualiscunque hic labor meus cedat ad majorem Dei gloriam.







MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO